image
not
available

image
not
available

image
not
available



Bavar. 4856 g(4

Digitized by Google

2.E

<36615999360019

<36615999360019

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

C

Neue historische

Abhandlungen

der

churfürstlichen baterischen

Akademie

der

Wissenschaften.

Vierter Band.

Qd 166/1152

München,
gedruckt bey Anton Franz, churfl. Hof- Akademie- und Landschaftsbuchdrucker.
1792.

Digitized by Google



Digitized by Google



Vorrede.

Es folgt hiemit der vierte Band der neuen historischen Abhandlungen, mit dem eben so sehnlichen Wunsche, als der vorahndenden Hoffnung, daß die hier vorkommenden Gegenstände, und ihre Behandlung die Zufriedenheit, und den aufmunternden Beyfall gründlicher

Digitized by Google

Vorrede.

Geschichtforscher erhalten mögen, und werden. Wenn es zu den zuverläßigsten und wahren Kennzeichen nützlich angelegter Bemühungen gehört, daß die Achtung gegen selbe täglich allgemeiner, daß der persönliche Antheil an selben täglich wärmer und inniger wird: so erhält hierinn die Akademie von Zeit zu Zeit die schmeichelhaftesten Beweise, indem sie theils mit jedem Jahre eine beträchtliche Anzahl historischer, meist eben so gründlich, als mühsam ausgearbeiteter Abhandlungen, theils einen neuen Zuwachs vortreflicher Mitglieder erhält,

Vorrede.

hält, von deren Fleiß, und Kenntniß sich nichts gemeines erwarten läßt. Der Akademie flößet dieser glückliche Fortgang einen unbegränzten, wo möglich, neuen Eifer ein, sich sowohl des Zutrauens gründlicher Gelehrten, als zumal, und vor allem der Aufmerksamkeit, Huld und Gnade des erhabensten Kenners und Beförderers nützlicher Wissenschaften, ihres durchlauchtigsten zweyten Stifters und Erhalters, Carl Theodors, immer würdiger zu machen.

Ver-

Digitized by Google

o—)o(—o

Verzeichniß

der

in diesem Bande enthaltenen Stücke.

I. Stemmatographia illustrissimorum S. R. I. Comitum de Bogen, hodie ab Arcu, ex monumentis undique conquisitis, pluribusque nunc primum editis adornata, unde & finitimarum regionum familiæ haut parum illustrantur. Accedunt tabulæ chrono-genealogicæ, sigilla, & effigies æri inciſæ cum Codice diplomatico. Studio Herm. Scholliner Benedictini Oberaltacensis Theol. Doctoris. S. 1.

II. P. Kolomann Sänftls Professors in dem fürstl. Stifte zu St. Emmeram beantwortete Preisfrage von den Land- und Hoftagen in Baiern bis zum Ende des XIII. Jahrhunderts. S. 387.

III. P. Hermanni Scholliner de Gerbirge Geisenfeldæ sepulta, eiusque parentibus ac progenitoribus disquisitio cum stemmatographia Comitum de Semta & Ebersberg. S. 549.

PROBA-

Digitized by Google

PROBATIONES
AD TABULAM B.

Digitized

Num. 1. BERTHOLDUS II.

BERTHOLDI huius, ſeu quod idem, WERNERI, ſive BABONIS, Maiores, & quæ eum propius attinent, pluribus profecutus fui *in der vollſtändigen Reihe der Vorältern Otto des Groſſen, erſten Herzogs aus dem Geſchlechte der Pfalzgrafen von Scheyern und Wittelsbach* §. 26. ſeq. eidemque adverſus novationem Cl. CROLLII genitorem vindicavi ARNOLFUM ſecundum, primi filium. Præterea & Vxorem LIUTPIRGEN probabili ratione aſſignavi §. 39. quæ hèic ſubponere licebit, nec repetere vacat, conſpicienda in tabula A.

AVENTINUS, qui tot Patriæ Monumenta ſedulo perluſtravit, forte non amplius reliqua, eumque ſequuti Scriptores boici, geminos ei filios tribuunt OTTONEM I. *Schyrenſem*, & BABONEM, horumque originem ad ARNOLFUM in-

dubium LUITPALDI filium refert *Annal. boic. VII. c. 1. n. 2 p.* 620. ſequentibus verbis.

„Vt autem rem altius repetam, OTTONIS Ducis tritavus (lege *Atavus*) BERCHTOLDUS, præfectus prætorio Bojoriæ, (*comes palatinus*) Curator templi Fruxinorum, (friſingenſis) filius ARNOLPHI (ſecundi), primi *Schyrorum* Dynaſtæ, qui auctor originis, & cognominis, nepos APNULFI reguli ſummi (*Ducis*) Boiorum -- Huius (*Bertholdi*) filius BABO (heic omnino legendum: Hic BERTHOLDUS, qui & BABO) BABONEM ab *Abensperg*, patriæ meæ regulum, & OTTONEM primum progenuit.“

Vter horum Primogenitus fuerit, dicere nequeo. *Huius* poſteros cum idoneis inſtrumentis ſatis, ni fallor, comprobaverim, de BABONE nunc reſtat dicendum.

Num. 2. BABO.

A) Etiamſi Scriptores, non boici modo, ſed etiam exteri illique veteres, ac prope ſynchroni iuxta cum recentioribus emunctæ naris, nec facile creduli, in eo omnes concordent, BABONEM OTTONIS I. *Schyrenſis* fratrem, plurimarum prolium genitorem, & familiarum per Germaniam ſuperiorem illuſtrium quemdam veluti *Deucalionem* exſtitiſſe. Nihilominus haut ita pridem *D. Car. Frid. SCHÖPFIUS in der Nordgauoſt-fränkiſchen Staatsgeſchichte* iſtam univerſe receptam traditionem, etiam in tabulas pictas, ſculptasque relatam, fabulis accenſere non dubitavit.

B) Provocat magniloquus iſte non una vice ad Diſſertationem *Adrianopoli*, hoc eſt, nullibi editam, ſub titulo *C. F. Scabini larva detracta 32 filiis Babonis* P. I. *p.* 103. P. II. *p.* 38.

Digitized by Google

38. & 43. & ne lectorem dubium relinqueret, quis *Scabinus* iſte ſit, ſeipſum auctorem prodit P. I. *p.* 208. ſequentibus verbis latine redditis: „Verum poſtquam *ego* in *Larva* 32 filiis BABONIS dictis ex antiquis Hiſtoriæ Germaniæ monumentis detracta oſtendi &c. "

C) Adpello ad fidem lectorum, an alicui viſa & audita fuerit *Scabini* huius ſic dicta *Larva* detracta?

Ante plures iam annos ab Erudito quopiam ex *Francónia*, ubi illa nota omnino eſſe deberet, deſuper conſultus nullum non movi lapidem, ut exemplar huiusmodi *Larvæ* nanciſcerer, aut ſaltem de exiſtentia huius partus edocerer. Sed incaſſum omnia!

Ampliſſimus Reipublicæ Ratisbonenſis tunc Senator, hodie Camerarius & *Hansgrafus*, *D. Georg. Septimius DIETRICHS*, amicus & ſtudiorum meorum fautor cum omni elogio memorandus, qui illo iam tempore in Bibliotheca ſua perampla, omniumque uſui patente, ſupra 50 mille Diſſertationes numerabat, in diesque augere pergit, de hac *Larva* quidpiam ſibi eſſe perſpectum negavit, etſi plura eiusdem SCHÖPFII opuſcula ſervet.

D) Celeberrimus a multis annis Schediaſmatum rariorum procurator *D. Ioannes Mich. SCHMIDIUS* ad S. Trinitatis *Ratisbonæ* Aedituus, per univerſam Germaniam notus, cuius ope frequenter adiutus *D. Antonius LIPOWSKYUS* lepide aiebat, ſi ipſemet tenebrarum Princeps opuſculo cuidam incubaret, iſtud per SCHMIDIUM eidem ſubtrahendum fore; Hic, inquam, in perveſtiganda per omnes fere angulos hac *Larva* oleum, & operam perdidit.

E)

E) Quidni igitur dicam, quod ſentio? Conceperat forte hanc *Larvam SCHOPFIUS*, prægnabat, ſed infauſta Lucina non edidit; nempe *parturiunt montes, & prodit ridiculum - NON.*

Quam autem *fabulæ* nomen haut mereatur decantata BABONIS noſtri fœcunditas, idoneis iam teſtimoniis comprobatum eo.

F) Primum hæc inter locum iure ſuo meretur Biographus CONRADI Archiepiſcopi *Salzburgenſ.* eidem coævus apud *Bernard. PEZIUM theſaur. anecdot. Tom. II. P. III. col. 222. ſeqq.*

„CHUNRADUS itaque ex illuſtri Principum *Bavariæ* provinciæ ſtemmate originem duxit, nimirum a Comitibus de *Abinberg*). - Præter hanc nobiliſſimam Genealogiam, aliam -- claram, & ſplendidam cognationis ſeriem habuit, quæ numeroſitate ſua non ſolum *Bavariam*, &*Carinthiam*, verum etiam orientalem, & *Rheni Franciam* occupavit. Quæ unde ſurrexit, lectoris curioſitati ſatisfaciendo non abs re videtur, ſicut ab ipſo audivi frequenter, exponere.

„Avum (*paternum*) habuit BABONEM nomine, de cuius lumbis exierunt triginta filii, & octo filiæ, omnes ex liberis matribus progeniti . . . His ergo filiis iam adultis, Imperator HEINRICUS (*ſecundus*) miſſo nuntio Patrem eorum ad ſe vocavit, quatenus cum paucis veniens, in exercitio ac ludo venandi ſecum iucundaretur. Hinc ille idoneam opportunitatem ſe inveniſſe ratus, quatenus prædictos pueros, corporis elegantia ſatis aptos, Principis aſpectui, & gratiæ offerret, & munificentiæ commendaret, ſibi, ac unicuique puerorum unum militem, ac ſervientem diſtribuit, ſicque ei obviam proceſſit.

Qui

Digitized by Google

„Qui cum vidiſſet tantam turbam, arguit Comitem, modeſte tamen: cur venire cum paucis iuſſus, tantam multitudinem aggregaſſet? Reſpondet ille, unum tantum militem ſe & ſervum habere. Cumque ille requireret blanda facie, & verbis placidis, quinam eſſent alii? Servi, inquit, tui ſunt, Domine Imperator! filii mei, quos tuis aſpectibus, & gratiæ offero, quandoque idoneos, ut de Dei miſericordia ſpero, & utiles tuis ac regni obſequiis futuros, ſi tamen te propitium, & in oculis tuis gratiam invenerint.

„Gratanter itaque atque hilariter Imperator munus ſibi oblatum tam fœcundæ prolis ſuſcipiens, ſingulos adoleſcentum benigne amplexatus & exoſculans, ſecum habuit, quousque eos honeſtis ſedibus, & beneficiis exaltaret, ſecundum quod ſe opportunitas obtulit liberalitati Principis. Quis itaque dubitet de tantæ prolis ſemine pullulaſſe ac germinaſſe infinitam cognationis meſſem, unde ſicut ſupra diximus, tot replerentur provinciæ. „Hæc ille, unde reliqui omnes ſua defloraverunt.

G) *ARENPECKIUS in Chronic. Bojoarior. col.* 192. „CONRADUS de *Abenſperg* (*Abinberg*) avum habuit nomine BABONEM. Hic triginta filios, & octo filias de liberis Vxoribus genuit, quos filios omnes ante conſpectum Imperatoris HAINRICI IV. vel V. (imo *ſecundi*) præſentavit, adiunctis cuilibet milite, & famulo. "

Item col. 256. „Præfatus Archiepiſcopus (*Conradus Iſalisburg.*) habuit avum nomine BABO, qui genuit XXX. filios, & VIII. filias de liberis matribus, quos filios omnes præſentavit ante conſpectum Imperatoris HAINRICI IV (ſecundi) adiuncto cuilibet milite, & famulo uno. "

H)

Digitized by Google

H) *AVENTINUS Annal. p. m.* 488. *n.* 24. *ſeq.* qui Biographum CONRADI AE. *Salisburg.* (F.) præ oculis habuiſſe videtur, paria cum eodem ſcribit, aitque, ſe ea legiſſe in faſtis *Weltenburgenſium*, & *Iuvavenſium*, addit vero, numeroſam hanc prolem XXX. filiorum ex *duabus* legitimis Vxoribus tuliſſe, etſi eodem teſte, *fama duos & triginta* ferret. Pergit: „Fuit autem is BABO filius BABONIS (legendum BERTHOLDI N. 1.) *Schirorum* Principis, frater OTTONIS primi *Schyrenſis* Satrapa, & procurator (alii *aulæ Præfectum* adpellant) divæ CHUNEGUNDÆ Auguſtæ, præfectus urbis *Reginoburgenſis.*“ In hoc poſtremo fallitur AVENTINUS; iſte enim *Papo* præfectus, alius a BABONE noſtro erat, ut oſtendit BUATUS *Orig. dom. boic. I. p.* 215 *ſeq.*

I) Reliqua ſuis verbis ex *Biographo* recitat, ubi tamen nonnulla obſervanda veniunt:

I. HENRICUM Imperatorem, cui BABO filios præſentavit, recte *ſecundum* ab eodem adpellari:

II. Filios omnes iam fuiſſe *puberes*, non *pauperes*, ut in Editione *Gundlingiana* errore typi legitur;

III. Univerſos paullatim præfecturis, vicis, prædiis, ſtipendiis, caſtellis, parochiis (*Epiſcopatibus*, *Præbendis*) fuiſſe collocupletatos, id quod non de iſto HENRICO II. ſolum, ſed etiam de *tertio*, & *quarto* huius nominis intelligendum, uti per decurſum patebit.

K) Necrologium *Weltenburgenſe* infra allegandum pariter nonniſi XXX. filios BABONI tribuit, & *ſeptem* filias, cum alii

omnes

omnes *octo* numerent, cuius diverſitatis hæc forſan eſt ratio. Aiunt cives *Abenſpergenſes*, ut ex eorum ore audivi, BABONEM, quoties ei nata eſt proles, turrim quamdam ad mœnia ſui oppidi exſtruxiſſe, monuiſſeque adoleſcentes, vivum turri incluſum iri inedia necandum, ubi degener fuerit: contigiſſe autem, ut filiarum quæpiam pudicitiam ſuam proſtitueret, pœnam prædictam ob hoc flagitium luiſſe, monſtrantque in huius rei ſignum unam turrium muro clauſam, cum reliquæ pateant.

Si popularis hæc traditio fundamento nitatur, forte *Wettenburgenſes*, *Abenſpergæ* vicini, eiusdem memores, hanc filiam, generis ſui oblitam, e numero reliquarum excluſam voluere.

L) Ut ſilentio iam Scriptores domeſticos reliquos, *HUNDIUM*, *BRUNNERUM*, *Mauſoleum S. EMMERAMI*, *ADELZREITERUM*, tot alios præteream, eamdem prolium multitudinem, idemque factum ad an. 1015. memorat *Martinus HOFMANNUS Annal. Bamberg. lib. I. col.* 51. etiamſi tabula *Mariaburgenſis* id anno 1023. contigiſſe ſcribat, quod mihi parum vero ſimile videtur:

Primo, quod Imperator toto hoc anno *Reginoburgum* non venerit:

Secundo, anno ſeq. 1024. die 13 Iul. iam fatis functus fuerit, & intra unius anni ſpatium oblatis ſibi filiis de beneficiis, ac muneribus providere haut potuerit:

Tertio, quod anno præfato iam BABO ſuperſtes non fuerit, triennio ante defunctus.

Digitized by Google

M) Quapropter a vero minus aberraverim, ſi annum 1015. pro Epocha huius facti ſtatuam; ad iſtum enim annum comitia *Ratisbonæ* fuiſſe indicta, & S. HENRICUM ibi commorantem POPPONI ex Marchionibus *Auſtriæ* Præpoſito *Babenbergenſi* donationem feciſſe diplomate dato ibidem MXV. Indict. XIII. - III Non. Iulii, poſt citatum HOFMANNUM teſtatur Cl. D. HEYBERGER *in Ichnographia Chronici Babenbergenſis diplomatica p.* 105. ſeq. ubi S. huius Imperatoris veſtigia ubique premit, & pene diplomaticam vitæ ſeriem texit: cuius utinam Partes II. & III. lucem tandem adſpicerent, multas tenebras diſſipaturæ.

N) Huiusmodi autem leviores diſcrepantiæ, quæ ſeu annum, ſeu locum, vel occaſionem concernunt, ſummam rei non evertunt, ut ſapienter advertit nitidus *Annalium boicorum* ſcriptor *Andreas BRUNNERUS P. II. Lib. IV. p.* 195. *Edit. ſecund.*

„ Quæ (nimirum quod tot illuſtres familiæ ad BABONEM origines ſuas referant, & felicis illius arboris eſſe ſe ramum velint) quæ mihi, inquit, princeps cauſa eſt, cur narrationi huic, etſi neque antiquiſſimos auctores habeat, (videtur BRUNNERUS ignoraſſe Biographum CONRADI AE. Salzburg. *vetuſtiſſimum* certe, & tantum non ſynchronum) quique illam produxere, non uno omnes ore loquantur, & temporibus, locisque aſſignandis, & prope etiam rebus diſſentiant, nihil denegandum putarim. Illud enim minutulum eſt, quod factum quidem ex campo, & venatione in urbem, & ad comitia trahunt, una ea re diverſi, cetera concordes. Et exſtant hodieque Monumenta complura, *Abenſpergæ* præſertim, unde oriundos diximus, quæ ſuſpicari nos vetant, tam decantatam,

&

& per manus a maioribus acceptam de nihilo natam esse.“ Hæc ille.

O) Superſunt enimvero hæc Monumenta eorumque partim autographa, partim apographa mihi præſto ſunt, quorum heic narrationem texere operæ pretium fuerit.

Primum, & quod reliqua vetuſtate ſuperare videtur, quippe 1562. factum, conſpicuum eſt *Abenſpergæ* in templo RR. PP. *Carmelitarum* prope ianuam in cornu Epiſtolæ pendens, exhibens BABONEM coram Crucifixi imagine cum prolibus genibus flexum, in cuius tabulæ eleganter pictæ utroque latere delineata eſt arbor ſtemmatis *Abenſpergenſis*. Totius operis effigiem ſiſtit *tabula IV.* aeri inciſa cum duabus aliis A & B. ad eamdem pertinentibus. Scriptura tabulæ principali ſubiuncta proſtat *in Codice prob.* N. LII.

Secundum cernere licet in *Siebeneichen* prope SULZBACH in Palatinatu ſuperiore Bavariæ, cuius delineationem beneficio ac induſtriæ debeo R. & Clar. *D. Car. Frid. SPRINGER* Miniſtri verbi apud *Ratisbonenſes*, expreſſum *tabula V.* Subſcriptionem autem eiusdem cum animadverſionibus ſpringerianis legere eſt in *Cod. prob.* N. LIII.

Tertium autographum ex Parthenone *Mariaburgenſi in Franconia* obtinui, quod exhibet *tab. VI.* Eius autem inſcriptionem videas *in Cod. prob.* N. LIV.

P) *Quartum* pariter exſtat *Abenſpergæ* apud RR. PP. *Carmelitas*, benevole mihi ſubmiſſum. Eſt tabula aeri eleganter commiſſa, duos pedes cum dimidio longa, unum ſuper 10. pol-

lices alta, & integrum illuſtriſſimæ Familiæ *Babonianæ* adparatum exhibet, quæ *Ratisbonam*, e longinquo adumbratam, Cæſaris ad curiam properat. Chorum ducit ipſe BABO ſenex equo ſublimis, quem pone ſequuntur filii XXXII. equeſtres, ſeni, ac ſeni, poſtremi autem bini, galeis criſtatis caput ornati. Hos proxime comitantur totidem numero milites, & famuli, eodem & ipſi ordine diſpoſiti equeſtres ſinguli; tum octo filiæ ſplendida Seiuga vectæ, octo militibus, ſive famulis currum excipientibus. Subſequitur BABONIS Coniux ſecunda ſuperſtes, cum ſuo gynecæo quadrigæ inſidens. Denique univerſum agmen claudit plauſtrum cum impedimentis, velo albo, ſtriis rubris variegato, contectum, ac iumenta clitelaria ſarcinis onuſta cum agaſonibus, cui *Ratisbonam* adpropinquanti occurrit caduceator, mandatum BABONI ferens, ut tantæ multitudinis, cæſareo edicto adverſæ, rationem coram Imperatori redderet, vel excuſaret. Inſcriptionem lege ſis *in Cod. prob.* N. LV.

Quis iam poſt tot teſtimonia calamo, & penicillo tradita, diverſis in locis ſummam rei eamdem comprobantia, ad fabulas amandare audeat BABONIS numeroſam familiam, niſi PYRRHONIS de grege fuerit? Aut quibus demum poſitivis documentis everti valebit tot ſæculorum traditio, quæ ante Cl. SCHOPFIUM nemo unus vidit, & nec ipſe prodidit?

Q) Cetera famoſus hic BABO communiter quidem adpellatur Comes de *Abenſperg*. Vix autem quispiam mihi perſuadebit, huius ſolum prædii fuiſſe Toparcham; quin potius crediderim plurium fuiſſe Dynaſtam. Certe PABO ille, in cuius comitatu, & pago *Chyemgoe* ſita erat Curtis *Rivte* a WARMUNDO comite olim S. EMMERAMO tradita, a noſtro haut

eſſe

esse diversus videtur, cum tempus omnino congruat, & loci situs. Etsi enim diploma confirmatorium S. HENRICI Imperat. *in Ratisbona monastica libro probat. p.* 133. seq. datum fuerit anno 1021. quo noster iam sunus fuerat, nihil tamen obstare reor, quin dicam, Imperatorem tunc *Coloniæ* constitutum aut ignorasse BABONIS obitum, aut ad annum præcedentem, quo fors facta fuit petitio, respexisse, præsertim cum istud *datum* & *actum* fuerit extra *Bojariam*.

R) Insuper vehemens mihi suspicio est, eumdem & pago *Cidlarienſi*, *Chyemgoe* vicino, præfuisse; nam eius ex HARTUICO filio nepos ASCUINUS, & pronepos HARTUICUS II. in traditionibus *Oberaltei henſibus*, de *Cidlarin* adpellantur, forte, quod castrum *Cidlarienſe*, unde *pago* nomen adcrevit, ex hæreditate paterna nacti fuerint. Movet me autem præcipue, quod HUNDIUS in *Stemmatographia I.* 155. testatur, BABONEM de *Zeidlarn* cum geminis Vxoribus *Raitenhaslaci*, loco admodum vicino, in cœmeterio parochiali, prius quam ibi cœnobium fuerat erectum, sepultum fuisse.

S) De *anno* obitus, & *loco* tumuli non omnes conveniunt. HUNDIUS nunc primum allegatus *pag.* 1. ex AVENTINO & Stemmatographia Cœnobii *Biburgenſis*, utique eidem conspecta, defunctum asserit an. 1020. die 5. Martii, cui quoad annum consonant *tabulæ IV.* & *V.* Diem autem eumdem notavit Necrologium *Weltenburgenſe Mon. boic.* XIII. 477. „ III. Non. Martii BABO Comes cum XXX. filiis & VII. filiabus; “ ad quod Necrologium haut dubie provocat *tabula IV. Abenſpergenſis Cod. probat.* N. LII.

Mau-

Digitized by Google

T) *Mauſoleum S. EMMERAMI* ſeu *Ratisbona monaſtica p.* 121. ſepultum tradit ibidem retro ſummum altare, ubi tamen HUNDIUS ſedulo inquirens, ſepulcrum eius non invenit. Nec mirum; quod enim ibidem ſine inſcriptione exſtare aiunt, non noſtri, ſed *Paponis* urbis præfecti, ab *Abenſpergenſi* alterius, (H) fuerit.

Inſcriptio *tabulæ V.* in *Sibeneichen* (*Cod. prob.* N. LIII.) ſepultum ſcribit *in Abenſperg.* Malim ego credere, noſtrum eſſe BABONEM, quem *Raitenhaslaci* ſepultum HUNDIUS (Q.) meminit. Quamvis enim annus 1050 ibi notatus, noſtro non reſpondeat, id parum obſtare exiſtimo, & facile in lapidem error irrepſit, aut amanuenſis, vel typus fefellit, quod nemo mirabitur, qui in libro Sepulturarum *Raitenhaslacenſium Mon. boic. III.* 216. *ad an.* 1115. legerit. „PABO Comes de *Cidlarn.* Vxores IUTA & IRMENGARD.“ Ubi error palpabilis, ſic corrigendus: An. 1020 aut ſaltem inxta HUNDIUM 1050. quo anno forte poſtrema BABONIS Coniux obiit, Marito ante 30. annos præmortuo eodem in tumulo ſociata.

Num. 3. BABONIS VXORES.

Binas ſaltem noſtro fuiſſe coniuges, & admodum fertiles, quæ forte etiam gemellos marito pariter foecundo pepererint, ex AVENTINO, aliisque indubium eſt. Genus utriusque in obſcuro latet. Nomina ſaltem earum prodit HUNDIUS (N. 2. C.) priorem IEUTT, ſeu IUDITHAM, alteram IRMENGARDEN cum *Raitenhaslacenſibus* adpellans.

Unde recentiores quidam *tertiam* anonymam hauſerint, indicare noluerunt. Nec mihi de utraque plura conſtant.

Num.

Digitiz

Num. 4. HARTUICUS BABONIS FILIUS.

A) *AVENTINUS Annal. boior. VII. cap. 6. n. 14. p. 657.* eumque ſequuti Genealogi reliqui, poſtquam *Bogenſium* Comitum ſitum, potentiamque enarraverat, ſubdit ſequentia: „Primum HARDUICUM filium BABONIS *Abuſini* numeroſa prole præter ſolitum inclyti, cuius ſæpe mentionem feci, fuiſſe *conſtat.*“ Hæc aſſertio inde etiam firmatur, quia Imperatorum Diplomata ei, filioque ASCUINO collata, in *Oberalteichenſi* Monaſterio autographa aſſervantur, haut dubie ab eorum poſteris ibidem repoſita.

B) Commutationi, quam ENGILBERTUS *Friſingenſis* Ep. ac GEBEHARDUS (*ſecundus*) Ep. *Ratisb.* circa an. 1030. invicem fecerunt (apud *MEICHELBECK Hiſt. friſing. I. P. II. N.* 1172. *p.* 492.) HARTUICUS noſter Advocatus aderat: „Notum ſit ... qualiter UODALSCHALCH Advocatus S. *Friſing.* Eccle. in loco, qui ruſtice vocatur *Gruoba*, quo S. EMMERAMUS ſpiritum ad cœlos miſit, V. Iugera Epiſcopo GEBEHARDO in proprium tradidit. Econtra venerabilis predictus Epiſcopus cum manu Advocati ſui HARTUICI duo curtilia ſupradicto *U... dalſchalcho* contradidit.“

C) HEINRICUS Imperator III. an. 1054. eidem noſtro conceſſit ſex regales manſos in pago *Nortkowe*, quod diploma ad vicem LUITBOLDI (erat is ipſius HARTUICI filius AE. *Mogunt.* N. 8.) Archicapellani recognovit WINITHERIUS Cancellarius (Ep. *Bambergenſis*) *Cod. prob.* N. I.

D) Noſtrum etiam HARTUICUM arbitror, cuius legitur traditio apud *Bern. PEZ. theſaur. anecdot. Tom. I. P. II.* 122. *N.* 87.

Digitized by Google

N 87. „Pateat - - quod quidam nobilis homo nomine HARTUUIC tradidit in manum *patrui* ſui (latiore ſenſu pro agnato proximo accepti) *Ymmonis* tale predium, quale viſus eſt habere in loco, qui dicitur *Aſchaha*, ut poſt obitum illius ad S. EMMERAMUM - - - tunc ſupradictus *Ymmo* adimplevit nepotis ſui petitionem, & poſt obitum illius (circa an. 1074. nam anno ſequente eius filius FRIDERICUS iam legitur Advocatus) tradidit ad aram S. EMMERAMI eo tenore, ut ſiquis Epiſcopus, aut aliqua prepotens perſona, utilitati fratrum ſubtrahere voluerit, proximus heres prenominati HARTUUICI in ſuam poteſtatem recipiat, & fratribus in priſtinum ius reſtituat. Teſtes: FRIDERICH. " - -

Crediderim, hunc FRIDERICUM eſſe HARTUUICI filium ex ſecunda coniuge BERTHA, adeoque proximum hæredem. Plerumque enim primo loco teſtes eſſe ſolebant, quibus ius propius competebat, & eorum conſenſus requirebatur.

E) Obiiſſe illum circa an 1074. paullo ante ſuſpicatus ſum, & facile mihi perſuadeo, ſepultum in Monaſterio *Oberalteich*, a filiis ſuis inſtaurato. Nam in illa ſolemni bonorum abdicatione & reſtitutione 1104 poſteri eius teſtantur, ſe id facere, „tam pro animarum ſuarum ſalvacione, *quam aliorum illuſtrium Virorum inibi ſepultorum abſolucione* (Cod. prob. N. IV.). Subſiſtebat ergo iam tunc Baſilica cum Abbate *& Monachis ibidem Deo ſervientibus*, uti legitur *Mon. boic. XII. p.* 16. (*Cod. Diplomat.* N. IV.)

Sic etiam Notarius *l. cit. p.* 33. de FRIDERICO III. BERTHÆ pronepote ait: „Et quia ipſe (donator) inibi locum ſepulturæ decrevit habere, & per ſuccedentia ſibi tempora

cunctis

Digitized by Google

cuncti Parentes eius (progenitores) ibidem positi in pace requiescunt; eumdem locum maxime semper amavit, coluit, oblatis etiam donariis, beneficiis, allodiis ante sepius, nunc magnificentius cumulavit, auxit, ditavit &c. " (*Cod. prob. N. XIV. fin.*)

Num. 5. HAZACHA Vxor prima HARTUICI.

A) Ut geminas HARTUICO primo coniuges tribuam, facit authoritas *Martini* HOFMANNI, qui Annales *Babenbergenses* ex ecclesiæ huius archivis concinnavit, testaturque *p.* 70. F. & 72. A. HARTUICUM & LEOPOLDUM Comites de *Bogen* ad Episcopatus *Babenbergensem*, & *Moguntinum* fuisse promotos, qui alterius, quam HARTUICI nostri filii esse non poterant.

B) Neque tamen BERTHÆ *Hungaricæ* ætas permittit, ut horum mater dicatur, cum HARTUICO ante ann. 1050. nubere vix, & ne vix quidem potuerit, quippe soror licet *seniior* SOPHIÆ, 1061 WILHELMO Marchioni *Thuringiæ* desponsatæ, ut suo loco pluribus dicetur.

C) Nomen huius Matronæ reperisse mihi videor in tradit. Emmeram. *apud PEZ. thes. anec. l. c. p.* 120.

„ Notum sit fidelibus, qualiter quedam *Comitissa* nomine HAZACHA offerens Deo filium suum nomine HARTUUICUM in Monasterium S. EMMERAMI tradidit eidem Martyri pro puero hobam unam, & locum molendinis aptum in loco, qui nominatur *Eitterhof*, eo quoque pacto, ut ibi monachicam annonam sedemque obtineret: Testes. "

Ex iſta traditione colligo, HARTUICUM a matre ſua in cœnobio S. EMMERAMI ad monachicam annonam, & habitationem pro temporum illorum more ibidem educandum, bonisque litteris addiſcendis oblatum, deinde inter Canonicos *Babenbergenſes* cooptatum, ac demum an. 1047. eius eccleſiæ ſedem epiſcopalem fuiſſe indeptum. Tempus enim & perſonarum nomina, omnino conſpirant, ut HARTUICUS tunc puer HARTUICI ac HAZACHÆ filius credatur, præſertim cum *Babenbergenſes* hunc ſuum Epiſcopum, Comitem de *Bogen* adpellent (A).

D) Ut genus huius Matronæ a comitibus de *Neuburg*, & *Formbach* derivem, ſequentes coniecturæ forſan ſufficient.

I. Anno 1028. Eccleſiæ *Ratisbonenſis* advocatus erat THIEMO de *Formbach*, teſte *Cod. tradit. Emmeram. l. c.* 108.

„ Facta ſunt hæc an. dom. Incar. MXXVIII. regnante HENRICO Imperatore filio CHUNRADI. Epiſcopo *Ratiſponenſi* GEBEHARDO ſecundo. Abbate RICHOLFO Advocato eiusdem Diœceſis TIMONE de Formbach. “

Huic in advocatia immediate ſucceſſit HARTUICUS noſter circa an. 1030. Quidni ergo ſuſpicari licebit, huius Vxorem proximi in munere anteceſſoris ſororem fuiſſe, præſertim cum iſtud munus aliquoties hæreditarium fuerit, aut ſacri antiſtites proximo agnato, vel affini, deficiente idoneo mare, ius advocatiæ deferre conſueverint.

E) II. Scutum Comitum de *Neuburg* una parte vacuum, altera ſquammatum apud HUNDIUM Stemmatograph. quo etiam

etiam usus fuit FRIDERICUS I. HARTUICI huius filius, & quod hodie conspicitur in eius marmore sepulcrali tab. III. haut levi indicio est, eum, cognatione quadam *Neuburgenses* adtigisse, quod facillime capimus, si HARTUICO tribuatur prima coniux ex eadem familia, cuius ipse insignia adoptaverit.

F) III. Neque de nihilo erit annotare, *Angelum* RUMPLERUM Abbatem *Formbacensem* inter cœnobii sui *fundatores*, hoc est, *Benefactores* & *Propinquos* eorum nominasse PHÆDERICUM *Comitem Advocatum Ratisponensem*: apud *PEZ. thesaur. anecdot. Tom. I. P. III.* 482. cuius aliam nunc rationem proferre non valeo, quam quod HAZACHAM *Neuburgensem* THIEMONIS filiam, vel sororem, parens HARTUICUS primis sibi nuptiis copulaverit; ideoque *Neoburgense* scutum assumserit.

Hæc autem omnia intra coniecturæ limites subsistere velim, pronas daturus aures meliora docenti, & plura de hac prima coniuge proferenti, quæ mihi deficiunt.

Num. 6. BERCHTA HARTUICI I. Vxor secunda.

A) Matronæ huius connubium, regiosque ex *Hungaria* sortitos natales ex unico discimus *Anonymo Weingartensi* de *Guelfis Principibus*, qui tamen locus mox proferendus pluribus hodie concertationibus inter ipsos Scriptores *Hungaros* ansam præbet.

Ita autem iste apud *CANISIUM Basnagii Tom. III. P. II. p.* 583. *seq.* & *LEIBNITIUM Scriptor. Brunsvic. Tom. I. p.* 785. *n.* 10.

Digitized by Google

„ HEINRICUS (*niger*) frater eius (*Welfi*) Ducatum, & omnia, quæ illius erant, obtinuit, & potentes (*potenter*) ditioni ſuæ ſubiugavit. Qui uxorem iam dudum vivente patre de *Saxonia* accepit filiam MAGINONIS Ducis, & SOPHIE ſororis Regis Vngariæ COLOMANNI, WULFILDEM nomine.

„ Erat tandem (tamen) eadem SOPHIA antea cuidam (*Vdalrico Marchioni*) de Carinthia copulata, ex qua genuit POPONEM Marchionem, qui duas filias habuit; unam LUTGARDEM (N. 39.) BERCHTOLDO Comiti de *Bogen* copulavit. Porro ſoror huius SOPHIE (*Pyrisca*, Græcis *Irene* dicta) Regi *Græcorum* (Imperatori orientis *Ioanni Comneno*) nupſit; alteram ſororem eius (*SOPHIÆ mox dictæ*) BERCHTAM quidam Comes (*Hartuicus*) ex clauſtro quodam ſanctimonialium (*Ratispone*) abſtractam duxit, & ex ea FRIDERICUM *Ratisponenſem* Advocatum genuit. "

B) Si teſtimonio huius auctoris per omnia ſtandum foret; BERTHA mox dicta ſoror fuiſſet SOPHIÆ, & PYRISCÆ Græcorum Imperatricis, atque COLOMANNI Regis *Hungariæ*, nec niſi in genitorem horum liberorum inquirendum eſſet. Atqui tamen in hoc ipſo inveniendo tantæ ſe offerunt difficultates, a digladiantibus inter ſe noviſſimis *Hungariæ* criticis obpoſitæ, ut, priusquam de BERTHA quidpiam certi ſtatuere valeam, de SOPHIA, & PYRISCA, ſeu genuinis, ſive prætenſis *ſororibus* eiusdem, disquirere neceſſum ſit.

C. Et SOPHIAM quidem quod attinet, quam *Weingartenſis* COLOMANNO *ſororem* tribuit, eidem adverſatur *Annaliſta Saxo Eccardinus* ad an. MLX. ſcribens:

„ WILL-

Digitized by Google

„ WILLHELMUS Marchio reverſus in *Thuringiam*, dum redire in *Hungariam*, & ſponſam ſuam (*Sophiam*) cum magna opum ſuarum oſtentatione abducere pararet, inter eundum ſecunda manſione morbo correptus obiit. Sponſam eius SOPHIAM ODALRICUS Marchio *Carentinorum*, cognatus eius accepit, Marcham vero frater eius OTTO de *Orlagemunde* obtinuit. Horum ſcilicet WILLEHELMI & OTTONIS Marchionum frater fuit POPO, qui habuit filium ODELRICUM, qui ſororem LADIZLAI Regis *Ungariæ* SOPHIAM duxit uxorem, quæ genuit ei iuniorem ODELRICUM, qui accepit filiam LUDOVICI Comitis de *Thuringia*.“

Idem ad an. MLXX. „ODELRICUS Marchio *Carentinorum* obiit, cuius viduam SOPHIAM ſororem LADISLAI Regis *Ungariæ* MAGNUS ORDULFI Saxonici Ducis filius accepit uxorem, genuitque ex ea duas (immo quinque) filias WISHILDEN (*Wulfilden*) & EILICAM. “

Ecce SOPHIAM ex mente *Saxonis* non iam COLOMANNI, ſed LADISLAI ſororem!

D) Conſentit eidem, immo potius eum præceſſit LAMBERTUS *Schafnaburgenſis* omnino ſynchronus, ad an. 1061. apud *PISTORIUM STRUVII Tom. I. p.* 325. *ſeq.* qui SOPHIAM, ipſi IOIADEN dictam, BELÆ I, filiam, GEYSÆ I. adeoque & LADISLAI ſororem aſſerit.

„ ANDREAS Rex *Ungarorum*, videns BELAM quemdam propinquum ſuum (omnino fratrem) regnum affectare, & *Ungaros* a ſe paullatim ad eum deſciſcere, uxorem ſuam, & filium SALOMONEM, cui Imperator filiam ſuam parvulam

lam parvulo desponderat, cum multis opibus ad Regem HENRICUM transmisit, petens, ut & sibi misso exercitu subveniret, & suos, donec rebus tranquillitas redderetur, servaret. Rex WILLHELMUM Marchionem *Turingorum* (*Annalista Saxo* hunc deflorans ad eundem ann. addit: *filium WILLEHELMI de WIMMARE*) & EPPONEM *Citicensem* Episcopum cum Duce *Boemorum*, & exercitu *baioarico* illuc misit. Sed Marchio & Episcopus priores *Ungariam* ingressi, non exspectato Duce *Boemorum* cum BELA signa contulerunt, atque infinitam multitudinem *Ungarorum* peremerunt, deinde cum ex omni parte *Ungari* ad ferendum suis auxilium frequenter confluxissent, videntes missi Regis tantæ multitudinis se numero, & viribus impares esse, finibus hostium excedere volebant. Verum illi loca omnia, per quæ exitus esse poterat, occluserunt, tum ne quid cibi aut potus in via reperiretur, providerunt. Cunique insuper abeuntes crebra incursione infestarent, & illi semper periculum virtute propulsantes magnas hostium strages darent, tandem diuturna cœde exhaustis viribus ANDREAS equo forte excussus. pugnantium pedibus est conculcatus, Episcopus captus, Marchio fame magis, quam ferro expugnatus se dedit; cuius virtus tantæ admirationis apud Barbaros fuit, ut IOAS (GEYSA I.) filius BELÆ, pro illius tunc gentis moribus haut desperatæ indolis adolescens, ultro patrem exoraret, non modo ut iure belli intactum sineret, sed etiam ut affinitate sibi iungeret, desponsata ei filia sua (BELÆ nimirum) sorore (GEYSÆ) IOIADA (SOPHIA)."

Pergit LAMBERTUS ad an. 1062. ea referre, quæ ad verbum exscripsit *Annalista Saxo* supra C. allegatus.

E)

Digitized by Google

E) Quoniam igitur inter Scriptores *Hungaros* hodie fere convenit, GEYSAM I. & LADISLAUM I. fratres germanos fuiſſe, BELA I. natos, quod dudum ſcripſerat Simon de KEZA in *Chronico hungarico* haut ita pridem detecto, & BUDÆ 1782. edito *p.* 113. „ ANDREAS autem confectus ſenio anno imperii ſui XII. filium ſuum SALOMONEM adhuc puerulum cum conſenſu fratris ſui BELÆ, & *filiorum* eiusdem ſcilicet GEICHÆ (GEYSÆ I.) & LADIZLAI Regem conſtituit. " Sequitur inde, SOPHIAM, WILHELMO primum deſponſatam, dehinc VDALRICO nuptam, non iam COLOMANNI, ſed GEYSÆ, ac LADISLAI ſororem, hinc & BELÆ I. filiam exſtitiſſe.

Sequitur autem porro, BERTHAM noſtram ex fide *Weingartenſis* SOPHIÆ ſororem, eumdem cum iſta patrem BELAM I. ſalutaſſe: quas ego quondam, communi tunc *Hungarorum* opinione deceptus, GEYSÆ I. filias exiſtimaveram, quam nunc miſſam facio.

Interea mirari ſubit, quomodo *RR. Carolo Franciſco PALMA in notitia rerum hungaricarum P. I. p.* 414. *edit. tertiæ* excidere potuerit, ut iſtam *Weingartenſis* BERTHAM, cum altera ſorore SOPHIA non modo LADISLAO I. filiam, ſed etiam HENRICO *Riettenburgico* comiti, advocato *Ratisponenſi*, coniugem tribueret. BERTHA enim iſta *Hungarica* HARTUICO I. Comiti de *Bogen* nupſit, qui eo tempore (non HENRICUS *Riedenburgicus*) advocati *Ratisponenſis* munere fungebatur. Huius autem HENRICI Vxor erat quidem BERTHA, ſed *Auſtriaca*, S. LEOPOLDI filia, poſt obitum LADISLAI 1110 nat. (N. 10. C.)

F)

F) Nequid autem diſſimulare videar, fateor, non deeſſe noviſſimos inter *Hungariæ* Scriptores eruditos, qui *Weingartenſis* auctoritati potius, quam *Annaliſtæ Saxonis* ſubſcribere malunt. Cum enim hodie pene evictum ſit, S. LADISLAUM Regem, qui hactenus erronee cœlebs vixiſſe credebatur, ex coniuge ſua ADELHEIDE proles ſuſcepiſſe COLOMANNUM & PYRISCAM; inde concludunt, etiam SOPHIAM, quam *Weingartenſis* COLOMANNO & PYRISCÆ ſororem tribuit, eiusdem S. LADISLAI filiam exſtitiſſe.

Duas igitur SOPHIAS ſtatuunt, priorem GEYSÆ & LADISLAI ſororem, BELÆ I. filiam, WILHELMO deſponſatam, & VDALRICO nuptam, cito autem viduam, LAMBERTO Comiti traditam; alteram LADISLAI filiam incerto cuidam *Carinthio* primum nuptam, poſt eius obitum ad alteras cum MAGNO *Saxoniæ* Duce nuptias tranſiiſſe. Ita *Cl. Stephan. KATONA Hiſt. Crit. Reg. Hungar. Tom. II. p.* 749. *& Tom. III. p.* 497.

G) Si, quod mihi videtur, dicere licet, & tantas componere lites; crediderim & ego, duas omnino admittendas eſſe SOPHIAS, quarum prior *Hungaris*, uti LAMBERTO *Schafnaburgenſi*, IOIADA, altera SOPHIA ſit dicta, non ſynchronas modo, ſed eiusdem LADISLAI, atque GEYSÆ, hinc & BERTHÆ ſorores, quo pacto & LAMBERTO *Schafnaburgenſi* cum defloratore ſuo *Annaliſta Saxone*, & repertis interea ungaricis inſtrumentis ſua perſiſtet fides. Iſtud ut aſſeram, ſequentibus moveor rationum momentis.

H) *Primo* SOPHIAM, quam LAMBERTUS *Schafnaburg.* auctor ſynchronus, & cui exceptio vix ulla obponi poteſt,

IOIA-

Digitized by Google

IOLADAM ab ipſo adpellatam GEYSÆ I. ſororem, hinc BELÆ I. filiam aſſerit, eamdem *Annaliſta Saxo* ſub SOPHIÆ nomine LADISLAO ſororem tribuit, quod plane in idem recidit apud hodiernos, præſertim Scriptores *Hungaros*, qui utrumque germanos fratres, ac BELÆ I. filios recipiunt.

Ipſe Cl. KATONA paullo ante allegatus *Tom. II. p.* 201. non ſatis ſibi ubique conſtans, omnino quatuor BELÆ I. filias, GEYSÆ, ac COLOMANNI ſorores tribuit: I. IOLADAM, II. SOPHIAM LAMBERTO Comiti nuptam, III. HELENAM, ſeu *Lepam*, IV. EUPHEMIAM, ſeu *Amabiliam*, quam BALBINUS in *Suihoviorum* antiquis memoriis *Wachburgenſem* Duciſſam ſcribit. Vbi obſervare per tranſennam liceat, legendum fuiſſe *Vohburgenſem* Marchioniſſam, WLADISLAI I. BOHEMIÆ Ducis uorem. Invaluit enim hactenus apud multos Scriptores opinio (apud Cl. PFEFFELIUM *Abhandlungen der Baieriſchen Akademie Vol. II. p.* 66.) REIZAM, ſeu *Amabiliam*, DIEPOLDI II. Marchionis *Vohburgenſis* filiam, LADISLAI prædicti coniugem fuiſſe. Sed, quod pace illorum dixerim, decepti mihi videntur, cum LADISLAI iſtius uxor gente *Alemanna* fuerit Comitiſſa de *Bergen*, ut N. 13. (M.) ſeq. ex notitiis recentius productis oſtendo.

Quidni potius hariolari liceat, REICHZAM iſtam, ſeu *Amabilem*, haut differre a noſtra BERTHA, non de *Vohburg* natam, ſed vere filiam BELÆ I. & HARTUICO noſtro, qui cum Marchione *Vohburgenſi* facile confundi potuit, & forte etiam *Vohburgi* tunc dominus erat, matrimonio iunctam. Nam & ipſum BERTHÆ nomen, quod idem ac vernaculum *Werth*, *æſtimari dignam*, *reizend*, *liebreich*, *liebwerth* ſignificat, huic *Reizæ*, ſeu *Amabili* adcommodari non incongrue poteſt, præ-

 ſertim,

ſertim, quod ex aliis documentis iam conſtet, WLADISLAI *Bohemi* uxorem, neque *Vohburgenſem*, neque *Hungaram*, noſtram autem BERTHAM ex *Weingartenſis* teſtimonio & Principem *Hungaricam*, & HARTUICI coniugem fuiſſe.

I) *Secundo.* SOPHIAM, quam *Weingartenſis antea cuidam de Carinthia copulatam* dicit, ipſiſſimam WILHELMI ſponſam, deinceps autem an. 1062 VDALRICO Marchioni *Carinthio* uxorem obtigiſſe, non *Annaliſta* modo, ſed & *Schafnaburgenſis* affirmat (D.) qui & uterque obitum huius VDALRICI ad an. 1070 adnotarunt, & *Annaliſta Saxo* inſuper addit, hanc viduam MAGNO *Saxonum* Duci nupſiſſe.

K) *Tertio.* Suſpicio Cl. D. KATONÆ *cit.* etiam a Celſiſſ. Principe *Martino* GERBERTO de RUDOLFO *p.* 140 adoptata per rationes chronologicas facile evertitur.

RUDOLFUS Comes de *Rhinfelden*, HENRICO IV. Cæſar obpoſitus, poſt primam coniugem MATHILDEN 1059 ductam, anno ſequente 1060 defunctam, ſubponatur accepiſſe ſecundam ADELHEIDEN Com. *Taurinenſem* de *Sabaudia*, anno eodem 1060 ſibi ſociatam.

Prodierit ex hoc thoro primogenita ADELHEIDIS anno 1061. Hæc anno pubertatis 12. æræ Chriſt. 1073 tradita fuerit coniux S. LADISLAO Regi *Hungariæ*, quod demto anno, comprobat Cenotaphium apud eundem GERBERTUM *p.* 136. & diploma EMERICI Regis pro eccleſia *Veſprimienſi* apud eumdem *p.* 138. not. a) ubi: „Quod cum in prædio quodam *Merena*, quod glorioſa regina ADELHAYT, uxor videlicet bonæ memoriæ LADISLAI animæ ſuæ remedio conſulens - - contulerat. "

L)

L) Subponatur porro, ex iſto connubio anno mox ſequente 1074 prodiiſſe gemellas BERTHAM, & SOPHIAM, quemadmodum exiſtimata harum ſoror PYRISCA primo partu gemellos enixa eſt (KATONA II. 740.) quas ſorores, & LADISLAI filias, uterque laudatus auctor ad fidem *Weingartenſis* admittit. SOPHIA, cum primum pubertatem adtigit an. 1086 copulata fuerit cuidam de *Carinthia*, ut vult Cl. KATONA II. 749. hocque defuncto MAGNO *Saxoniæ* Duci, cui præter alias proles pepererit etiam ADELHEIDEN FRIDERICI I. advocati *Ratisponenſis* uxorem, forte an. 1090 naſcituram. BERTHA quoque eodem an. 1086 ab HARTUICO I. e monaſterio quodam puellari abſtracta & matrimonio iuncta fuerit, an. 1087 mater facta FRIDERICI I. advocati Ratisp. Iſta enim in adverſa hypotheſi neceſſario fingenda ſunt, ubi utraque dicitur filia LADISLAI Regis.

Verum iſtæ fictiones ſe ipſas evertunt. Cui enim paradoxum non videatur, SOPHIAM an. 1074 naſcituram, iam prius *Carinthio* cuidam copulatam, anno 1073 nondum natam, MAGNO *Saxon.* Duci nuptam; quod tamen affirmat Cl. KATONA *l. cit.*

Idem dicendum de FRIDERICO I. BERTHÆ filio, qui an. 1075 iam munere advocati (heic N. 9. A.) *Ratisp.* fungebatur, & an. 1086 ob fidele ſervitium ab Imperatore HENRICO IV. quasdam villas donatas accepit (N. 9. B.) in obpoſito ſyſtemate an. 1087 in lucem proditurus, qui an. 1101 ætatis 14. cum WELFO Duce in *Palæſtinam* profectus & eodem anno defunctus, filium ex ADELHEIDE uxore certe impuberem reliquit FRIDERICUM II. mox in advocatia *Ratisp.* & *Altachenſi* ſucceſſorem. Hæc paradoxa Cl. D. KATONÆ, & omni eum ſequuturo digerenda ſunt.

In mea hypotheſi inferius proferenda, qua BERTHAM atque SOPHIAM, BELÆ I filias, GEYSÆ I. ac LADISLAO ſorores tribuo, nihil cum chronologia pugnat, & FRIDERICUS anno 1075 ætatem virilem adtigerit, muneri ſuo omnino idoneam. *Vid. Tab. C.*

M) *Quarto.* Sed & iſtud a ſpecie veri haut parum abludit, LADISLAUM Regem, qui filiam PYRISCAM, Græcis IRENEN dictam, ſplendidiſſimis nuptiis IOANNI *Comneno* Græcorum Imperatori locaverat, alteram, ſiquam habuiſſet, ignoto, neſcio cui, de *Carinthia* tradere voluiſſe.

N) *Quinto.* Ex diplomate BELÆ II. Regis *Hungar.* an. 1135 dato, quo præpoſitura *Bozockinenſis* a LAMBERTO Comite, & uxore ſua SOPHIA fundata confirmatur, invicte oſtenditur, hanc ipſam SOPHIAM LADISLAI Regis *ſororem*, a priore omnino diverſam. En verba Regis! „Nonum vero (predium) *Puztah*, ubi erat regalis curia, dedit *Rex* LADIZLAUS Comiti LAMBERTO *cum ſorore ſua*, quam dederat ei in uxorem cum omnibus appendiciis prædii.“ Apud KATONA *Tom. III.* 495. LADISLAUS regnum inchoavit ab anno 1077 ad an. 1095. Igitur intermedio hoc tempore nuptiæ Comitem inter, & Regis ſororem iſtam contractæ fuerint, dum SOPHIA prior iam ab an. 1070 poſt obitum primi mariti VDALRICI, ad alterum cum MAGNO *Saxoniæ* Duce connubium transierat, quod nonniſi poſt obitum ſecundi mariti an. 1106 ſolutum fuit.

Duas igitur habemus SOPHIAS eiusdem LADISLAI, hinc & GEISAÆ I. ſorores non *filias*, oppido inter ſe diverſas, priorem VDALRICI Marchionis *Carinthiæ* primo, dehinc MAGNI Ducis, & alteram *Lamberti* Comitis uxores. *Tab. C.*

O)

Digitized by Google

O) Dum igitur Anonymus *Weingartenſis* SOPHIAM ſuam COLOMANNO, *Annaliſta* autem *Saxo* eamdem LADISLAO, qui COLOMANNI pater fuerat, ſororem tribuit; alterutrum in mendo cubare neceſſum eſt. Cui ergo præ altero fidendum?

Noviſſimi duo Scriptores *hungari*, iidemque clariſſimi *Xyſtus* SCHIER, & *Daniel* COMIDES (apud KATONA *Tom. II. p.* 746.) adeo pro *Weingartenſi* ſtant, ut prior *de Reginis Hungariæ pag.* 66. aſſerat: „Itaque dicamus, neceſſe eſt, ODALRICO duas fuiſſe coniuges, primam IOIADAM hanc BELÆ filiam, GEISÆ, & LADISLAI ſororem, alteram SOPHIAM eiusdem LADISLAI filiam, quas *Annaliſta Saxo* confundit.“ Alter vero ſequentia ſibi excidere paſſus eſt: „Scepticus ſit, oportet, aut obfirmato contra evidentiſſimas veritates animo, qui probe penſatis tot graviſſimorum auctorum teſtimoniis conſpirantibus PYRISCAM, SOPHIAM, COLOMANNUM unius, eiusdemque patris S. LADISLAI Regis liberos fuiſſe, præfracte negare audeat.“ Quam iſtud præſidenter!

Maiore modeſtia loquitur Cl. PRAGUS *Diatrib. de S. LADISLAO p.* 134. apud KATONA *p.* 748. „Veroſimillimum eſt, VDALRICO Carentano duas fuiſſe coniuges; primam IOIADAM BELÆ I. filiam, & hac defuncta alteram nomine SOPHIAM, LADISLAI filiam, quæ extincto ad an. MLXX. marito nupſit MAGNO ORDULFI *Saxoniæ* Ducis filio; “ quæ tamen conjectura Clariſſ. *Stephano KATONÆ p.* 748. veroſimilis haut videtur, eoquod eidem & affinitatis ratio, & ætas LADISLAI adverſetur.

P) Penſatis in utramque partem & auctorum & rationum momentis, liberum mihi quoque erit edicere, quæ ſtet ſententia menti, præſertim poſtquam Celſiſſimus Princeps GER-

BER-

BERTUS *in hiſtor. nigr. ſylvæ Tom. I. p.* 400. hanc difficultatem Academiæ boicæ ſodalibus enodandam commendavit.

Plurimum & ego *Weingartenſi* tribuo, præſertim in rebus ad hiſtoriam *guelficam* propius pertinentibus: hominem tamen fuiſſe quis negaverit, qui in unica perſona *hungarica* SOPHIA, eiusque parentibus, tantopere a loco ſuo remotis, & in tanta eo tempore *Hungarorum* hiſtoriæ caligine, facile ceſpitaverit.

Malim igitur heic *Annaliſtæ Saxoni*, immo potius LAMBERTO *Schafnaburgenſi*, ſynchrono, & accurato Scriptori, unde ſua *Annaliſta Saxo* depromſit, aſſentiri, & SOPHIAM GEYSÆ, hinc & LADISLAI ſororem credere, quam *Weingartenſi* ſolitario, ad quem ceu fontem ſequaces omnes referuntur.

R) Veniam autem quoad hunc paſſum iſte Scriptor *externus* eo magis meretur, quo minus ea tribuenda *domeſticis*, qui ante pauculos annos fere omnes idem cum *Weingartenſi* ſentientes SOPHIAM, atque PYRISCAM non BELÆ I., ſed GEYSÆ I. filias, COLOMANNI uxores arbitrati ſunt, quippe LADISLAUM *coelibem* vixiſſe perſuaſi.

Poſtquam autem detectis interea inſtrumentis edocti fuere hodierni *Hungari*, S. LADISLAUM ex coniuge ſua ADELHEIDE non modo PYRISCAM, ſed & COLOMANNUM, in regno ſucceſſorem, hactenus GEYSÆ filium erronee creditum, genuiſſe, hinc iſti rationibus ſuis non ſatis conſulere mihi videntur, dum eondonandum *Weingartenſi* errorem novo errore cumulant, & ex eo, quod hic auctor deceptus SOPHIAM, & PYRISCAM ſorores, & COLOMANNUM fratrem utriusque ſcripſerit, inde praepropere inferunt, omnes tres LADISLAI liberos fuiſſe. Nec

enim

enim alio teſtimonio, quam ſolius *Weingartenſis* pro SOPHIA, ac BERTHA utuntur.

R) De COLOMANNO, & PYRISCA ex authenticis inſtrumentis certum eſt, & germanos, & LADISLAI proles fuiſſe. Quo autem argumento hactenus probatum fuit, tertiam quoque prolem SOPHIAM eidem natam fuiſſe? Quin potius chronologicæ rationes (K.) obſtant, quo minus hæc LADISLAO filia, & MAGNO Saxoniæ Duci coniux tribui valeat.

Demus ergo, *Weingartenſem* in eo ceſpitaſſe, quod SOPHIAM priorem, ſeu IOIADAM, non LADISLAO, ſed COLOMANNO ſororem tribuerit; ceſpitaſſe etiam in eo, quod eamdem PYRISCÆ, ſeu IRENES ſororem crediderit; minime tamen inde conſequitur, eum pariter erraſſe, quando IOIADAM, ipſi SOPHIAM, (*priorem*) dictam (ſecundam enim innocue ignorabat) BERTHÆ ſororem ſcripſit, quas Duumviri clariſſimi *Stephanus KATONA hiſtor. critic. prim. Regum Hung. Tom. II. p.* 750. eumque ſequutus R. R. PALMA in *notitia rer. hungaric. tom. I. p.* 414. ſolius *Weingartenſis* auctoritate nixi, nulla veri ſpecie S. LADISLAO I. *filias* aſſignant, cuius *ſorores* fuerant.

T) In mea hypotheſi, ubi duæ comparent SOPHIÆ, utraque GEYSÆ, ac LADISLAI ſoror, BELÆ I. filia, etiam BERTHA per chronologicas rationes facilius ut LADISLAI ſoror, quam filia ſuſtineri, atque oſtendi poteſt, quomodo mater exſtiterit FRIDERICI I. iam ab anno 1075 advocati *Ratiſponenſis*, qui LADISLAI ex filia an. 1074 naſcitura *nepos* eſſe omnino non potuit, etſi *conſobrinus* fuerit.

V)

Digitized by Google

V) Iſtis prævie, nec ſine fundamento, ut arbitror, diſcuſſis, propius nunc venio ad BERTHAM, quam *Weingartenſis* SOPHLÆ ſororem recte mihi ſcripſiſſe videtur, etſi nec PYRISCÆ, nec COLOMANNI, ſed GEYSÆ, ac LADISLAI ſororem, BELÆ I. filiam dicere debuiſſet.

Repetenda heic, & in memoriam revocanda ſunt verba *Weingartenſis* (A.), qui, poſtquam dixerat, SOPHIAM *hungaricam*, antea cuidam de *Carinthia* (*Vdalrico Marchioni*) copulatam, qui ex ea genuit POPONEM Marchionem, addit ſequentia: „qui (*Popo*) duas filias habuit. Porro ſoror huius SOPHLÆ Regi Græcorum nupſit, aliam ſororem eius BERCHTAM quidam Comes ex clauſtro quodam ſanctimonialium abſtractam duxit, & ex ea FRIDERICUM *Ratiſponenſem* advocatum genuit.“

W) Ex his verbis poſterioribus (*aliam ſororem eius Berchtam*) male intellectis, Duumviri celeberrimi ECCARDUS *rer. Franc. orient. Tom. II p.* 731. & *Eraſmus Froelichius in genealogia Sounekiorum Comitum Tab. I. p.* 10. in iſtum errorem inducti fuerunt, ut *το aliam ſororem* de filia POPONIS exponerent, eamque FRIDERICO ſeniori primo, *Ratiſponenſi* advocato, an. 1101 defuncto, ingenti anachroniſmo tribuerent, cum tamen ipſæ ſyntaxeos leges expoſcant, ut *το ſoror eius*, de SOPHIA immediate præcedente, non de remotiore POPONIS filia, intelligatur.

Qui quidem error præterquam quod facile in oculos incurrat, ſi quis tabulam meam (B.) perſpexerit, iudicet lector, qui fieri potuerit, ut BERTHA FRIDERICI I. anno 1101 defuncti mater, eſſet ſoror LUTGARDIS, BERTHOLDO II. de *Bogen* ſuo ex filio altero ASCUINO pronepoti nuptæ, præſertim

cum

Digitized by Google

cum hæc POPONIS filia LUTGARDIS in necrologio *Windbergenſi* dicatur *de Carinthia*, BERTHA autem fuerit *hungarica*.

Accedit, quod noviſſimus Anonymi *Weingartenſis* ex Protographo, ut ait, editor *Cl. P. Gerardus HOESS*, imperialis eiusdem Monaſterii Prior in *Monumentorum Guelficorum parte hiſtorica p.* 20. mancam hanc lectionem ex apographo hunc in modum reſtituat: „qui (*Popo*) duas filias, unam BERTHOLDO Comiti de *Andechs*, aliam ALBERTO Comiti de *Pogen* copulavit.“ Fallitur quidem heic in ALBERTO, ſive apographum, ſive editor, dum ALBERTI loco ponendus fuerat BERTHOLDUS II. quod recte ſcripſerat Anonymus, uti N. 39. oſtendo. Inde tamen rite conficitur, *το aliam ſororem eius*, non de POPONIS, ſed SOPHIÆ ſorore intelligendum eſſe.

X) Hic ipſe editor BERCHTÆ nomen in ſuo Codice non legit. Quid tum? Legerunt autem in ſuis exemplaribus CANISIUS, & LEIBNITIUS (A.) omnesque in eo conveniunt, iſtam FRIDERICI I. matrem, SOPHIÆ ſororem fuiſſe. Igitur notator *ad Vol. XII. Mon. boic. pag.* 20. iſtud BERCHTÆ nomen non ex ſuo ingenio eidem indidit, neque HARTUICUM *Raptorem* dixit, quod facit Cl. HESSIUS. Haut enim veroſimile, regiam hanc Principem in Parthenone quodam (probabilius *Ratiſponenſi*) monaſticis votis fuiſſe obſtrictam, ſed pro ætatis illius more ibidem educatam, bonis moribus, & puellaribus artibus imbuendam, nuptias cum potenti iſto, & illuſtriſſimæ ſtirpis Comite liberrime contraxiſſe, quo quidem in capite conſentientem mihi habeo Cl. D. *Stephanum KATONA II.* 750. *ſeq.* ſæpe allegatum, qui adverſario ſuo R. R. GANOEZIO, ſacrilegum raptum exiſtimanti pro ſua eruditione fecit ſatis, &

exemplis ex Cl. CORMIDE adductis comprobavit, non infrequens eo tempore fuiſſe, ut e cœnobiis ſponſæ peterentur; cui obvium addo ex hoc ipſo *Weingartenſi*, qui *cap. X. §. II.* de BERTHÆ huius ſorore SOPHIA, eiusque filiabus differens, ait: „Quartam (RICHARDEN) quam EGEHARDUS Comes de *Scirin* a quodam Monaſterio ſanctimonialium in *Ratispona* abſtulit, ac ſibi matrimonio copulavit, OTTONEMque *palatinum* ex ea progenuit.“ An & iſte raptor ſacrilegus?

Y) Deſiderat Cl. KATONA 753. ut *Weingartenſis* fides aliorum quoque Scriptorum veterum teſtimoniis de BERCHTA S. LADISLAI filia, quemadmodum de SOPHIA, confirmari poſſet, & certus annus BERCHTÆ de cœnobio raptæ deſignari.

Iſtud & mihi in votis eſt. Quemadmodum autem nullo veterum teſtimonio hactenus comprobari potuit, SOPHIAM, BERCHTÆ ſororem, S. LADISLAI NB. *filiam* fuiſſe, ita neque de BERCHTA unquam probabitur, eoquod calculi chronologici evidenter obſtent (L.). Quia tamen vir hic litteratiſſimus BERTHAM ultro fatetur SOPHIÆ ſororem, uno teſtimonio *Weingartenſis* ſubſultus; cur alia teſtimonia poſtulat, poſtquam demonſtravi, neutram per ætatem LADISLAI filiam eſſe potuiſſe, cuius *ſorores* fuerant?

Z) Annum certum, quo HARTUICUS I. hanc BERTHAM e quodam Parthenone extractam matrimonio ſibi iunxit, legitimo teſtimonio deſtitutus determinare quidem non valeo, ſed coniecturam dabo probabilem nulli certe anachroniſmo obnoxiam.

LAM-

Digitized by Google

LAMBERTUS Schafnaburgenſis ad an. 1061. (ſupra D.) de IOAS, hoc eſt, GEYSA I. agens, *adoleſcentem* eum adpellat, qui BELAM I. patrem ſuum exoravit, ut WILHELMUM Marchionem *Thuringiæ* captum, non modo iure belli intactum ſineret, ſed etiam affinitate ſibi iungeret, deſponſata ei filia IOIADA (*Sophia*) ſua ſorore. Nubilis itaque eo tempore fuerat SOPHIA, GEYSÆ ſoror, & facile fratre *adoleſcente* ſenior, nata circa an. 1047.

LADISLAO fratre ſenior erat GEYSA, quippe ante illum regno potitus. Et tamen Cl. KATONA II. 748. LADISLAUM natum arbitratur circa an. 1035. Quidni & mihi ſubponere licebit BERCHTAM circa an. 1036 primam aſpexiſſe lucem, ſeptennem ſanctimonialibus *Ratiſtonæ* traditam ibi erudiendam, cuius præclara indole captus HARTUICUS, *Ratisponæ* commorans, eamdem bona parentum venia an. 1050 ſibi deſponderit.

Certe in hac hypotheſi nihil a probabili ratione abhorret, nihil in chronologiam peccatur, cum regia proles tunc annum ætatis XIV. expleverit, & thoro matura anno ſequente 1051 parere potuerit FRIDERICUM I. qui parentis an. 1075 in munere advocatiæ ſucceſſor, annum numerabat XXIV. vir utique, cuius *fidele ſervitium* HENRICUS IV. Imperator anno 1086 non immerito remuneratus fuerit, quique anno 1101 quinquagenarius obierit.

Alia, quæ de regia iſthac Principe, iam extra aleam poſita, commemorem, mihi non ſubpetunt, neque annum obitus ſignificare valeo. Necrologium *Windbergenſe* M. B. XIV. & *Admontenſe* ap. H. PEZ. II. 202. *ad V. Id. April.* notat;

PERECHTA *Comitiſſa*: quæ an noſtra fuerit, affirmare non auſim, ſepultam tamen arbitror cum marito in eccleſia *Oberalteichenſi*, ex rationibus (N. 4. E.) aſſignatis.

Num. 7. HARTUICUS, HARTUICI I. & HAZACHÆ filius.

A) Iſte in Monumentis quidem boicis nuſpiam occurrit, deprehendi autem illum in traditionibus *Emmeramianis* (N. 5. C.) cum *Martino* HOFMANNO collatis, qui in ſuis *Annal. Bamberg. p.* 69. G.) de eo ſequentia refert: „Poſt SUIDGERUM ad pontificiam dignitatem evectum HENRICUS III. Imperator HARDOVICUM Cancellarium ſuum in eius locum ſubſtituit an. 1047. Fuit autem HARDOVICUS ex illuſtri *Bogiorum* Comitum familia natus: unde deceptum eum exiſtimo, qui primus acta Epiſcoporum *Babenbergenſium* congeſſit, & familiam HARDOVICI cum ADALBERONIS ſucceſſoris ſui ſtirpe confudit, dum *Bogionem* eum Comitem fuiſſe ſcribit, qui tamen *Carinthiæ* Dux fuit, quod etiam BRUSCHIO impoſuit.

B) Reliqua eius in Epiſcopatu geſta, præſertim, quod an. 1048 annuum cenſum, nempe Palafredum album cum ſella (einen geſattelten Zelter, Equum album) cum centum marcis argenti cameræ apoſtolicæ perſolverit an. 1052: iura eccleſiæ ſuæ contra *Würceburgenſem* coram Pontifice LEONE IX. vindicaverit: an. ſequente ab eodem Pontifice poteſtatem impetraverit, ut *crucem* præferre & *pallium*, quod prædeceſſoribus fuerat denegatum, ter in anno utendum conceſſerit, ac demum anno 1053 per HENRICUM Imperatorem obtinuerit, ut annuus ille cenſus ceſſaret, dum eius loco Imperator

rator Pontifici romano *Beneventum*, in ducatu *beneventano* regii tunc iuris oppidum, cessit: apud citatum HOFMANNUM pluribus legere est, qui etiam anno 1054 eum decessisse memorat, in crypta ad aram D. *Ioan.* Apost. sepultum, eiusque memoriam de choro S. *Georgii*, quoties ibi fit sacrificium, grato accensi thuris odore renovari de more solere.

Num. 8. LUITPOLDUS, ALTER HARTUICI ex HAZACHA filius.

A) Si fides auctori *de l'histoire ecclesiastique d'Allemagne Tom. I. p.* 11. *iste* LEOPOLDUS Monachus primum erat Monasterii *Fuldensis*, inde factus Præpositus cathedralis ecclesiæ *Babenbergensis*, ac demum ad Archiepiscopatum *Moguntinum* promotus, non quidem an. 1057, quod scribit hic auctor, sed an. 1051; quippe iam an. 1052 Archicancellarius HENRICI III. Imperatoris. *Chron. Gottwicens. pag.* 271. *seq.*

B) Germanum fuisse HARTUICI (N. 7.) adeoque HARTUICI I. ex HAZACHA filium, BABONIS nepotem, testatur HOFMANNUS iam sæpius allegatus. *p.* 72.

„Anno 1051 BARDO Episcopus *Moguntinus* e vita decessit, cui LEOPOLDUS, præpositus *Babenbergensis*, HARDOVICI Episcopi frater suffectus.“ Huic autem auctori fidem nemo facile negabit in rebus *Babenbergensibus*, quippe Archivo ibidem præfecto, cuius etiam diplomata, & chartas omni fere pagina memorat.

C) Quare non debuerat GANSERUS *p.* 419. *n.* 10. FALKENSTEINIUM in *antiquit. Nordgav. Tom. II. p.* 280. *seq.*

tam

Digitized by Google

tam præpropere erroris arguere, quod hosce duos fratres Episcopos, HARTUICO filios tribuerit, præsertim cum ad hos ipsos Annales provocaverit, GANSERO nunquam visos.

D) Videtur mihi perquam probabile, *Bogenses* Comites Episcopis *Babenbergensibus* ideo tam sæpe fuisse familiares, quod eorum generis author BABO, S. CHUNEGUNDIS moderator, sive aulæ præfectus fuerit, & forte suis consiliis ad fundandum eo loco Episcopatum non parum contulerit.

E) Vtut istud se habeat, LUITPOLDUS noster Archicancellariatus officio sub HENRICO IV. Imp. usque ad an 1059 fungi perrexit, eodem anno VII. Idus Decemb. extinctus, teste LAMBERTO SCHAFNABURGENSI, & *Chron. Gottwicens. p.* 293. etiamsi alii 1060 assignent, quibus subscribit *l'histoire eccles. d'Allem.* „ *Luipold* auparavant Moine de *Fulde*, ensuite Prevot de la cathedrale de *Bamberg*, fonda l'Abbaye de St. *Iaques* de l'ordre de St. Benoit a *Maience.* Il trepassa l'an 1060.“

Plura de eo apud SERRARIUM, & IOANNIS ad eumdem, legi poterunt.

Num. 9. FRIDERICUS I.

A) Iste HARTUICI I. & BERTHÆ *hungoricæ* filius lucem an. 1052 aspicere poterat, & ætatis suæ 23tio in munere advocati *Ratisponensis* succedere, quo etiam certe fungebatur an. 1075. Teste charta concambii inter OTTONEM *Ratispon.* & ELLINHARDUM *Frinsing.* Episcopos apud MEICHELBECK: *Hist. Frising. Tom. I. P. II. N.* 1233. *p.* 517. „ Factum est

hoc

Digitized by Google

hoc per ambarum familiarum advocatos FRIDERICUM (*de Bogen*) & EKKEHARDUM (*de Scheyren*) in præsentia amborum Episcoporum *Ratisponæ* an. dom. incar. MLXXV-IIII. Idus Sept. feria V. Testes &c. "

Alteri etiam commutationi inter eumdem OTTONEM Episcop. *Ratisbon.* & MEGINWARDUM *frising.* 1078 factæ iterum FRIDERICUS iste advocatus interfuisse legitur apud eumdem MEICHELBECKIUM *loc. cit. N.* 1258. *p.* 526.

B) HEINRICUS Imperator III. inter Reges quartus, huic FRIDERICO ob fidele servitium villas aliquot in Marchia *Cambensi* sitas cum libera potestate tradidit *Ratisbonæ* an. 1085. indict. VIIII. Non. Kal. April. (*Cod. prob. N.* 3.)

C) Ipso seculi XII. principio *Oberalteich nse* Monasterium ab *Hunnis* eversum, ope fratris sui ASCUINI denuo instaurare cœpit, restitutis, quæ hactenus in aliorum manibus versabantur, nonnullis proventibus, & libera Abbatem eligendi facultate concessa. (*Cod. prob. N.* 4.)

Hoc ipso autem tempore istam restaurationem factam fuisse, testem profero idoneum, quippe domesticum, qui loci sui historiam e documentis, & traditione non interrupta, melius utique, quam exteri, nosse poterat. Sic autem ille (*Mon. boic. XII.* 142.)

„ Noverit - - quomodo pie memorie domnus CONRADUS, cognomento *Piper*, venerabilis Abbas Monasterii S. PETRI in *superiori Altach*, quod circa an. Dom. Millesimo Centesimo nobilis domnus FRIDERICUS *Ratisponensis* Ecclesie re & nomine

mine advocatus renovavit *in provincia pognenſi* iuxta *danubium.* "

D) Equidem Scriptor vitæ B. ALBERTI ex Comite *Haygerlochenſi* Prioris dicti cœnobii apud *Bern. PEZIUM theſaur. anecd. Tom. I. P. III.* 540. *cap.* 2. *annum* 1102 aſſignat.

„ Eſt autem in *Bavaria* in *Ratisbonenſi* diœceſi, in provincia, ſeu dominio Comitum de *Bogen* ſupra ripam *Danubii* Monaſterium quoddam ſitum nomine *Oteraltach*, fundatum circa an. incarn. M. C. ſecundum ab illuſtri & nobili Domino FRIDERICO re, & nomine *Ratisbonenſi* advocato &c. "

In alio inſtrumento (*Cod. prob. N.* 4.) omnino annus 1104 ponitur.

Verum hæc annorum differentia, & adparens contradictio, ita combinari poterit, ſi ſtatuatur, anno 1100 reſtaurationem a FRIDERICO I. incœptam, ab eius filio, & germano 1102 continuatam, & demum an. 1104 conſummatam fuiſſe. Nec enim intra unius anni curriculum tantæ molis opus coarctandum videtur.

Certe autem ad an. 1100 vel primos menſes anni ſequentis referenda eſt traditio (*Cod. prob. N.* 5.) „ Et ipſe FRIDRICH (primus) & ADELHEIT uxor eius de proprio tradiderunt *Berindorf*, & *Landoldasdorf*, & unum manſum in *Aſchinkeim.* "

E) Convenit inter Scriptores *Boios*, & exteros, WELFUM *Boiariæ* Ducem poſt pervulgatam *Ieroſolymæ* occupationem

nem cum multis proceribus anno 1101 infaustam eo peregrinationem suscepisse, cui & FRIDERICUS iste intererat, eodem anno ibidem defunctus. Qua de re audire non pigeat *AVENTINUM Annal. boior. lib. VI. cap.* 1. *n.* 11. *m.* 580.

„ Postea in *Palaestinam* Kalendis Aprilibus (*Welfus* Dux) cum HERRANDO *Antoburito*, BERNARDO *Charino*, & HAINRICO *Regenburgensi* Praefecto, OTTONE & EKKARDO *Schirorum* regulis, VLRICO Episcopo *Bathavienſi*, FRIDERICO Comite a *Bogen*-militatum profectus est. - Per *Bythiniam* atque *Nicomediam* iter fecit magna difficultate. Turcis undique lacessentibus, inopia, peste comitibus absumptis *Hierosolymas* penetravit. Tandem omnibus amissis, dum reverti domum parat, in *Cypro Paphi* decedit, ibique humatus anno aerae nostrae millesimo centesimo super primum. BERNARDUS, & HAINRICUS, FRIDERICUS, *Hierosolymis* periere. “

F) Quamvis autem FRIDERICUS iste in *Palaestina* obierit, ossa tamen illius in patriam rediere, primo in monte *Bogen* tumulata, inde ad Monasterium *Oberalteich* translata & in egregio Mausoleo recondita, de quo testatur Codex manuscriptus sec. XV. imperitia Bibliopegae in margine truncatus, in haec verba:

„Dni MLXXIX IJ *dus*
augusti ossa fundatorum *friderici advoca*-
ti Ratisp. reformatoris *monaste*-
rii altach superioris Et *Ascuin*-
ni comitis fratris ipsius *& Vxorum*
ipsorum sunt translata ad *capellam*

Digitized by Google

S. Vdalrici de monte beate *Marie per ve*
nblem *p* abbatem popponem.

Item ibidem

Anno dom 1485 *in die*
S Dionyſii corpora com *itum de Bo-*
gen & Vxorum ipſorum tr *ansla-*
ta ſunt a capella S. V *dalrici*
quo ducentis, & plus an *nis con*
diti fuerunt & inventa f *uit*
una tabula in qua S *criptum erat*
q abbas Poppo eas ab (*forte*) *monte bogen*
ad eamdem capellam transt *ulit*
Chriſtannus abbas h. l. - - -
tit corpora eorum ad med *ium eccle*
& honorifice eos poſ *uit in ſe*
pulcro regali

Iterum ibidem.

Anno dni MCCCCLXXXV translata ſunt oſſa reformatoris noſtri, & fratris eius de Capella S. Vdalrici in ambitu per domnum Chriſtannum abbatem in ecclam ante altare bte V. Marie in monumentum novum cum uxoribus eorum. Anno dni MCCCCLXXX 8 depingitur ſepulcrum eorum per eumdem abbatem. "

G) Neque mirum cuipiam videatur, FRIDERICI huius exuvias, in *Syria* depoſitas, *Bavariæ* denuo fuiſſe illatas. Ita enim illo tempore mos obtinuerat, ut Principum extra patriam defunctorum reliquiæ ad proprios lares, præſertim ad locum tumuli iam prius electum, deferrentur. Certe WELFONIS

Digitized by Google

FONIS Ducis, quem FRIDERICUS noſter devotionis ergo comitatus fuerat, in *Cypri* inſula decedentis, ibidemque ſepulti, oſſa inde *poſtea* ſublata, ad *Altorfenſe* in *Suevia* Monaſterium translata, & repoſita ſunt, quod teſtatur *Anonymus Weingartenſis de Guelfis Principibus cap. VIII. §. IV.* qui etiam *cap. XIV. §. XI.* id ipſum memorat de pluribus Epiſcopis & laicis Principibus an. 1167 in exercitu FRIDERICI I. Imperatoris peſte extinctis, cuius hæc ſunt verba:

„ Maxima enim pars exercitus interiit. Epiſcopi *Colonienſis . . . Spirenſis, Ratisponenſis, Bragenſis, Werdonenſis, Leodienſis*, ac ceteri - - Principes FRIDERICUS ſcilicet *Dux, filius* CONRADI *Regis*, GUELFO *Dux*, *filius* GUELFONIS *Ducis*, BERENGARIUS *Comes de Sulzbach.* HENRICUS *Comes de Tuingen.* (Tubingen.) Cum pluribus regni huius maioribus occubuerunt (*in Italia*). Quorum omnium oſſa carnibus per excoctionem conſumtis ad propria reducta ſunt. Translata ſunt autem & oſſa GUELFONIS *noſtri*, & in Monaſterio *Steingaden* a patre ſuo fundato repoſita ſunt. "

H) De ERNESTO III. *Auſtriæ* Marchione ad *Vnſtrutam* in *Saxonia* an. 1075 ex vulnere mortuo; de FRIDERICO *catholico* in *Palæſtina* an. 1198; de LEOPOLDO *glorioſo* an. 1230 in *Italia* extinctis *Auſtriæ* Ducibus idem legere eſt apud *Sigiſmundum* CALLESIUM *Annal. Auſtriæ I.* 377. *II.* 152. 252. „ Voluit nempe hic LEOPOLDUS, ut ſcribit ORTILO ibidem allegatus, cor ſuum, & viſcera requieſcere in templo S. Patris noſtri BENEDICTI (*in monte Caſſino*) . . . Oſſa vero ſua apud nos (*in monaſterio campililienſi*). Propter hoc viſcera eius, & carnes frixas, ut oſſa ſeparari poſſent, in dicto monte

Caſſino ſepulta ſunt - . Sed oſſa Miniſteriales Ducis in *Auſtriam* ſuam (ſecum) reduxerunt. "

I) Paria de CONRADO II. *Bohemiæ* Duce apud *Neapolim* an. 1191 peſte abſumto, carnes eiusdem in monte *Caſſino* poſitas, ſed oſſa (pro uſu illorum temporum excocta) *Pragam* fuiſſe depoſita ex chronographo *Siloenſi* commemorat *Cl. D. Gelaſius DOBNER Annal. Bohem. P. VI.* 600.

K) Quidni idem FRIDERICO noſtro accidiſſe exiſtimemus, cuius, germani ſui ASCUINI, & utriusque coniugum oſſa, nuper denuo recognita, propter altare S. CRUCIS e medio Baſilicæ clauſtralis remotum, alio loco decenter fuerunt repoſita, ſequente ſupra tumbam marmori inciſa ad memoriam inſcriptione;

CENO-

Digitized by Google

CENOBIUM . ISTVD
VTILONIS . BOIARIÆ . DUCIS .
OPUS.
HVNNORVM . RABIE . EVERSVM .
A. M. C. RESTAVRARVNT . DOTARVNT .
INLVSTRES . COMITES . A . BOGEN .
GERMANI . FRATRES.
FRIDERICVS I. ASCVINVS .
QVORVM . CONIVGVM . QUE
ADELHEIDIS . LVTGARDIS .
OSSA . VENERANDA .
OLIM . IN . MONTE . B. V. DEPOSITA .
PER . VEN. ABB. POPPONEM. A. M. CC. LXXVIIII.
AD . MONASTERIVM . TRANSLATA.
A . IOANNE . ABB. A. M. CCCC. XVIII.
CONSPICVO . MARMORE . TECTA .
CVRA . ABB. CHRISTANNI. A. M. CCCC. LXXXV.
IN . MEDIO . CHORI . REPOSITA .
GRATÆ . MEMORIÆ . ERGO .
HEIC . LOCAVIT . ORNAVIT .
IOSEPHUS . MARIA . ABBAS
A. M. DCC. LXXXII.

Digitized by Google

Ectypon ipsius lapidis sepulcralis aeri commissum exhibet *tabula III.* Diem obitus signat necrologium loci: „A IIII. Kal. Nov. FRIDERICUS fundator noster advocatus Rat. plenum officium fiat.“ Subiungit iunior manus, *non verus fundator, sed restaurator.* In cenotaphio quoque *Reformator nostri monasterii* adpellatur.

L) Quoad annum obitus MCI. supra ab AVENTINO (E.) assignatum, contradicere sibi idem Scriptor videtur, dum *Annal. IV. cap. 6. §. 18. p. m. 658. scribit:* „Idem FRIDERICUS (*primus*) ex ADELHEIDE tulit VLRICUM sacerdotem, & FRIDERICUM minorem. Fato concessit anno ab orbe servato MCIIII.“

Videtur eidem imposuisse scutum gentilitium huius FRIDERICI I. ab abbate CHRISTANNO an. 1488 (F) sculptum, pictumque pone tumbam olim, hodie e regione positum cum hac inscriptione: „Friderich der Erste dis Namens Graf von Bogen Stüffter des Closters obern-altaych starb anno dom. 1104.“ *Tab. II. n. 6.*

Forte hæc inter se ita conciliari possunt, ut inscriptio scuti, quam AVENTINUS sequutus est, intelligatur de anno, quo illius ossa ex Oriente, ubi an. 1101 defunctus fuerat, ad montem *Bogensem* translata, ibidemque primo terræ mandata sunt. Poterat enim falli Abbas CHRISTANNUS, quatuor pene seculis recentior, ut annum *translationis* pro anno *obitus* acciperet, sicque etiam AVENTINUM in errorem induceret.

Num.

Num. 10. ADELHEIDIS Vxor FRIDERICI I.

A) Priusquam iſtam coniugem in plena luce conſtituam, corrigendus eſt error GANSERI, qui inter FRIDERICUM I. & *ſecundum*, LUTGARDÆ maritum, alium FRIDERICUM intrudit, quem *ſecundum* eſſe iubet, eique hanc ADELHEIDEN, *primo* ademptam, iungit, & conſequente errore loco *trium*, *quatuor* FRIDERICOS *de Bogen*, *Ratisbonenſes* advocatos confingit.

B) Novationis huius fundamentum ſumit e necrologio Scotorum *Ratisbonæ*, ubi ad diem ſextam Auguſti & an. 1088 legitur: „Dna LUTGARDIS filia Marchionis de *Vohburg*, uxor FRIDERICI Comitis de *Bogen*, bona, quæ habuit in *Barbling* S. MARIANO, & Eccleſiæ S. PETRI *conſecrati* donavit, ubi ſepeliri voluit. “

Noverat adverſarius, quippe amice a me præmonitus, periiſſe, aut alicubi deliteſcere necrologium vetus, & quod hodie exſtat, e memoria, cui præfidebat, ſcriptum fuiſſe a reverendiſſimo D. *Bernardo* BAILLE, celeberrimo huius loci Abbate, a cuius ore melliſluo, utpote temporis ſui oraculo, aliquamdiu (utinam diutius!) pendere mihi licuit: quam ſtudiorum meorum intercapedinem inter præcipuas vitæ præſentis delicias alta mente repoſitam teneo.

Verum GANSERUS, ut erat præceps, & præiudicii tenax, errori ſuo immori, quam renuntiare maluit.

Quam fidem mereatur heſternus codex in factis ſeculi XII, comprobandis, uno exemplo demonſtraſſe ſufficiat. Legitur

gitur in eodem ad diem 17. Iulii: „Dna BERTHA ſoror S. LEOPOLDI Marchionis *Auſtriæ*, uxor HENRICI Comitis de *Rietenburg*, Iudicis in Nordgaw, quæ pro remedio animæ ſuæ monaſterio contulit vineas - - in *Auſtria*, ſepulta in campanili 1119. "

C) Heic pene tot errores, quot verba comparent. *Primo* enim BERTHA, non *ſoror*, ſed *filia* fuit S. LEOPOLDI, teſte authore anonymo *Narrationis genealogicæ liberorum S. LEOPOLDI*; apud *Hieron. PEZ. Script. Auſt. I.* 575. Primogenita filiarum fuit PERTHA, quam duxit HAINRICUS Purcgrafius *Ratisponenſis*. "

Secundo, quo pacto iſta Princeps an. 1110 nata, an. 1133 HENRICO nupta, iam anno 1119 defuncta dici poteſt, quo ne nubere quidem per ætatem licuerat? Nativitatis autem, nuptiarumque annos prodit *Excerptum Richardinum apud Chryſoſt. HANTHALER* in *faſtis Campililienſibus* editum *Tom. I. p.* 1311. „BERTHA nata A. M C X. nupſit HENRICO Burggravio *Ratiſp.* A. MCXXXIII. "

Tertio, teſtatur *Sigismundus CALLES Annal. Auſtriæ I.* 492. *Nota* B. allegans *chronicon MS. Collegii Soc. Ieſu Viennæ*, conſtare ex Annalibus *Ratisponenſ.* MS. BERCHTAM an. 1141 mortuam ibi, & ſepultam apud *ſcotos*, quorum fundatores ſunt Comites de *Rietenburg*."

Quarto, quis unquam legit, vel audivit, HENRICUM Burggravium, dictum fuiſſe *Iudicem in Nordgaw*? *Ratisbona* enim ad *Boioariam meridionalem* pertinebat. Vide pluribus citatos HANTHALER, & CALLESIUM.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam igitur circa BERTHAM *auſtriacam* tantopere aberrat laudatum necrologium; an maior ei fides quoad LUTGARDEN *Vohburgicam*? Præſertim, poſtquam ſolertiſſimus HUNDIUS in *Stemmatographia*, & Cl. PFEFFELIUS in ſua horum Marchionum *Genealogia* operoſe contexta, *commentationum hiſtoricarum Academiæ boicæ. Vol. I. & II.* inſerta, nullam deprehendere potuerunt.

D) Occurrit quidem LUTGARDIS quæpiam apud utrumque, DIEPOLDI I. circa an. 1115 *uxor*, non *filia*, quam utique nemo ſobrius FRIDERICO I. an. 1101 defuncto copulaverit, ex mente GANSERI 1088 fatis functam.

Dabo nihilominus perſiſtere apud *Scotos Ratisbonæ* gratam alicuius LUTGARDIS erga monaſterium ſuum beneficæ memoriam; hæc alia eſſe non potuit, quam FRIDERICI II. coniux, (N. 12.) minime autem *Vohburgica*; priorem enim indigitat *AVENTINUS Annal. boic. VI. cap. 2. n. 22. p. 586.* utpote BERTHÆ ſynchronam.

„ FRIDERICUS *Fronthuſius*, OTTO *Ritoburgenſis* præfectus urbis, frater eius HAINRICUS cum uxore BERTHA, quæ filia fuit D. LEOPOLDI auſtriaci, LITOGARDA, uxor FRIDERICI (*ſecundi*) *a Bogen* curatoris templi *Reginoburgenſis* - - - grande monaſterium D. IACOBO, & GERTRUDÆ intra (olim extra) mœnia urbis condunt, Comites de *Laabe*, & *Rietenburg* prædia apud *Nariſcos* tribuunt, illorum ibidem Monumenta exſtant. BERTHA ibidem ſepulta vineas in *Auſtria* donavit. “

Digitized by Google

E) Sed & HENRICUS V. hoc nomine Imperator in diplomate dato an. MCXI. non alterius, quam FRIDERICI *ſecundi* advocati meminiſſe potuit, monaſterium IACOBI recens exſtructum in ſuam tutelam recipiens ſequentibus verbis: „Noverit . . . quod pro remedio animæ patris noſtri HEINRICI *quarti* Imperatoris, rogatu *Scotigenarum*, nec non ob interventum Principum noſtrorum ALBERTI *Moguntinenſis*, ADELBOLDI *Magdeburgenſis*, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum videlicet OTTONIS *Babenbergenſis*, VDALRICI *Conſtantienſis*, Comitum quoque HERIMANNI de *Saxonia*, GOTFRIDI de *Caloen*, HERMANNI Marchionis, & aliorum noſtrorum fidelium in noſtrum Mundiburdium ſuſcepimus tutelamque Eccleſiam *Ratisbonæ*, quæ iacet ante portam occidentalem, quæ *Roſilint* porta dicitur, quam OTTO *Ritenburgenſis* urbis præfectus *Ratiſbonæ*, & alii quidam ex civibus prænominatæ civitatis . . . emerunt, - - aſſenſu quoque HARTWIGI venerabilis *Ratiſponenſ.* Epiſcopi, FRIDERICI (ſecundi) advocati. *Ottonis* Comitis, ALBERTI Comitis (*de Windberg*) HENRIC advocati - actum *Goſlariæ*. "

F) Certe FRIDERICUS I. 1101 defunctus huic negotio intereſſe, & conſentire non poterat. Si quam ergo fidem novitium iſtud necrologium meretur, hunc in modum corrigendum erit: „Dna LUTGARDIS uxor FRIDERICI (*ſecundi*) Comitis de *Bogen*, bona, quæ habuit (forte contradotis nomine) in *Barbling S.* MARIANO, & Eccleſiæ S. PETRI *conſecrati* donavit, ubi ſepeliri voluit an. 1188." Hæc enim matrona circa an. 1112 nata (Num. 10. M.) & anno 1150 certo ſuperſtes, facile ad annum 1188 ſupervivere potuit, plus quam ſeptuagenaria, quod vel hodie, attenuatis licet vitæ annis, inter portenta minime numerandum. Aut vir ſumpus necrologii

logii Scriptor, forte memoria lapſus, LUTGARDIS loco IUDITHAM, certe *Vohburgicam*, FRIDERICI III. coniugem, ſcribere volebat, & errore calami pro centenario *xerum* in anno obitus poſuit: ſic igitur legendum cenſeo:

„ *Dna* IUDITH filia Marchionis de *Vohburg* uxor FRIDERICI (III.) Comitis de *Bogen*, bona, quæ habuit in *Barbling* S. MARIANO, & Eccleſiæ S. PETRI *conſecrati* donavit, ubi ſepeliri voluit anno 1188. “

G) Fortius ad ſpeciem præſidium adverſæ Hypotheſi præbere potuerat ſequens fragmentum ab HUNDIO in *Metropoli. Tom. II. p. m. 2. e Cod. tradit. monaſterii ſuperioris Ratisbonæ* deſultorie excerptum, quod miror GANSERUM fugiſſe, ego autem cauſæ meæ confiſus ultro profero: „ LUIKARDIS nobilis matrona, uxor FRIDERICI advocati eccleſiæ, *materque ſecundi advocati FRIDERICI* dedit. “

H) Hæſitavi tantiſper, non diffiteor, cum in hunc locum omnia alia agendo inciderem, legeremque LUTGARDEN, FRIDERICI II. *matrem*, adeoque *primi uxorem*, parumque aberat, quin victas manus darem. At ubi integras traditiones *anecdotas*, amica manu communicatas, accepi, adeo omnis ſcrupulus evanuit, ut inde ſyſtema de *tribus*, non *quatuor* FRIDERICIS, deque LUTGARDE *ſecundi* coniuge, inde maxime firmatum exiſtimem, & lectori, a partium ſtudiis libero, perſuaſum iri confidam.

I) Ecce igitur Codicis huius traditiones! „ *Pag.* 36. Noverint tam futuri, quam præſentes, quod quædam nobilis matrona nomine LIUTKARD, ſcilicet uxor FRIDERICI advocati

Digitized by Google

materque ſecundi advocati FRIDERICI potenti manu tradidit ad aram ſce MARIE quoddam prædium in villa *Puningen* ſitum pro remedio anime ſue omniumque parentum ſuorum. Huius rei teſtes ſunt pet aures tracti ſervientes ſibi *Lantolt*, *Chunrat*, *Hartmann*. & de familia S. M. *Walehun Pilgrim*. *Merbot*. *Ferhtolt*. *Chunrat*. "

K) „ *Pag.* 36. Notum ſit Xi fidelibus tam futuris, quam preſentibus, quod *predicta* matrona LUIKARDIS predium ſuum *Ebelingen* absque omni contradictione in manus *palatini* FRIDERICI contradidit delegandum ſuper altare Sce MARIE in *ſuperiori Monaſterio*. Huius rei teſtes ſunt per aures tracti, *Dietmar* de *ergoltingen*. *Herman* de *Aribenhoven*. *Ilſunch* de *Wezzenſtetten*. *Gotpolt* de *Gieſenbach*. *Hahtwin* de *Humbeleſdorf*. *Dietmar* de *Sunechingen*. *Pilgrim* de *Giſilheringen*. *Hagen* de *Lengenvelt*. *Rapoth*. "

L) Hem! LUTGARDEN, quæ in priori traditione Mater FRIDERICI *ſecundi* adpellatur, ſynchronam FRIDERICO *palatino*, quo nomine ſeculo XI. nullus in *Bavaria* exſtitit. Seculo autem XII. duo florebant FRIDERICI *palatini de Wittelsbach*, unus OTTONIS IV. *ſenioris* germanus, inter fratres barbatos *Inderſtorfii* an. 1195 defunctus: alter OTTONIS dicti filius, poſito militari cingulo *Ensdorfii* 1196 ſepultus, quorum neuter an. 1088 quo LUTGARDIS *ganſeriana* obiiſſe fingitur, ne in cunis quidem vagire, ne dicam, *Palatini* officio fungi per ætatem poterat, niſi vitam ultra 130 annos protraxerit. Hinc & iſta LUTGARDIS ad medium ſeculi XII. referenda eſt.

M)

Digitized by Google

M) Eccur autem, dicet nonnemo, iſta LUTGARDIS FRIDERICO *Palatino* coæva, mater FRIDERICI *ſecundi* adeoque & uxor FRIDERICI *primi* diſſerte adpellatur?

Reſponſum in promtu eſt. Traditionum Scriptor, qui ſæc. XII. adulto vixit, facile ignorare potuit, FRIDERICUM I. iam 1101 extra patriam in *Palæſtina* defunctum; ideoque FRIDERICUM, quem LUTGARDÆ maritum noverat, *primum* eſſe credidit, patremque *ſecundi* æquivoci, qui re ipſa *tertius* erat.

N) Nequid omnino diſſimulem, quod *ganſeriano* ſyſtemati vel ad ſpeciem favere videtur, ſubiicio traditionem monaſterio *Mallerſtorfenſi* factam, nuper repertam, nec, dum hæc ſcribo, editam huius tenoris:

„ Anno domini Mille. C. XX. Indictione XIIII. Epactis exiſtentibus nullis, concurrentibus IIII. advocatus noſter *iunior* videlicet FRIDERICUS Comes *cum matre ſua domina* LEWKARDE manſum apud *Praitenaw* ſitum contradidit reliquiis ſancti IOANNIS *Evangeliſtæ* aliorumque Sanctorum in preſencia *beati Purchardi* primi abbatis. Et fratrum *Emichonis*, *Hartwici*, *Erchinberti*, *Sigefridi barbati* in uſu noſtro, & noſtrorum ſucceſſorum perpetuo manſurum. Pro requie videlicet anime *patris ſui* & ſuorum debitorum, & omnium fidelium defunctorum. Obitus eius eſt IIII. Kalendas Novembris, quem Dominus dignetur adiungere ſuis electis.“

O) Si hæc traditio, ut iacet, ſine emendatione recipienda eſt, ſermo foret de FRIDERICO II. cuius pater obiit IIII. Kal. Novemb. (N. 9. K.) tunc autem continet manifeſtum errorem; nam

Digitized by Google

1) eius mater non erat LEWKARDIS, ſed ADELHEIDIS (ex hoc N.) nec poterat illa, quippe ante an. 1112 nondum nata, (N. 130.) hoc tempore 1120 octennis, mater fuiſſe ullius prolis.

2) Cum FRIDERICUS hic dicatur *iunior*, quod adiectum FRIDERICO III. congruit LUTGARDÆ filio, (N. 17.) illeque fingatur coævus BURCHARDO Abbati 1122 defuncto, quo tempore lucem nondum aſpexerat FRIDERICUS III. an. 1126 naſciturus; iam novus error in omnium oculos incurrit. Neque id mirum; nam ſæpius ceſpitavit hic Scriptor, dum

3) anno 1120 ponit indictionem XIV. quæ erat XIII. dum

4) ait, epactas hoc anno exſtitiſſe *nullas*: erant enim XVIII. &

5) BURCHARDUM adpellat *beatum*, manifeſto iudicio, hanc traditionem diu poſt obitum eius huic membranæ inſcriptam fuiſſe. Imo ex integro Codice diligenter a me perluſtrato deprehendi, Scriptorem vixiſſe poſt an. 1393, quo datum eſt inſtrumentum Codici huic eadem prorſus manu, qua traditio, per omnia exaratum.

P) Vt igitur fua huic traditioni, quæcumque demum competit, veritas conſtet, ſic emendanda erit, ut vel omittantur verba: (*cum matre ſua Lewkarde*) utpote, quæ an. 1120 *mater* nondum fuerat: aut anno MCXX. ſubſtituatur MC XL. qui FRIDERICO tertio congruit.

Conſtat

Digitized by Google

Conſtat enim ex traditionibus *oberaltacenſibus* (*M. B. XII.* 32. *ſeq.*) quod „ FRIDERICUS *iunior ratisponenſis* advocatus, FRIDERICI, & LIUTKERDÆ filius, fratruelis OUDALRICI *eihſtetenſis* Epiſcopi delegaverit - - ad monaſterium Sci IOHANNIS in *Madelhardeſdorf* curtem unam cum duabus vineis. “ Idque tempore Abbatis *oberaltachenſis Liutkeri* an. 1137 defuncti (*Cod. prob. N. XIV.*). Neque ſic tamen omnis error abeſſet; cum FRIDERICO iſti parens tribuatur, IIII. Kalend. Novemb. defunctus, quæ dies ad FRIDERICUM *primum* referenda eſt. Annus enim, diesque obitus FRIDERICI II. qui verus pater erat FRIDERICI *tertii*, adhuc ignotus eſt, nulli necrologio, quod ſciam, inſcriptus.

Ex iſtis autem obſervationibus chronologicis ſatis adparet, Scriptori huic tres FRIDERICOS fuiſſe incognitos, & tertium, *iuniorem* dictum, cum *ſecundo*, eidem ignorato, confuſum, id quod etiam Scriptori traditionum *otermünſterienſium* (hoc Num. Q. ſeq.) & alteri anonymo auctori *genealogiæ Windbergo-Bogenſis* (N. 13. G. H.) accidit, qui nonniſi duos FRIDERICOS, *primum*, & *tertium* noſſe, *ſecundum* autem intermedium ignoraſſe videntur. Iam vero poſt edita Monumenta *oberaltacenſia* de tribus FRIDERICIS dubium ſupereſſe nequit. Penſatis igitur omnibus, emendationi primæ inhæreo, & verba (*cum matre ſua Lewkarde*) expungenda eſſe cenſeo, quippe a ſciolo quopiam inepte adiecta.

Q) Eadem *Fridericorum* æquivocatio AVENTINO, HUNDIOque impoſuit, ut *ſecundum* cum *primo* confunderent, eidemque nunc ADELHEIDEN, nunc LUTGARDEN coniugem tribuerent. Omnia autem recte fluunt in meo ſyſtemate, ubi ADELHEIDIS FRIDERICI *primi*, LUTGARDIS autem *ſecundi* coniux, mater-

materque *tertii* adparet, quo numero III. etiam *Fridericus* iunior, IUDITHÆ maritus, in duobus Codicibus MS. *oberaltacenſ.* exprimitur, manifeſto indicio, maioribus eiusdem, ætati illi proximis, nonniſi *tres* FRIDERICOS notos fuiſſe.

R) Miſſa ergo LUTGARDE, FRIDERICO II. ſervanda, ad genuinam FRIDERICI I. coniugem me iam converto. Genus eius quod adtinet, conſtans eſt huius monaſterii, ab ipſa cum marito, & affinibus comitibus de *Windberg* reſtaurati, traditio ab AVENTINO, HUNDIO, & ſequacibus adoptata, filiam fuiſſe MAGNONIS *Saxoniæ* Ducis, *Billungorum* ultimi, ex coniuge SOPHIA BELÆ I. *Hungariæ* Regis filia natam, WULFILDIS HENRICO *ſuperbo*, & RICHARDIS EKKEBERTO *Schyrenſi* nuptarum ſororem; (*Tab.* C.) ut ideo FRIDERICUS II. ADELHEIDIS noſtræ filius, ARENPECKIO, AVENTINO, & HOCHWARTO recte *conſobrinus* dicatur HENRICI *ſuperbi*, & OTTONIS IV. *Wittelsbachici*, eoquod horum trium matres germanæ ſorores fuerint, ut videre eſt *tab.* C.

S) Nec obſtat traditioni huic domeſticæ, quod anonymus *Weingartenſis* de *Guelfis Principibus*, eumque ſequutus *Annaliſta Saxo Eccardinus*, quatuor ſolum SOPHLÆ filias memorent, prætermiſſa ADELHEIDE; hoc enim ſuo ſilentio, tanquam argumento mere negativo, *quintam* non excludunt, quam & ignorare poterant: quemadmodum chronicon *Luneburg. apud Eccard. Script. rer. germ. Tom. I. col.* 1358. *binas* ſolum SOPHLÆ filias ex MAGNO Duce recenſens, reliquis minime præiudicat. Sufficiant Scriptores patrii, rerum domi geſtarum melius conſcii.

Magis

T) Magis obſtare videtur ſanguinis propinquitas, cum FRIDERICUS I. & ADELHEIDIS, *conſobrini*, quippe duarum ſororum SOPHIÆ, & BERTHÆ liberi, ſecundo gradu computatione canonica iuncti fuerint.

At quis neſcit, conſanguinitatem ſecundi gradus in linea collaterali, iure naturæ, aut divino poſitivo, matrimonium non dirimere, & veniam Principibus ab eccleſia concedi non raro conſueviſſe, quam heic ſubponere licebit.

V) Alius adhuc ſcrupulus, a GANSERO quoad iſtam ADELHEIDEN, & FRIDERICUM I. iniectus, obportune removendus eſt.

Legerat ille *vol. XII. p.* 17. traditionem ſequentem: „BERTHOLDUS quidam præpotens & nobilis, & ſui fratres ENGILBRETH ſcil. OUDALRICH, filii OUDALRICI de *Rotta* delegaverunt hereditatem ſuam in manus ASCUINI de *Zidlazin* ea ratione, ut poſt obitum eorum Deo, & ſacris eius ſervitoribus traderet. Quam traditionem ipſe ASCUIN in manus nepotis ſui FRIDERICI (ſecundi) filii FRIDERICI (primi) delegavit. Proinde notum ſit, - - qualiter ipſe ASCUIN curtile unum in villa *ſuperiore Altaha*, & *Mattingan* Deo, & S. PETRO tradidit, & FRIDRICH (ſecundus) ſicut in fide ſuſcepit, *Eiterhoven*, & *Mandivoldesveldam*, & montem, qui dicitur *Grint*, & quidquid inibi habuit PERTHOLDUS S. PETRO tradidit. Et ipſe FRIDERICH, & ADELHEIT uxor eius de proprio tradiderunt *Berindorf.*“

Heic, gloſſatore GANSERO, tam contextus, quam vox relativa *ipſe* clare denotant FRIDERICVM II. virum ADEL-

Digitized by Google

HEIDIS, quæ ideo FRIDERICI I. uxor esse non potuit. Inde ex necrologio *Scotensi* veram uxorem FRIDERICI I. LUTGARDEN *Vohburgicam*, detexisse sibi videbatur.

W) Postquam autem (N. 10.) liquido commonstravi, istam LUTGARDEN prosus fictitiam, & auctorem recentissimi necrologii memoria lapsum esse, hæc obiectio plane concidit, & naturalis verborum sensus est sequens:

Subpono, hanc traditionem fratrum *Rottensium* factam primis mensibus anni MCI. quo FRIDERICUS I. cum WELFONE Duce sepulcrum Domini nuper recuperatum visitare proposuerat, & cum ipso Aprilis principio eo profectus est, facile in hoc itinere decessurus, nec nisi in ossibus suis reversurus. Quoniam igitur traditionem *ipse*, utpote absens futurus, & forte non amplius exstiturus, exsequi non potuit, hinc persuasit BERTHOLDO, ut traditionem suam in manus filii sui, FRIDERICI *secundi*, delegaret, quam hic lubens suscepit, & exsecutus est. Volebat autem FRIDERICUS proxime discessurus de suo etiam aliquid pro more conferre; hinc additur: „Et *ipse* FRIDERICH, & ADELHEIT uxor eius de proprio tradiderunt.“ - - Quis heic non videat FRIDERICUM I. cuius solius uxor fuerat ADELHEIDIS, LUDGARDE Vohburgica nullibi præterquam in necrologio *Scotorum* erronee existente, cuius nulla *Oberaltachii* memoria, etsi plures aliæ LUTGARDÆ occurrant, suis locis proferendæ.

X) Post FRIDERICI I. 1101 discessum non alius per plures annos præter FRIDERICUM secundum, ADELHEIDIS, hinc & mariti sui FRIDERICI I. filium, signanter ita adpellatum, in istis traditionibus legitur. Sic post recitata superius ver-

Digitized by Google

verba: „*Et ipſe Fridrich* - ſequitur *p.* 18.“ Item Dna ADELHEIT in eadem *Altaha* curtile unum tradidit. Item filius eius OUDALRICH . . HARTUICH filius ADELHEIT... Item domna ADELHEIT medium manſum - *p.* 19. Item filia eius TOUTA. Item FRIDERICH filius eius (ſcil. ADELHEIDIS). Hic certe non poteſt intelligi *tertius* an. 1125 nondum natus (N. 17.) - HARTUICH filius domnæ ADELHEIT. - *p.* 21. *ADELHEID mater FRIDERICI* - Eadem *ADELHEID*.“ &c.

Y) Occurrit quidem in iſta traditionum congerie *pag.* 21. „LUITGARD mater FRIDERICI.“ Quoniam vero hæc uxor fuerat FRIDERICI ſecundi; (N. 13.) hinc intelligenda eſt mater *tertii*, anno 1124 nupta, additurque *to mater FRIDERICI*, ut ab altera *LUTGARDE Windbergica* diſcernatur.

Sed notanda præ primis eſt charta anno 1104 data *p.* 15. „Sicut - quapropter cognoſcat, quod quidam præpotentes & timorati homines, videlicet ADELHEIT advocata (vidua FRIDERICI an. 1101. defuncti) & NB. tres filii eius VDALRICH clericus FRIDEREICH advocatus matricule Tyberine civitatis, (*Ratisbonenſis*) HARTWICH, & LEUKART de *Windberg*, & duo filii eius BERTHOLDUS, & ADALBERTUS Comites, per Spiritum, qui loquitur ad cor Ieruſalem, compuncti traditionem cuiusdam loci *Altach* nominati, qui iuxta ripas *danubii* ſitus eſt, in feſtivitate Appoſtolorum PETRI, & PAULI in preſencia EGINONIS eiusdem loci Abbatis innovaverunt . . . Et teſtes ſunt he nobiles perſone. FRIDERICUS advocatus, BERCHTOLDUS de *Logen*, HARTWICH de *Ceydlarn* &c. anno dominice Incarnationis MCIIII.“

Z) Ecce FRIDERICUM anno poſt obitum Patris tertio, eccleſiæ *Ratisbonenſis*, & monaſterii Oberaltacenſis advocatum ADELHEIDIS filium! qui utique alius a *ſecundo* eſſe nequit, EGINONI an. 1105 ſynchronus, cum FRIDERICUS tertius, LUTGARDIS *Bohemicæ* filius, an. 1125 natus nondum fuerit.

Fallitur ergo GANSERUS, dum FRIDERICI *ſecundi* obitum ad annum 1104 incaute refert, quem forte apud AVENTINUM legit; qui tamen de FRIDERICO I. *loquitur* (L.) & tertium cum ſecundo confundit. (N. 10. Q.)

Aa) Inſuper ex ætate VDALRICI, tunc *Clerici*, pronum eſt colligere, eum non FRIDERICI II., uti GANSERO placet, ſed *primi*, hinc & ADELHEIDIS uxoris eiusdem filium exſtitiſſe, ſi computum chronologicum ducimus.

Hic enim 1112 ætatis ſaltem 25 ad Epiſcopatum *Eyſtettenſem* promotus, anno 1087 natus eſſe debuit. Inde aſcendendo ad annum 1051, quo BERTHA *hungarica* HARTUICO I. FRIDERICUM I. peperiſſe ſubponitur, intrà ſpatium 36. annorum tres generationes in linea rectà admitti debent; ſcilicet FRIDERICI I. FRIDERICI II. filii, & Vdalrici nepotis FRIDERICI I. Quodſi, uti idem GANSERUS, omnis chronologiæ oblitus, contendit, FRIDERICUS, illi *tertius* ante annum 1125 iam vivere deſierit; tunc ulterius conſequitur, ab anno 1051 ad an. 1082 quo natus eſſe debuit FRIDERICUS *ille tertius*, anno 1104 iam advocatus, anno ætatis ſaltem 22. intra 31. annorum decurſum tres FRIDERICOS, & duos fratres, cum totidem ſororibus, in linea rectà procreatos fuiſſe, quæ portenta quis valebit concoquere?

Si

Digitized by Google

Si exoriatur forte aliquis GANSERI ex oſſibus ultor; hunc anticipato rogaverim, velit tribus hisce FRIDERICIS congruum, & ſaltem poſſibilem nativitatis annum aſſignare, ſimulque perpendere, *quartum* illum, GANSERO ſic dictum, *tertii* ante an. 1125 defuncti filium, hoc ipſo anno nondum exſtitiſſe, ut ex ſequentibus manifeſtum evadet.

In meo ſyſtemate trium *Fridericorum* omnia plana ſunt. Vnicuique certa aſſignatur coniux, congrua ætas, & mortis annus, quin neceſſum habeam, annos prorſus ignorare, aut ad fictitiam uxorem confugere.

Bb) Sit igitur ADELHEIDIS, uxor FRIDERICI I. mater *ſecundi*, & trium adhuc prolium, quas certo novimus.

Quousque autem hæc matrona vitæ ſuæ dies protraxerit, nondum liquet; credibile eſt, eam viduitatis ſuæ tempore, & ætate admodum provecta, rerum mundanarum pertæſam, inter ſorores converſas *Windbergenſes* ad ſuperos abiiſſe die XIII. menſis Iunii, quod ſuſpicari fas ex necrologio *Windbergenſi vol. XIV. Mon. boic. p.* 99.

„ Idus Iunii ADELHEIT converſa comitiſſa " nec enim alia obportune occurrit. Inde autem ad ſuum maritum in monte *Bogenſi* delatam, & ad monaſterium noſtrum translatam, patet ex N. 9. K.) ubi hodie requieſcit.

Digitized by Google

Num. 11. VDALRICUS FRIDERICI I. & ADELHEIDÆ filius.

A) Inter reliquos horum parentum liberos primo loco nominatur VDALRICUS, iam ab ann. 1104 clericali militiæ adſcriptus. Iurene primogenituræ, an titulo clericatus, fratribus ſuis præponatur, quis divinaverit? Forte utroque. Sic autem habet traditio (*Cod. prob. N. IV.*) „Quapropter cognoſcat induſtria, quod - - ADELHEIT advocata, & tres filii eius VDALRICH clericus, FRIDERICH advocatus (Ratisbon.) HARTWICH anno MCIIII "

B) Circa an. 1087 primam lucem aſpexiſſe N. præcedenti probabili coniectura aſſerui.

An. 1112 aliquem VDALRICUM ad Epiſcopatum *Eyſtettenſem* fuiſſe promotum teſtatur FALKENSTEINIUS *in antiquitat. Nordgav.* de hoc Epiſcopatu *p.* 28. §. *I.* cuius genus hactenus ignorabatur, etſi chronicon quoddam MS apud *LAZIUM de migrat. gentium p.* 320. apud *cit. FALKENSTEINIUM p.* 127. §. *IV.* notet, *Eberhardo* eodem anno VI. Ian. defuncto ſucceſſiſſe *Fridericum* Comitem de *Bogen.* Recte omnino; modo loco FRIDERICI poſuiſſet VDALRICUM, filium FRIDERICI primi. Illud enim iam certum redditur ex Monumentis *Obermünſterianis vol. XII. p.* 32. ubi FRIDERICUS iunior, (*tertius*) *Ratisbonenſis* advocatus, FRIDERICI, & LUITKARDÆ filius, *fratruelis OUDALRICI eihſtetenſis Epiſcopi*, multa prædia a ſupradicto *patruo* ſuo OUDALRICO, videlicet *eichſtetenſi præſule* ſuſcepta hereditario iure ſe ſe poſſediſſe profitetur. (*Cod. prob. N. XIV.*) Conſonat traditio *Priſlingenſibus* facta *vol. XIII. p.* 60. ſuo loco in FRIDERICO III. alleganda.

C)

Digitized by Google

C) Optime eum præfuiſſe, teſtatur HEUSLERUS in *templo virtutis, & honoris p.* 41.

Anno 1125 peſtifera lue ſublatum, fidem faciunt *Annaliſta Saxo*, & Abbas *Vrſpergenſis* ad hunc annum: „Hoc etiam anno nonnullos ex nobilibus una cum innumera multitudine vulgarium ſæviens mortalitas abſumſit, inter quos VDALRICUM *Eichſtetenſem*, & RUOGGERUM *Wirceburgenſem*, pluresque alios ſors ultima preſſit.“ Quos ſequitur HOFMANNUS *in Annal. Bamberg. p.* 119. *A.*

Diem obitus, tertiam Septembris, neſcio unde, aſſignat HEMMAUER *in Chron. Oberalt. p.* 83. nec enim *Eyſtadio* notitiam ullam aſſequi potui, ubi tamen neceſſe eſt exſtare necrologia, aliaque documenta, fatalibus tenebris conſepulta, & perpetuæ oblivioni ſacrata.

Num. 12. FRIDERICUS II. FRIDERICI I. & ADELHEIDÆ filius.

A) Iſtis, quos ſignavi, parentibus, FRIDERICUM II. fuiſſe editum, & a GANSERO perperam *tertium* dici, e NN. 9. ſq. manifeſtum eſſe exiſtimo. Cum circa an. 1100 vivo patre, traditionem fratrum de *Rotta*, in manus *patrui* ſui ASCUINI de *Zidlarn* delegatam, anno ætatis ſaltem 18. ſuſceperit. *Mon. boic. vol. XII. p.* 17. & heic N.; conſequens eſt, eum circa an. 1088 primam lucem aſpexiſſe.

Patri an. 1101 defuncto (N. 9. E.) in munere advocati *Ratisbonenſis* & Monaſterii Oberaltacenſis ſub abbatibus EGINONE, & LUID-

LUIDGERO usque ad an. 1137 succesſiſſe, evincunt documenta ſequentia.

In diplomate HENRICI IV. Imp. dato *Goſlariæ* (MC XI.) quo monaſterium S. IACOBI *Scotorum Ratisbonæ* recens exſtructum in Mundiburdium ſuum ſuſcepit, apud HUNDIUM GEWOLDI *Tom. III. p.* 66. *nov. edit.* comparet FRIDERICUS noſter. „Noverit . . . aſſenſu quoque HARTWIGI venerabilis *Ratisbonenſis* Epiſcopi, FRIDERICI *advocati*, OTTONIS Comitis (de *Rietenburg*) ALBERTI Comitis (de *Windberg*) HENRICI advocati (de *Rietenburg*)."

B) Inter traditiones *Oberaltacenſes*, iſtæ ad eumdem referuntur, (*Cod. prob. N. IV.*) „Sicut perverſorum - - Quapropter - - cognoſcat induſtria, quod - - ADELHEIT advocata (*uxor Friderici I.*) & tres filii eius VDALRICH clericus (N. 11.) FRIDREICH - - (*Advocatus Ratisbonenſis*) HARTWICH (N. 14.) & LEUKART de *Windberg* (*mater ALBERTI I.*) & duo filii eius BERTHOLDUS, & ADALBERTUS comites, - - - in preſencia EGINONIS eiusdem loci Abbatis (an. 1105 defuncti) innovaverunt - - - teſtes - - FRIDERICUS advocatus, PERCHTOLDUS de *Bogen*, HARTWICH de *Leydarn* (*Bertoldi & Adalberti germanus*) M. C. IIII." *Ibidem* N. VI. b.

C) „Notum ſit, quod quedam domna IUDITA de *Winzera* delegavit unum manſum in manus BERTOLDI Comitis - - quam traditionem ſuſcepit EGINO Abbas & advocatus FRIDERICUS (ſecundus) teſtes ADALBERTUS, HARTUUICUS. (fratres, de Windberg comites)."

D) Ibidem

Digitized by Google

D) Ibidem N. VII. „Notum ſit - - qualiter dive memorie domnus FRIDERICH, & fratres ſui, HARTUUICUS, & OUDALRICUS, & PERCHTOLDUS filius LIUTGARDÆ (de *Windberg*) equali parte tradiderunt ſylvam ultra *Heimpreitisberg* ſitam ad altare S. PETRI in *Altaha* CC. manſus (non curias, vel caſas, ut GANSERI interpres expoſuit *Höfe*, ſed *perticas*, quod eſt menſuræ ſylvaticæ genus, ut ſequentia verba declarant, hodie dicuntur *Tagwerk*) *latitudine*, & *longitudine* usque ad marcham buemanniam a *Wigilinesriet* usque in aquam, que dicitur *Peborha*. Quam traditionem ſuſcepit advocatus FRIDERICH, & Abbas EGINO - - teſtes PERTHOLT *Comes*, & HARTUUICUS, frater advocati. "

E) Ex inſtrumento priore (B.) infert GANSERUS *p.* 438. FRIDERICUM II. virum ADELHEIDIS an. 1104 iam fuiſſe defunctum, cum in tam ſolemni negotio nulla eius fiat memoria.

Recte id quidem, modo loco *ſecundi* poſuiſſet *primum* revera 1101 (N. 9. E.) defunctum. Hinc FRIDERICUS alteram traditionem (C.) cum Abbate EGINONE ſuſcipiens, alius a *ſecundo* eſſe nequit.

F) Inſtrumentum *tertium* (D.) lectorem forte morari poſſet, quia FRIDERICUS, mihi ſecundus, tempore EGINONIS † 1105 adpellatur *divæ memoriæ*, hoc eſt, defunctus, ipſamque traditionem ſuſcepit advocatus FRIDERICUS, utique prioris filius, mihi *tertius*, iam ante plures annos natus, quippe officio advocati idoneus.

G) Verum obſervari velim,

Primo de uno, eodemque FRIDERICO II. ſermonem hoc eſſe,

Digitized by Google

qui & *traditor* erat, & traditionis *executor*, adeoque eo tempore vivens; cum certum sit, FRIDERICUM III. ante an. 1126 nondum exstitisse: (N. 13. O.)

Secundo formulam *divæ*, *beatæ*, *bonæ memoriæ*, *felicis recordationis &c.* plerumque, non tamen *constanter* de præmortuis intelligi, & exempla exstare apud MABILLONIUM *de re diplomatica p.* 538. 601. *Annal. Bened. Tom. IV. p.* 425. *T. V. p.* 197. 511. ubi istud elogium viventibus tribuitur. *Dictionnaire diplomatique Tom. I. p.* 542. De eadem formula viventibus tributa idem nuper observavit Cl. D. IUNGIUS *origin. guelf. T. V. p.* 20. *) Quibus addo aliud exemplum ex nostris *Mon. boic. XIV.* 19. ubi EUGENIUS III. in bulla confirmationis monasterii *Windbergensis* 1146 data ALBERTUM Comitem, ecclesiæ huius fundatorem, tunc adhuc vivum, quippe anno sequente defunctum, *bonæ memoriæ* adpellat.

H) *Tertio*, siquis pertinaciter contendere velit, *το divæ memoriæ* pro defuncto accipiendum hoc loco esse; tunc aio, quoniam illud non FRIDERICO solum, sed etiam suis germanis præfigitur, de tribus, immo & de BERTHOLDO *Windbergensi* & Abbate EGINONE intelligendum esse, qui quidem tempore factæ traditionis omnes simul convivebant, tunc autem, quando hæc traditio membranæ commissa fuit, iam non amplius superserant. Neque enim infrequens est, etiam in diplomatibus, ut donationes, sæpe viva voce coram testibus ideo per aures tractis factæ, serius in diplomate scriberentur. Hinc discrimen inter *actum*, & *datum*: quod rei diplomaticæ peritis obscurum esse nequit.

I) Anno

I) Anno 1124 menſe Iulio nuptias contraxit cum LUTGARDE *Bohemiæ* Ducis filia (N. 13. C.) Hinc non mirum, die 13. Decemb. 1125 maſculam ei prolem nondum natam fuiſſe (N. 13. O.) cum forte primus matrimonii fructus ADELHEIDIS fuerit, aviæ nomen ſortita. (N. 16.)

K) Sub regimine HENRICI *ſuperbi*, qui patri an. 1126 die 22. Novemb. in ducatu boico ſucceſſerat, variis turbis, & contentionibus FRIDERICUS noſter implicitus fuit, quas verbis anonymi *Weingartenſis* de *Guelfis Principibus* a *Gerardo HASS* ex autographo recenter editi, heic admetior: *pag. 21. cap. VI.*

„ Igitur *Heinricus* defuncto patre ducatum eius adeptus generalem conventum *Ratisbonæ* (an. 1126 vel ſequente) omnibus indixit. Quo collecto milite adveniens, quidquid inſolentiæ in civitate, ſive extra circumquaque ad aures eius perlatum eſt, provida diſpenſatione diiudicavit. Diſerimina bellorum inter Principes, ſeu Maiores terre diu exagitata compeſcuit: pacem firmiſſimam omnibus annuntiavit, & iuramento confirmari præcepit, & ſic demum accepta a *Burgenſibus* pecunia terrorem cunctis incutiens civitatem egreditur, & munitiones ac villas predonum, & proſcriptorum per totam provinciam devaſtat. “

Quæ quidem ſingula intra poſtremum bimeſtre anni 1126 perfici haud potuerunt.

L) Poſt magnificas nuptias Ducis cum filia LOTHARII Imperatoris iuxta *Lycum* celebratas, pergit *anonymus* §. III. *p. 21.*

Digitized by Google

„Interea (intra an. 1127 & 28.) FRIDERICUS *Ratisponenſis* Eccleſie advocatus videns poteſtatem Ducis prevalere, ſuum vero quotidianum *queſtum* (hanc vocem editor ex apographo addit) in civitate minui, quorumdam conſilio, quibus pax odioſa fuit, unum de miniſterialibus Eccleſie, qui Duci cum omni fidelitate in civitate & extra adſtabat, & miniſtrabat (*AVENTINUS Annal. VI. cap. III. n. 6. p. 590. prætorem* adpellat, *qui præſidendo iuri dicundo intentus vice ſua fungeretur, Reginoburgis impoſitum*) dolo, ut aiunt, ad ſe invitatum vita privavit. Quibus compertis Dux *Bavariam* feſtinanter ingreditur, ac caſtrum advocati fortiſſimum *Falkenſtein* obſidione cingit, omnesque ſuos ad obſidionem compellit. „Addit *Laurentius HOCHWARTUS in catalogo Epp. Ratisbon. apud OEFELE I.* 188. *b.*" & poſt longam obſidionem etiam cepit.

M) Pergit anonymus *Weingartenſis cap. XII. p.* 25. „Circa idem tempus (an. 1130 teſte HOCHWARTO citato) *Ratisponenſes* mortuo Epiſcopo ſuo (*Chunone*) HENRICUM unum de nobiliſſimis fratrum (*ARENPECK. Chron. Baioar. col.* 195. legit: *Bavariæ patruum*) ſcilicet OTTONIS (primi) de *Wolueratenhauſen* machinante advocato cum aliis Emulis Ducis eligunt, & in locum illius ſubſtituunt. Quod Dux in iniuriam ſui factum eſſe compenſans (*reputans*) ad depoſitionem eius omnimodis laborabat - - Ille vero (Epiſcopus) civitatem, & omnes ſuos ad rebellionem præparat.

N) Dux ergo (an. 1131) cum huiusmodi de tractionibus illum avellere non poſſet, ad aliud animum intendit. Sine mora *Bavariam* ingreditur, civitatis ſuburbia, & omnia Eccleſie territoria incendio, & vaſtatione peragravit. Caſtrum quo-

que

Digitized by Google

que Episcopi *Tomistauphen* ex improviso superveniens arripuit, suisque custodiendum commisit. "

O) Pergit *anonymus p.* 30. „ HEINRICUS igitur Dux finita paschali hebdomada tam copiosum exercitum in *Bauuariam* reduxit, ut castrum supra nominatum (*Wolfertshausen*) stricta obsidione clauderet, & se ab impetu illorum, qui sibi minaciter cominabantur, defenderet. Episcopus enim per totam quadragesimam cognatos & notos suos conveniens hoc agebat, ut Ducem de finibus illis, si amplius hostiliter eos invaderet, ignominiose fugaret. Morante igitur in obsidione Duce, Episcopus cum *Marchione orientali LEOPOLDO* seu aliis comitibus ac totius *Bauuarie* fortissimis, excepto *Palatino*, coadunato milite adpropinquat, & castra prope *Ysaram* fluvium ponit.

P) Interea OTTO Palatinus vir sapientia preditus, cui ad utramque partem accessus patuit, utriusque exercitus apparatum contemplatur, illisque nostrum (*Ducis*) copiosiorem esse denuntians, terrorem incutit: cogitansque quomodo ad bonum pacis perducat, FRIDERICUM *advocatum*, *cognatum* suum promissionibus, ac minis circumveniens ad deditionem hortatur. Ille, utpote omnibus suis destitutus, consiliis *Palatini* adquievit: & assumto eo in castra Ducis veniens, & ad pedes eius se humilians, gratiam eius recepit. Quo perpetrato, OTTONEM quoque *generum* suum ad deditionem, & satisfactionem, exponens ei miserias suorum compellit. Qui similiter eius & aliorum consilio consentiens, ad deditionem venire non distulit, ac seipsum cum castro in manus Ducis sub omni humilitate contradidit.

Q) Dux

Q) Dux vero, prout rigor iuſticie exigit, illum *Patriam*, & omnes terminos *Bavarie* quoadusque per eum revocaretur, abiurare coegit, & ſic eum captivum ſuis commiſit, & ad *Ravensburch* ſecum abduci precepit.“

R) Hactenus *anonymus Weingartenſis*, quantum ad FRIDERICUM noſtrum adtinet, quem ille quidem OTTONIS Witelspachici IV. *cognatum*, ARENPECK autem, AVENTINUS, & HOCHWARTUS *conſobrinum* adpellant locis allegatis, cuius quidem vocis rationem reddit *AVENTINUS p.* 592. *n.* 18. heic non prætermittendus. „Cum acies inſtruerentur, *Otto* ſuperior (IV.) *conſobrinus Ducis & FRIDERICI Comitis a Bogen Socer OTTONIS* obſeſſi apparet . . . *FRIDERICO Comiti a Bogen conſobrino ſuo* (nam ADELHADA, mater FRIDERICI, RICHARDÆ matris OTTONIS ſoror erat) perſuadet . . .“ Vide *tab.* C.

S) *BRUNNERUS Annal. boic. P. III. L. II. pag.* 81. *nov. Edit.* poſt priora narrata de FRIDERICO ſubdit. „Ad caſtra HENRICI profectus, eiusque amplexus genua, momento veniam, & nomen *amici* promernit.“ Nec aliter ADELZREITERUS, ſocium ſuum paſſim deflorans, *P. I. L.* 20. *n.* 21. *pag.* 450. *nov. edit.* „In *Henrici* caſtra profectus; ad cuius procumbens genua, ſine cunctatione admiſſorum veniam, & *amici* nomen impetravit.“

T) Non igitur cum *OTTONE Wolfrashuſano Ravensburgum* relegatus fuit, ut cum *Mauſoleo S. Emmerami in Ratisbona monaſtica p.* 279. ſcribit. *FALKENSTEINIUS Hiſt. bav. Tom. II. p.* 370. ſed ut Ducis *amicus* ad ſuos reverſus eſt, ubi illum ante an. 1137 adhuc reperio (*Cod. prob. IV. XIII.*)

V) No-

V) Noverint . . qualiter RICHERUS de *Walinchoven* . . . in manus HIZONIS de *Hofedorf* ea ratione, ut ipſe delegaret, quocunque *Altahenſis* abbas LEUDIGERUS, vel eius ſucceſſores peterent. Huius rei teſtes ſunt FRIDERICUS advocatus & eius filius FRIDERICUS.

X) *Item* „ Noverint - - quod quidam vir nomine RACHWINUS appellatus eſt ab abbate LUIDGERO, & advocato FRIDERICO (*ſecundo*) habentem uxorem advenam ſibi non conſciam, unde cogitabat idem R . . . quomodo poſſet conſedere cum uxore ſua, & bonis ſuis, impetravit, quod permiſſione & in preſencia ipſius advocati *F. riderici* & abbatis *L. iudgeri* & permiſſione S. PETRI *Ratisp.* Eccleſie Dominorum cathedralium, quod mutata eſt uxor ſua nomine *Mathilda* pro alia muliere nomine *Golda* que fuit S. PETRI tributaria pro eodem cenſu . . . " (*M. B. XII.* 28.) Item *p.* 29.

Y) „ Notum ſit. - qualiter quidam miles ADALBERTI Comitis nomine MARQUARDUS ad *Altah* in manus FRIDERICI advocati & LIUDGERI abbatis - - tradidit. "

Quid poſt hæc FRIDERICO iſti acciderit, qui in iſtis documentis aliisve, quod ſciam, nuspiam comparet, quando, & ubi vivere deſierit, cum ignorantiſſimis ſcio. Si tamen coniecturæ locus; ſuſpicor, illum, utpote Ducis *amicum*, hoc eſt, fœderis ſocium, cum eodem expeditioni adverſus *Italos* anno 1136 interfuiſſe, atque una cum OTTONE *Wolfratshuſano*, quod de hoc anonymus *Weingartenſ. p.* 32. ſcribit, *Papiæ vita privatum occubuiſſe*; eoquod in domeſtico, aliove necrologio nulla eius occurrat memoria, extra Patriam defuncti, & ſepulti.

Z) Ali-

Z) Aliter GANSERO viſum; ille enim loco non uno, præſertim *p.* 445. contendit, hunc FRIDERICUM, quem præconcepto errore imbutus *tertium* adpellat, an. 1125 non amplius fuiſſe ſuperſtitem, ſequenti ratiocinio, quod eiusdem verbis latinis propriis heic admetior: „FRIDERICUS IV. (lege *tertius*) fecit varias traditiones prædiorum, quæ a patruo ſuo VDALRICO Epiſcopo *Eyſtetenſi* ſuſcepta hæreditario iure poſſidebat. Iam vero VDALRICUS iſte obiit 1125. Si itaque hoc anno vixiſſet Epiſcopi frater FRIDERICUS III. (II.) utique hæreditas huius Epiſcopi non ad filium fratris FRIDERICUM IV. (III.) ſed ad ipſum fratrem FRIDERICUM III. (II.) fuiſſet devoluta. *Fridericus* itaque III. (II.) iam ante an. 1125 obierat. " Q. E. D.

Aa) *Repono*: I. FRIDERICUS iſte IV. (III.) an. 1125 nondum erat natus (N. 12. I.) quomodo ergo hæres eodem anno?

II. FRIDERICUS iſte (mihi *tertius*) memoratas traditiones prædiorum fecit 1147 (N. 17.) poſt patris obitum, ex cuius hæreditate *immediata*, *patrui* autem *mediata* ad eum devoluta fuerant.

III. Nec hodie infrequens eſt, & paſſim exempla proſtant, quod Bona quædam, non germano, aut ſorori, ſed horum liberis, ſeu nepotibus, etiam naſcituris, legentur.

Ab) FRIDERICUM iſtum ADELHEIDÆ maritum an. 1125 iam fuiſſe defunctum, GANSERUS *p.* 445. etiam eruere nititur ex privilegio libertatis, quod hoc anno monaſterio *Oberalteich* conceſſit FRIDERICUS IV. (lege II.) cum conſenſu contectalis ſuæ - - quodque Romam miſſum confirmavit HONORIUS Papa 1126. monaſterio in apoſtolicam tutelam ſuſcepto. (*Cod. prob.* N. XI.)

Memo-

Digitized by Google

Memorantur in hoc privilegio filii ADALBERTI I. licet admodum *parvuli*: immo etiam inter teſtes admiſſi ſunt. At de filio FRIDERICI nulla fit mentio. Ex quo patet, & FRIDERICUM III. (II.) iam fuiſſe defunctum, & FRIDERICUM IV. (III.) huius privilegii eſſe auctorem. Immo hic ipſe privilegii auctor ſubponitur tunc adhuc fuiſſe improlis; cum enim in hoc privilegio ageretur de iure advocatiæ monaſterii, cautum eſt, ut FRIDERICUS advocatus, ſi *filium genuerit*, ipſe, & poſteri eius iura advocationis ſemper retineant, ſi autem absque liberis exceſſerint, ius illud ad ALBERTUM Comitem & poſteros eius pertranseat, & quisquis inter eos maior natu fuerit, advocatus monaſterii conſiſtat. " Hæc ad verbum GANSERUS.

Ac) *Reſpondeo*, falſum eſt primo, privilegii huius 1125 concepti, & *Romam* miſſi autorem eſſe FRIDERICUM, mihi *tertium* IUDITHÆ maritum, quippe hoc anno non natum (N. 12. I.)

Falſum eſt ſecundo, FRIDERICUM ADELHEIDÆ filium hoc anno iam fuiſſe defunctum. (hoc N. O.)

Ex adverſo, tertio verum eſt, FRIDERICUM II. privilegii huius autorem, maritum LUTGARDÆ, quam anno 1124 uxorem duxerat, hoc an. 1125 die 13. Decemb. prole maſcula caruiſſe. (N. 13. O.) Hinc ſequitur,

Quarto, FRIDERICI II & LUTGARDÆ filium, an. 1126 naſciturum, privilegii huius autorem non eſſe (NN. cit.) ſed *ſecundum;* id quod confirmat vetus ſcutum gentilitium, olim ſupra ſepulcrum, nunc e regione eiusdem pendens, cum hac inſcriptione: „ *An.* 1126 *hat Graf Albrecht der Elter, und ſein*

Vötter Graf Friderich der ander, das Cloſter Oberaltaych Päbſtlich gefreyhet. (*Tab. II. n.* 7.)

Hæc de FRIDERICO *ſecundo* ex idoneis ſcriptoribus copioſe recenſere volui, in *Ratisbona monaſtica*, & apud illuſtrem de LORI ſummatim exhibita, ut lectori prævie conſtaret, quam inepte GANSERUS facta huius ſingula filio æquivoco aſſignet, quod ad oculum monſtrat *tabula chronologica*, huuc in finem concepta.

Num. 13. LUTGARDIS Vxor FRIDERICI II.

A) Celeberrimæ huius matronæ genus nemo hactenus, quod ſciam, Scriptorum boicorum prodidit. GANSERUS autumat, ſe illud detexiſſe, dum male intellecta voce τῦ *conſobrinus*, qua OTTO Schyrenſis LUITGARDÆ maritum, FRIDERICUM II. compellaſſe ſcribitur apud autores N. præced. allegatos, eam huius OTTONIS ſororem fuiſſe confidenter aſſerit. Porro autem hunc ipſum OTTONEM inter *Schyrenſes primum* adpellat, quem *quartum* dicere debuerat, eamque filiam facit EKKEHARDI I. Scriptoribus patriis omnino ignotam.

B) Suſpicabar mendum typi, & GANSERUM non *primo*, ſed *quarto* OTTONI iſtam LUTGARDEN ſororem tribuiſſe. At enim ipſa manus autographa, quam ob oculos habeo, bina vice in eadem pagina OTTONEM I. *patrem Ducis* ſcripſit. Sed miſſo hoc interim, genuinam huius illuſtriſſimæ fœminæ originem oſtenſum eo.

C) *COSMAS Pragenſis in Chron. lib. III. apud MENKEN Script. rer. germ. Tom. I. col.* 2125. ſequentia narrat coævus:

„Eodem

„ Eodem anno (MCXXIIII.) menſe Iulio Dux WLADISLAUS natam ſuam primogenitam, nomine ZUATAVAM, cum magno muliebri cultu, & nimio cenſus apparatu dat nuptum cuidam inter *Bavaros* primates *famoſiſſimo viro* nomine FRIDERICO. "

D) Subſcribit *Ioannes Marignola in Chron. Boh.* apud Cl. *Gelaſium DOBNER Mon. hiſt. bohem. Tom. II. p.* 200. „ WLATISLAUS autem filiam ſuam cuidam nobili *Bavaro*, nomine FRIDERICUS deſponſavit. "

Repetit fere eadem *DUBRAVIUS Hiſt. Boh. L. XII. p. m.* 287. VLADISLAUS filiam ſuam FRIDERICO *Bavariæ* Principi deſpondit. "

E) Tres hoc ſæculo FRIDERICI in *Bavaria* occurrunt nobiliſſimi, duo *Wittelsbacenſes*, prior EKKEHARDI *primi* an. 1101 defuncti, alter OTTONIS *quarti* 1155 mortui filius. At *prior* cœlibem vitam duxit, inter *Barbatos Interſtorfii* an. 1195 ſepultus. *Alter*, ſi tamen unquam de nuptiis cogitavit, non LUTGARDEN *Bohemicam*, ſed MARGARETHAM *Badenſem* duxerat, 1196 *Ensdorfii* tumulatus, de quo tamen vehementer dubito.

F) Quoniam igitur de utriusque coniugio altum ubique ſilentium, & neuter hoc anno 1124 *vir famoſiſſimus* dici poterat, vix ephebos egreſſus, & tertiogenitus; ſupereſt tandem FRIDERICUS II. de *Bogen* iam ab ann. 1101 advocatus *Ratisbonenſis*, & magnam nominis celebritatem conſecutus.

Digitized by Google

G) Quoad nomen & genus ſponſi conſentit per omnia Cl. *Gelaſ. DOBNER Annal. Boh. P. IV. p.* 167. *ſeq.* hoc ſolum diſcrimine, quod *Bohemicam* iſtam Principem, alteram coniugem ſtatuat FRIDERICI I. an. 1101 defuncti, quod Scriptori *extero* facile condonandum, quando & *domeſtici* quidam *primum* cum *ſecundo* ex nominis æquivocatione confuderunt, ut hactenus oſtendi Inde autem potiſſimum excuſationem meretur vir ſolertiſſimus, quod eidem impoſuerit *anonymi*, neſcio cuius, *Epitome genealogiæ Comitum de Bogen, & Windersberg* (*Windberg*) *p.* 14. hæc referentis: „ FRIDERICUS Comes a *Bogen* advocatus *Ratisponenſis* in expeditione ſacra mortuus, & *Ieroſolymis* ſepultus (1101), cum ſecunda uxore LUDGARDA Ducis *Bohemiæ* filia comitatum *Suchitz* (lege *Suſchitz*) in *Bohemia* in dotem accepit, ex qua genuit FRIDERICUM II. (tertium) advocatum *Ratisponenſem.* "

H) Epitomes huius autor, quisquis demum, noverat confuſe, LUTGARDEN quamdam *Bohemicam* FRIDERICO a *Bogen* advocato *Ratisbonenſi* nupſiſſe, eique FRIDERICUM alterum peperiſſe; ſed quoniam annum obitus primi ignoraverat, & tertius quoque FRIDERICUS *Hieroſolymis* in expeditione ſacra obiit, hinc perſonarum æquivocatione deluſus, hanc LUTGARDEN FRIDERICO I. ſecundam coniugem tribuit, quam FRIDERICO II iungere, huiusque filium FRIDERICUM III. adpellare debuiſſet. Eamdem hallucinationem ſupra N. 10. I.) in Codice traditionum *Monaſterii ſuperioris Ratisbonæ* detexi.

I) Ne cui porro ſcrupulus haereat, an hæc SUATAWA, eadem ſit cum LUTGARDE noſtra, ſequentia obſervat laudatus *DOBNER loc. cit. not. b.*) „ Antiqua vox ſlavica *Swiati*,

&

Digitized by Google

& *Swiatlo*, quæ hodie apud *Polonos* aliosque *Slavos* perſtat, *lucem* ſignificabat, priſca vero vox teutonica *Lutten*, & *Luitten* idem quod hodie *Leuchten* (ita caſtrum *Lichtenberg* in veteribus diplomatibus *Luttenberg* ſcriptum invenitur); vocis itaque notatione nomen *Suatava* LUTGARDÆ reſpondet. "

Veriſſima omnino obſervatio, & paſſim obvia in diplomatibus. Vide *HUNDII ſtemmatographiam P. II. pag. 1. ſeqq.*

K) Porro matronam iſtam non *Wittelsbachici* cuiusdam FRIDERICI, ſed *Bogenſis* coniugem fuiſſe, inde etiam evincitur, quia ALBERTUS IV. lineæ *Fridericianæ* haeres, parochiam in terra *Bohemorum*, dictam *Schutenhofen*, quam ipſum *Suſchitz* eſſe teſtatur citatus DOBNER, Monaſterio *Windbergenſi* conceſſit (*Cod. Prob. N. XLVII.*)

L) Hæc eſt illa LUTGARDIS, quæ marito ſuo FRIDERICO II. eiusdem nominis *tertium*, & filiam ADELHEIDEN peperit, uti patet ex *Cod. diplom. Admont.* „ FRIDERICUS (*tertius*) advocatus *Ratisbonenſis* iturus in expeditionem, quæ ſub CONRADO Rege (1147) facta eſt, rogavit, & obteſtatus eſt matrem ſuam LUITKARDAM, quatenus predium ſuum ſitum in *Oriente* apud *Brunnen* - - - *Admontenſi* cenobio, ſi ipſe de hoc non reverteretur, vice ſua pro remedio anime ſue delegaret. FRIDERICO ergo advocato in expeditione illa (1149) mortuo, mater eius ſupradicta predium eius, quod prediximus, cenobio - - delegavit - - poſtea ſoror predicti advocati cometiſſa de *Hochenburch* ADELHEIT nomine, & filii eiusdem comitiſſe ſcil. ERNST, & dominus FRIDERICUS propinquitatis iure, ut ipſi fatebantur, predium idem impetere ceperunt. (*Cod. prob. N. XVIII.*)

Quid?

Digitized by Google

Quid? quod nec ipſe GANSERUS diffiteri audeat, hanc ipſam FRIDERICI *Ieroſolymis* defuncti, & ADELHEIDIS memoratorum matrem exſtitiſſe.

M) SULGERUS in Annalibus *Zwifaltenſibus* ex chartis ORTLIEBI ſynchroni *p.* 49. ad an. 1110 ſcribit: „ HENRICUS Comes de BERG - - - filiam ſuam SALOMEAM nuptui tradit ſereniſſimo Duci *Polonorum* BOLESLAO III *Chrivaſto* (ita ob oris curvitatem ab illis populis dicto) Principi potentiſſimo, RICHINZAM vero filiam alteram LANZLANDO (Wladiſlao) Duci *Bohemiæ*, & SOPHIAM OTTONI nigro (Duci) *Moraviæ* eodem fere tempore in matrimonium elocavit. " Quibus ex verbis, *eodem tempore*, Cl. DOBNER *Annal. Bohem. P. VI. p.* 108. non immerito coniicit, WLADISLAI nuptias anno MCXI accidiſſe.

N) BERTHOLDUS Abbas *Zwifaltenſis* in libello *de conſtructione huius Monaſterii*, nuperrime vulgato a Cl. *P. Gerardo HESS*, *Monumentorum Guelficorum parte hiſtorica p.* 210. ſequentia poſteritati tranſcripſit, quibus priora omnino confirmantur, maxime, quum & hic autor ſynchronus fuerit. Ita autem iſte:

„ HEINRICUS Comes ſenior de *Monte* (*Berg*) in articulo mortis Monachis inviſceratus - - dedit - - Huius filius HEINRICUS Comes ſimiliter in extremis Monachus effectus dedit - - RAPOT eius alter filius - - dedit - - Horum ſcilicet prædictorum Comitum ſorores fuerunt RICHINZA Ductrix *Bohemiæ*, SOPHIA Ductrix *Moraviæ*, SALOME Ductrix *Poloniæ*. Iſtæ Deo dilectæ ſorores cum viris ſuis magnifica, & infinita huic loco contulere beneficia - - VLATIZLAUS igitur, qui & LAUZ-

Digitized by Google

LAUZLAU Dux *Bohemiæ* cum *uxore ſua RICHINZA filia HENRICI Comitis a Monte (Bergen)* - - dedit - - SOPHIA Dutrix *Moraviæ, ſoror RICHINZÆ uxor OTTONIS Ducis dedit* - - BOLEZLAUS Dux *Poloniæ* - - SALOME uxor eius miſit - - Denique iſta præfata SALOME *Poloniæ* Duciſſa ſemel in uno anno, *me huic loco præſidente* - - transmiſit. "

In necrologio *Zwifaltenſi p.* 240. ibid. „D. II. Id. April. LAUZLANT Dux *Boemie.* Iſte & uxor eius RICHINZA multa bona fecerunt." Dolendum, iſtas notitias tam ſero fuiſſe productas, illisque ignoratas, qui iſtam *Richinzam* a marchionibus de VOHBURG derivarunt. *MENKEN Script. rer. germ. Tom. III col.* 2127. *ſeq. & Comment. Academ. bavar. vol. II. pag.* 66. *ſeq.*

O) Vt autem ad inſtitutum meum ex hoc diverticulo redeam, primogenita WLADISLAI LUTGARDIS noſtra anno 1112 naſci, & an. 1124 pubertatem adepta nubere omnino poterat FRIDERICO II. Comiti de *Bogen.*

Iam ergo genuinos matronæ parentes, ætatem, & tempus connubiale novimus, facilisque redditur ratio, cur eius maritus 1125. die XI. Decemb. nondum habuerit prolem maſculam (*Cod. prob. N. XI.*) ex coniuge menſe IULIO ducta, quæ tamen anno ſequente 1126 FRIDERICUM III. eidem parere potuit.

Ex præmiſſis porro & iſtud conſequitur, LUTGARDEN noſtram non EKKEHARDI I. *Schyrenſis* an. 1101 defuncti, ſed WLADISLAI Ducis *Bohemiæ* filiam exſtitiſſe, quod allegata teſtimonia omnino comprobant.

P) Inter

Digitized by Google

P) Inter traditiones *Oberaltacenſes* (*M. B. XII.* 17.) exſtant variæ, quibus titulus præfixus eſt: *Sub EGINONE Abbate* 1100-1105, ſed obſervandum, iſtas traditiones, diverſis annis factas, non omnes intra hoc tempus coarctari poſſe; hinc ſequens *p.* 21. „ LIUTGARD mater FRIDERICI (tertii) duos manſus ad *tatingam* dedit S. P. " ad annos poſteriores, quibus mater effecta eſt, referenda, quam donationem ipſe GANSERUS huic noſtræ LUTGARDI tribuit de anno parum ſollicitus.

Idem ſentiendum de alia *p.* 23. N. V. „ Pateat, - - qualiter LIUKARDIS *advocata* delegavit - - " Probabiliter poſt an. 1130 quo maritus eius abſens erat, locanda.

Q) Maiorem adtentionem meretur ſequens (*Cod. prob. N. XII.*) huius tenoris : „ Notum ſit, - - quod advocatus noſter FRIDERICUS (*ſecundus*) & uxor eius LIUKARD, & frater eius (*Friderici*) OUDALRICUS (*Ep. Eyſtet.*) & *filius* eiusdem advocati delegaverunt de propriis facultatibus & tradiderunt ad altare S. PETRI fratribus ibidem Deo ſervientibus unum curtile *in Rogitenberge* . . . Quam traditionem ſuſcepit quidam Presbyter & Monachus nomine HAINRICUS in loco Abbatis tunc poſitus. "

Quoniam VDALRICUS Epiſc. an. 1125 obiit, quo FRIDERICUS II. ex coniuge ſua nondum filium ſuſceperat, anno ſequenti naſciturum, neceſſum eſt, iſtam traditionem, forte 1125 factam, a FRIDERICO III. poſt aliquot annos ratam, & firmatam, indeque Codici inſertam fuiſſe. Certe enim ſub EGINONE Abbate an. 1105 defuncto fieri non potuit, quo tempore LIUTKARDIS nondum exſtiterat.

R) Quis

R) Quis autem eſt iſte *Presbyter & Monachus nomine HEINRICUS, in loco Abbatis tunc poſitus?*

GANSBRUS *p.* 441. *N.* 11-13. illum in ſerie Abbatum inter EGINONEM, & LIUDGERUM locat, contra omnium catalogorum fidem, aitque, non a fratribus electum, ſed ab advocato, contra privilegium, fuiſſe intruſum. Erroneum iſtud omne! Ignoravit enim cenſor, *to loco poſitus* nil aliud denotare, quam *mundatarium*, abſentis vices gerentem, uti exempla plurima apud *DU CANGE* in *Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis*, verbo *loco poſitus*, apud *de RUBEIS Monum. Eccleſ. Aquil. p.* 461. *B. & MEICHELBECK* H. F. T. I. P. II. *N.* 112. demonſtrant.

Itaque tempore huius traditionis Abbas LIUDIGERUS, valetudine ſiniſtra, aut alio negotio impeditus, alium *loco* ſui *poſuit*, qui nomine ſuo traditionem hanc ſuſciperet. De intruſo autem quopiam Abbate nec vola, nec veſtigium ullibi exſtat, eſtque hæc plane temeraria GANSERI ſuſpicio, reliquis eius fabulis adnumeranda.

S) Obtigit mihi nuper admodum traditio hactenus incomperta huius LUITGARDIS *Malerſtorfenſibus* facta, quam heic admetior: „ Anno ab incarnacione Dni. Milleſimo CXXXIIII. Domina LEWKARDIS *advocata mater* FRIDERICI *mayoris* advocati contradidit altari S. IOHANNIS ewangeliſte pro remedio anime ſue nec non debitorum ſuorum, & omnium fidelium ſalute, & requie duo predia apud *Taiting* ſita. X. mancipia ad eadem predia pertinencia.“

Digitized by Google

Eodem anno predicta matrona videlicet LEWKARDIS *advocata* contradidit altari ſancti IOHANNIS per manum *Gundakari* nobilis viri XX. hubas, & quinque vineas in *Auſtria* poſitas pro ſe ſuorumque ſalute, & requie poſt obitum ſuum fratrum uſibus profutura, vel ſi ita voluerit, adhuc ſuperſtite. Facta ſunt hæc nutu, & conſenſu FRIDERICI advocati *maioris, filii ſui.*“

Hactenus traditio iſta, in quam ſi errorem aliquem irrepſiſſe dixero, non utique nimius videbor.

T) *Primo* enim, anno huius dati MCXXXIIII. probabiliſſime ſuperſtes erat FRIDERICUS II. matronæ huius maritus, & *maioris* advocati munere fungebatur, quippe 1136 vita privatus (N. 12. Y.) & tamen nulla eius heic mentio.

Secundo, FRIDERICUS, LIUKARDÆ huius filius, ideoque hoc nomine *tertius*, an. 1134 nonniſi octennis erat, quippe natus an. 1126 (N. hoc. O.) & ſub matris tutela conſtitutus. Quo igitur pacto dici potuit advocatus *maior*? Quo iure conſenſum præbere matri, ipſe pupillus, tutricis poteſtati ſubditus ?

Tertio, ſi hæc traditio 1134 facta ſtatuatur, tunc iſta matrona potius conſenſum *ſenioris* ſui ſcil. mariti ſuperſtitis, quam filii impuberis adhibere debuiſſet. Hinc mihi videtur

Quarto, hæc traditio protrahenda eſſe poſt obitum FRIDERICI II. & datum ita emendandum, ut loco an. M. C. XXXIIII. ponatur XXXXIIII. quo FRIDERICUS tertius, ſecundi an. 1136 defuncti filius, iam annum ætatis XVIII adeptus

&

Digitized by Google

& ſui iuris factus, munere advocati *maioris* fungi, & matri quædam alienanti ſuum conſenſum præſtare valuit. Quid enim proclivius, quam, ut Scriptor recentior, cuiusmodi iſte erat quippe poſt an. 1393 vivens, unam decadem in æra per incuriam vel præcipitantiam prætermitteret?

Traditio hoc modo ſanata perſonis æque ac tempori congruit, nihilque incommodi præſefert.

V) Præter traditiones præmiſſas, geminæ adhuc reſtant ab eadem matrona poſt annum 1136 adeoque poſt obitum mariti factæ, ut ex ſubſcriptione teſtium, & ipſo tenore haut difficulter colligitur. Prior Eccleſiæ S. NICOLAI prope *Paſſavium* exſtat *vol. IV. Mon. boic. p.* 228. „*Ratisponenſis* advocatrix nomine LIUKARD in diſpoſitione prædiorum ſuorum tradidit Eccleſiæ S. NICOLAI curtem unam in loco, qui dicitur *Grintdorf* apud *Chamba*, inſuper tres hubas *Hohinwartin*. H. r. t. ſ. DIETRICUS *advocatus eiusdem loci.* ENGILBERTUS *Dux*, & ENGILBERTUS *Marchio filius eius* . . "

W) Altera pro Monaſterio *formbacenſi* (*Cod. prob. N. XVI.*) „ Domina LIUKART cum manu filii ſui FRIDERICI (*tertii*) *Ratisponenſis* advocati ac filie ſue domine ADELHEIDIS de WILTPERGE (N. 16. E.) Teſtes DIETRICUS Comes, ENGILBERTUS Marchio. "

Quoniam FRIDERICUS III. circa an. 1126 natus in hac traditione iam *advocatus* adpellatur, & ſoror ADELHEIDIS, primo nupta Marchioni de *Hohenburg*, heic alteris nuptiis cuidam Domino de *Wiltperg* iuncta legitur; ad annos poſteriores, forte ad an. 1146 referenda eſt iſta traditio.

Digitized by Google

X) Aliæ LUITGARDÆ iſtius traditiones *Monaſterio ſuperiori Ratisbonæ* factæ (N. 10. I. adductæ) eam a fictitia LUTGARDE *Vohburgica* ex mente GANSERI an. 1088 defuncta, omnino diſtinguunt. Sed & beneficia, quæ AVENTINO teſte (N. 10. D.) *Scotis Ratisbonenſibus* præſtitit, invicte demonſtrant, eam BERTHÆ *Auſtriacæ*, ann. 1137 nuptæ, coævam fuiſſe.

Y) Superſtes erat an. 1147, quo filius eius obteſtatus eſt matrem ſuam pro prædio *Brunnen* Monaſterio *Admontenſi* tradendo (N. hoc. L.). Immo invenio illam adhuc 1150 „quo SOPHIA *Vngarorum* Regis BELÆ (*ſecundi*) filia, filio CHUNRADI Regis Romanorum deſponſata, & regaliter ipſi cum inæſtimabili pecunia transmiſſa, Mundo, quod ſuum eſt diligente, ſcilicet bona temporalia, & fidem, & veritatem negligente, predicta regina (*deſponſata*) ſecus quam regiam dignitatem decuit, habita: (*immo ſponſo præmature, & ante nuptias defuncto*) regnum cœleſte pro terreſtri conimutavit. Conſilio namque, & auxilio Comitiſſæ *Ratisponenſis* LIUKARDIS, *Admontenſe* monaſterium expetiit, & cum ſacris Dei virginibus humillima converſione cœlibem vitam deinceps duxit: „ut refert Scriptor vitæ S. GEBEHARDI AE. *Salisburg. apud CANISIUM BASNAGII Tom. III. P. II. p.* 443. De quo facto porro legi merentur Chronicon *Admontenſe apud Hieron. PEZIUM. Script. Auſt. II.* 188. *Eraſm. FROELICH Diplomatar. ſacr. Styriæ II.* 239. *Georg Pray Annal. Reg. Hung. I.* 137. & *Steph. KATONA hiſtor. crit. Reg. Hung. Tom. III.* 530. 601. *ſq.* quorum tamen nullus, immo neque Biographus S. OTTONIS Epiſcopi *Bambergenſis* apud eumdem CANISIUM *l. cit. p.* 91. unde iſti ſua defloraſſe videntur, excepto Scriptore vitæ *Gebhardinæ*, conſilii, & auxilii noſtræ LUTGARDIS in hoc ſancto

ſto propoſito meminit; ut adeo incertum ſit, an SOPHIA regia Princeps, ante contracta ſponſalia *Ratisbonæ* forſan in quodam puellarum Monaſterio, pro temporum illorum more educanda, in notitiam CONRADI Regis, & noſtræ LUTGARDIS, ibidem commorantis, venerit; an hæc *Admuntum* forte inviſerit, poſt mortem filii ſui FRIDERICI in expeditione 1149 defuncti prædium ab ipſo delegatum monaſterio exſequutive traditura, hacque occaſione SOPHIAM, a fratre GEYSA II. Rege repetitam, in propoſito virginitatis firmaverit.

Neque etiam annum obitus noſtræ hactenus detegere licuit. Diem ſaltem ſervavit necrologium *Windberg. Mon. boic. XIV.* 91.)

„ XVII. Kal. Febr. LIVKARDIS advocatiſſa.“ Subiicio tabulam genealogicam (E.) huius matronæ cum ſuis probationibus.

PROBATIONES ad tab. E. N. 13.

a) *Necrologium Zwifaltenſe* apud *Cl. Gerhard. HESSIUM Monum. Guelfic. Part. hiſtor. p.* 244. „ V. Idus Iulii BOBBO Comes de *Berge*, *pater HENRICI ſenioris de Berge.*“

b) ORTLIEBUS Mon. *Zwifaltenſ.* de fundatione ſui Monaſterii *c.* 21. apud eumdem HESSIUM *p.* 194. „ Comes HEINRICUS de *Berge* cum filio ſuo eiusdem nominis, & dignitatis *ad ſuccurrendum in hora mortis Monachi* per domnum VDALRICUM Abbatem apud nos effecti cum omnibus oſſibus parentum ſuorum, id eſt, BOBBONIS, & SOPHIE ipſius uxoris, & parvuli filii DIEPOLDI ſunt huc transducti, & in capitulo noſtro cuncti pariter in uno monumento poſiti. „ *Necrol. Zwifalt. p.* 243.“ VI. Kal. Iul. „ SOPHIA comitiſſa de *Berge.*“

c)

Digitized by Google

c) BERTHOLDUS *Abb. Zwifalt. de conſtructione huius Monaſterii* apud cit. HESSIUM *p.* 210. „HEINRICUS Comes ſenior de *monte* (*Berge*) in articulo mortis Monachis inviſceratus apud *appinthal* (hodie *Mochenthal*) dedit VI. manſus. Huius filius HEINRICUS Comes ſimiliter in extremis Monachus effectus dedit, "

RAPOT eius alter filius dedit &c. - "

d) *Necrolog. Zwifalt. cit. p.* 251. „Kalend. Decemb. ADELHEIT comitiſſa de *Mochintal* mater SALOME Duciſſe, "

e) *Necrol. Zwif. p.* 238. „VI. Kal. Martii HEINRIGUS Comes iunior de *Berge* m. n. c. Iſte dedit nobis - - huius ſorores fuerunt SALOME duciſſa, RICHINZA duciſſa, & SOPHIA duciſſa. " Vid. etiam Not. c.

f) Vid. Not. c.

g) h) i) ORTLIEBUS Not. b. citatus *p.* 211. „Horum ſcilicet prædictorum Comitum (c) e) ſorores fuerunt RICHINZA ductrix *Boemiæ*, SOPHIA ductrix *Moraviæ*, SALOME ductrix *Boloniæ*. Iſtæ Deo dilectæ ſorores cum viris ſuis, & amicis magnifica, & infinita huic loco contulere beneficia. " Vid. dicta h. N. 13. N.

g) *Chron. Zwifalt.* apud HESS. *p.* 220. „An. 1144 SALOME duciſſa *Boloniæ* obiit.

Necrol. Zwif. p. 245. „VI. Kal. Auguſt. SALOME duciſſa *Boloniorum*." *Ibid. p.* 250. „V. Kal. Nov. BOLEZLAUS dux *Boloniorum* - - cum uxore ſua SALOME, "

h) *Necrol. Zwif. p.* 248. „V. Kal. Octobr. RICHINZA ductrix *Boemie* Comitis HEINRICI ſenioris filia. " *Ibid.* 240. „II. Id.

Digitized by Google

Id. April. *Lanzlant* dux *Boemie*. Iſte & eius uxor multa bona fecerunt. "

i) *Necr. cit. p.* 243. „II. Kal. Iun. SOPHIA ductrix *Moraiwie* iſta, & ſorores eius multa bona fecerunt nobis. "

k) *Idem Necrol. p.* 242. „DIEPOLDUS Comes de *Berge*, huius ſorores fuere SALOME SOPHIA, RICHINZA duciſſe. "

l) GISELA uxor DIEPOLDI nata com. de *Andechs*, filia BERCHTOLDI II. & ſoror *Berchtoldi III.* HUND. *Stemmatograph. I.* 27. Membrana *Dieſſenſis* de anno 1224. (M. B. VIII. 297.) GISELA *Comitiſſa de Berge*, cui editoris nota b. ſubiungit: *Vxor THEOBALDI Comitis, mater THEOBALDI Epiſcopi Patavienſis.*

Necrol. Zwifalt. p. 242. „II. Idus Maii GISILA comitiſſa de *Berge*. " *Necrol. Dieſſenſ.* M. B. *cit. p.* 303. ponit: VII. Id. April. GISILA Cometiſſa de *Berge*. "

m) De iſta LUTGARDE agitur toto hoc numero.

n) *Vid. heic* N. 16.

o) N. 17. toto. p) N. 18. q) N. 19.

r) HENRICUS Epiſcopus *Patavienſ.* intruſus reſignat 1171. Vid. HANSITZ. Germ. S. *Tom. I. p.* 327. Iſtum & ſucceſſorem autor *Chronic. Reicherſperg.* apud LUDIVIGIUM *Script. Bamberg. II.* 306. *ſq. ſororios* adpellat PERTHOLDI de *Andechs*, eo quod eorum mater GISELA BERTHOLDI III. ſoror fuerit.

s) DIEPOLDUS ſucceſſit fratri in eodem Epiſcopatu apud HANSITZ. l. c.

t)

Digitized by Google

t) BERTHOLDUS (*Mon. boic. IV.* 139. *ſq.*) „ Ego PERTHOLDUS Dux *Dalmatiæ* - - petente Domino noſtro THEOBALDO *Patavienſis* Eccleſiæ pontifice. Huius rei teſtes ſunt Comes PERTHOLDUS frater præfati Epiſcopi de *Perge &c.* an. 1181.“ *Ibid. p.* 144. *PERICHTOLDUS Comes de Perge.* Item *p. ſq.* Videtur in extremis Monachus ad ſuccurrendum factus *Zwifaldæ.*

u) VLRICUS apud HUNDIUM, & HANSITZ *loc. citatis. Mon. boic. IV. p.* 253. „ preſente Epiſcopo DIEPALDO (Patavienſi) primus teſtis: OUDALRICUS *Comes frater Epiſcopi.*“

Necrol. Zwifalt. p. 248. „ VIII. Kal. Octobr. VDALRICUS Comes iunior de *Berge.*“

w) *Necrol. Zwifalt. p.* 237. „ VDILHILT comitiſſa, uxor VDALRICI comitis de *Bergin.*“

x) MANEGOLDUS Epiſcopus *Patavienſis* an. 1206 ✝ 1215. De quo legendus HANSIZIUS *cit. pag.* 350. *ſeq.*

y) OTTO *Epiſcopus Friſingenſis h. n. ſecundus.* MEICHELBECK ex lib. tradit. quarto hæc refert H. F. *Tom. I. P. I. p.* 377. „ Natus eſt *Otto* patre DIETPOLDO *Bergenſi* in *Suevia* comite. Matre vero GISLA *dieſſenſi* comitiſſa. DIETPOLDO nati fuere filii ſex, e quibus parens quatuor ſacris diſciplinis erudiri voluit - DIETPOLDUS *Patavienſem*, HENRICUS *Herbipolenſem*, MANEGOLDUS item *Patavienſem*, OTTO vero *Friſingenſem* cathedram conſcendit. Duo alii fratres BERTHOLDUS, & VDALRICUS reperiuntur in inſtrumento quodam dato *Ratisbonæ* 1187 quod autographum in chartario collegii cathedralis aſſervari, teſtatur idem Scriptor *Friſingenſis*, ubi plura de eodem legi poterunt. *Loc. cit.*

Num.

Digitized by Google

Num. 14. HARTUICUS II. FRIDERICI I. & ADELHEIDIS filius.

Iſtum HARTUICUM, in linea *Fridericiana* hoc nomine *ſecundum*, indubium reddunt Monumenta *Oberaltacenſia* (*Cod. prob. N. V.*) eumque ad diſtinctionem alterius HARTUICI lineæ *Windbergenſis*, filium ADELHEIDIS adpellant.

„ ADELHEIT advocata (*vidua Friderici I.*) & tres filii eius VDALRICH ... FRIDERICH (*ſecundus*) . . . HARTWEICH.“ Item HARTUICH filius ADELHEIT. „ HARTUICH filius domine ADELHEID.“

„ Notum ſit, qualiter dive memorie domnus FRIDERICH (*ſecundus*) & fratres ſui HARTWICUS, & OUDALRICUS . . . HARTUICUS frater advocati.“

Plura de eo mihi hactenus non conſtant; hinc illum ſatis iuvenem, ac cœlibem ante an. 1125 obiiſſe ſuſpicor, eoquod in celebri eo anno Monaſterii *Oberalteichenſis*, tutelæ ſedis romanæ traditi, membrana die XIII. Decemb. data (*Cod. prob. N. XI.*) nulla eiusdem, immo nec germani ſui VDALRICI Epiſcopi *Eyſtadienſis* hoc ipſo anno peſte abrepti, mentio fiat. Inde & annus, & dies obitus in obſcuro ſunt.

In Necrol. Admont. cui plures *Bogenſis* familiæ inſcripti ſunt, apud *Hieron. PEZIUM, Scriptor. Auſt. II. col.* 202. legitur: „ IV. Id. April. HARTWICUS *Comes.*“ Forte non diverſus a noſtro, aut altero lineæ *Aſcuinianæ*.

Digitized by Google

Num. 15. TOUTA FRIDERICI & ADELHEIDIS filia.

Ignoratam hactenus Scriptoribus patriis hanc TOUTAM debemus Monumentis *Oberaltacenſibus p.* 19. „ Item domna ADELHEIT (uxor Friderici II.) medium manſum in *Viedaha* S. Petro tradidit. Item filia eius TOUTA curtile I. ad *Alradasdorf* tradidit S. Petro.“

Codici MS. vetuſto membraneo Evangeliorum, ſplendide quondam compacto, quo maiores noſtri ad traditiones, & iuramenta excipienda uſi fuiſſe videntur, in ſpatio vacuo hæc inſerta legitur traditio coæva manu ſcripta (*Cod. prob. N. V. & VI.*)

„ Fidelium, tam preſencium, quam futurorum memorie commiſſum ſit, quod TOUTA nobilis matrona, & *iſtius loci dominorum proles* ad altare S. PETRI in ſtipendia fratrum tradidit predium, quod dicitur *Alrataſdorf.*

Plura de eadem tempus edax rerum, & invidioſa vetuſtas nobis ſubripuit. Fert quidem traditio *Windbergenſium*, illam ſororibus apud S. BLASIUM ibidem iunctam fuiſſe. In vetere necrologio integro, & ſatis exacto, ubi plures ſorores, & converſæ memorantur, nulla eius fit mentio, niſi forte ſub nomine IUTÆ deliteſcat; verum hæc ut *Laica* commemoratur. Quare ſi eadem cum TOUTA ſit, facile mihi perſuadeo, eam ſub ſeculari habitu, & cœlibem pietatis operibus ibidem vacaſſe, & pie in domino obiiſſe. Ita autem habet necrologium *Windberg. vol. XIV. p.* 90.

„ IIII. Idus Ian. IUTA LAICA.“ Minio picta, qui ipſe color ſingulare quid denotare videtur.

Num.

Digitized by Google

Num. 16. ADELHEIDIS FRIDERICI II. & LUTGARDÆ filia.

A) Quoniam FRIDERICUS II. cum LUTGARDA an. 1124 menſe Iulio nuptias contraxerat, poterat iſta *Adelheidis* primus earum fructus 1125 prodiiſſe. Pubertatem adepta ERNESTO Marchioni de *Hohenburg* in *Nordgavia* nupſit, eidemque duos filios peperit, ERNESTUM II ac FRIDERICUM, illum 1180 ſuperſtitem, hunc an. 1178 defunctum teſte Epitaphio *Caſtellenſi* apud *HUNDIUM Stemmatograph. I. p.* 94.

„ *ANNO A PARTU VIRGINEO M. C. LXXVIII. FRIDERICUS Marchio de Hochenburch obiit VI. Cal. Februarii.* “

B) Porro has nuptias ADELHEIDIS cum Marchione *Hohenburgico*, filios inde procreatos, & FRIDERICI III. uxorem IUDITHAM extra omne dubium ponit Codex diplomaticus *Admontenſis apud Bern. PEZIUM theſaur. anecdot. Tom. III. P. III.* 777. ubi ſequens exſtat traditio huc referenda: „Notum ſit - - qualiter FRIDERICUS (tertius) *Ratisponenſis* advocatus iturus in expeditionem Ieroſolymitanam, quæ ſub Rege CHUNRADO (1147) facta eſt, rogavit, & obteſtatus eſt matrem ſuam LIUTKARDAM, quatenus predium ſuum in *Oriente* apud *Brunnen*, ſcilicet beneficia decem virorum *Admuntenſi* cenobio, ſi ipſe de hoc itinere non reverteretur, vice ſua pro remedio anime ſue delegaret. FRIDERICO ergo advocato in expeditione illa (1149) mortuo, mater eius ſupradicta predium eius, quod prediximus, ſicut ab ipſo rogata, & obteſtata eſt, cenobio pro remedio anime eius delegavit.

Digitized by Google

C) Quo facto uxor eius nomine IUDITH predium illud, ſicut & cetera eius predia iure maritalis dotis impetere cepit. Quo audito dominus GOTEFRIDUS venerabilis eiusdem cenobii pater coram veniens rem ita cum illa compoſuit, ut penitus ab impetitione illius predii diſcederet, data illi ſcilicet plena fraternitate congregationis cenobii, quam ſummopere expetebat, datis quoque præterea tribus marcis . . .

D) Poſtea *ſoror prediƈti advocati cometiſſa de Hohenburch* ADELHEIT nomine, & *filii eiusdem cometiſſæ*, comes videlicet ERNST, & dominus FRIDERICUS propinquitatis iure, ut ipſi fatebantur, predium idem impetere ceperunt . . . " (*Cod. prob. N. XVIII.*)

E) Eiusdem ADELHEIDIS fit mentio in traditione quadam *Formbacenſi* (*Cod. prob. N. XVI.*) „domina LIUKART cometiſſa cum manu filii ſui FRIDERICI (III.) *Ratisponenſis* advocati ac filie ipſius domine ADELHEIDIS de *Wiltperge* tradidit - - "

Cur autem heic de *Wiltperge* adpellatur, cum nupta fuerit ERNESTO Marchioni de *Hohenburg*?

F) Crediderim, eam poſt obitum primi mariti ad alteras cum anonymo domino de *Wiltperge* nuptias convolaſſe, aut ipſum prædium *Wiltperg*, in *Auſtria boreali* inferiore inter *Horn*, & *Waidhofen* ad fluvium *Teiam* ſitum, contradotis nomine poſſediſſe.

Certe enim priore marito circa an. 1131 orbata, in *Auſtria* ſub VDALRICO II, Abbate *Cremifanenſi* an. 1132 electo, occur-

Digitized by Google

occurrit apud BERNARDUM *Noricum* inter Scriptores *Auſtriæ* PEZII II. *col.* 60. *a.* „Huius tempore ALHEIDIS de *Wiltperch*, *relicta ERNESTI Comitis de Hohenburch* dedit nobis locum Eccleſie *Pechſtall*, & villam *Praumſte*. Item locum in Monte S. MARTINI, ubi Eccleſias fabricavit, quas REGINPERTUS Epiſcopus confirmavit, & terminis conſignavit.“

G) Non dubito, hanc ipſam noſtram ADELHEIDEN intelligi, de qua Biographus B. BERTHOLDI primi *Garſtenſis* in *Auſtria* cenobii Abbatis c. 35. apud *cit. Hieron. PEZ. Script. Auſt. II.* 117. ſequentia refert: „Sub eodem tempore, (ante an. 1142 quo beatus e vita migravit) a comitiſſa de *Wiltperge* invitatus eſt, quia Comes (maritus poſterior) obierat, ut animam eius, & ſeipſam, quoniam prægnans erat, (ex ſecundo marito de *Wiltperge*) ſuis orationibus commendaret.“

H) Narrat deinceps miraculum aquæ in generoſiſſimum vinum converſæ, & pergit:

„Ibi, hoc eſt, in caſtro *Wiltpergenſi* ſi accipere voluiſſet, multis donis ditatus rediiſſet. Sed ea ſolummodo accepit, quæ poſtero die in miſſæ celebratione oblata ſunt, & quæ comitiſſa pro ſalute viri ſui conferre decrevit.“

I) Hæc igitur matrona bis vidua, poſt mortem germani ſui FRIDERICI III. quam 1149 in expeditione ſacra obpetiit, iam non amplius de *Wiltperch*, ſed a priore marito Comitiſſa de *Hohenburch* adpellatur in tradit. Admont. (D.)

Hinc mea coniectura de repetito ADELHEIDIS matrimonio, & poſterioris coniugis circa an. 1140 obitu, ita firmatur, ut prope in demonſtrationem abeat.

K) Quo

Digitized by Google

K) Quo autem anno ad ſuos maritos vidua hæc abierit, dicere non habeo. In necrologio *Admontenſi* ad diem *VIII. Kalend. April.* notatur *Adelheidis Marchioniſſa:* quam noſtram eſſe ſuſpicor, quod nulla huius nominis inter *Auſtriacas* occurrat. Hæc autem ſui memoriam apud *Admontenſes* ideo forte promeruit, quia prætenſioni ſuæ in predium *Prunnen* tandem renuntiavit. (D.)

Verum iſtud intra coniecturam conſiſtat!

Num. 17. FRIDERICUS III. FRIDERICI II. & LUTGARDÆ filius.

A) Ex parentis ſui cum LUTGARDA coniugio, an. 1124 inito, anno 1125 genitum non fuiſſe hunc FRIDERICUM, numeris præcedentibus 12. & 13. demonſtratum arbitror. Igitur ſubponitur natus 1126, & fallitur GANSERUS, quoties iſtum, vel anniculum, vel quadriennem, aut omnino non natum, in ſcenam producit. Certe diplomati ab HENRICO nigro *Boiariæ* Duce *Ranshofenſi* Monaſterio 1125 III. Kal. Auguſt. dato (*vol. III. Mon. boic. p.* 314.) *FRIDERICUS Comes Regenſpere advocatus*, inter teſtes poſt OTTONEM *Palatinum* ſcriptus, noſter eſſe nequit, quod ille ait *p.* 446. poſt annum denique naſciturus.

B) Idem dicendum de concambio, quod Abbas LIUDGERUS cum CHUNONE I. Epiſcopo *Ratisbonenſi* an. 1126 electo fecit (*Mon. boic. XII.* 28.) cui FRIDERICUM iſtum interfuiſſe vix anniculum GANSERUS *loc. cit.* fabulatur.

Taceo

Digitized by Google

Taceo reliqua eius paradoxa, & quæ noſtram proprie attinent, nunc exſequor.

C) Huc primo refero traditionem tempore LIUDGERI Abbatis 1137 factam, huius tenoris (*Cod. prob. N. XV.*)

„ Noverint - - quod quidam nobilis homo nomine OTTO *de Vurlbach* delegavit - - quam traditionem ſuſcepit LIUDGERUS Abbas eiusdem loci FRIDERICO III. *advocato.*“

Vbi præcipue obſervandum, numerum III. in geminis Codicibus MS. etſi paullo recentiore manu ſupra lineam additum, expreſſe tamen ſcriptum legi, manifeſto indicio, eum a maioribus iſtius monaſterii pro *tertio* agnitum, & FRIDERICUM *primo* priorem a GANSERO male intruſum, ignoratum fuiſſe.

D) Ad idem fere tempus prædicti Abbatis pertinet & ſequens (*loc. cit. N. XVI.*)

„ Noverint . . . quia FRIDERICUS *iunior* (*tertius*) *Ratisponenſis* advocatus FRIDERICI (*ſecundi*) & LIUTKARDÆ *filius*, *fratruelis* OUDALRICI *Eyſtetenſis* Epiſcopi in manus ADALBERONIS cuiusdam nobilis viri de *Chirchbach* tradiderit . . . Reliquorum vero prediorum delegationem, que idem prefatus, & ſepe nominandus advocatus a ſupradicto patruo ſuo OUDALRICO videlicet *Eychſtetenſi* preſule ſuſcepta, hereditario iure poſſidebat, in fidem, & manus eque admodum illuſtris viri & nobilis RATPONIS de *Niwenhuſen* contulit Sco PETRO *Altahenſis* cenobii patrono offerenda preſente huius loci Abbate LIUTKERO. Et quia ipſe inibi locum ſepulture decrevit habere, & per ſuccedentia ſibi tempora

cuncti

Digitized by Google

cunctli parentes eiusdem ibidem positi requiescunt, eumdem locum maxime semper amavit, coluit, oblatis etiam donariis, beneficiis, allodiis, antea sepius, nunc magnificentius cumulavit, auxit, ditavit, que tamen hic expressa minime habentur, quia & loco, & operi pro sui dignitate, & numero incongrua esse videntur. "

E) In tempora Abbatis LIUTPOLDI ab an. 1139 incidit traditio sequens (M. B. XII. 45.).

„ Pateat - - quod *Chezilo* serviens domini ADALPERTI Comitis tradidit . . . cum consensu, & licentia ipsius domini sui ADALPERTI . . & hanc traditionem suscepit LUITPOLDUS Abbas & advocatus FRIDERICUS. Et sunt testes ADALPERTUS comes . . . "

F) In privilegio fori, & monetæ a CHUNRADO Rege secundo EKKEBERTO *consanguineo* suo in villa *Neunkirchen* 1141 *Ratisbonæ* concesso post Episcopos & LIUPOLDUM Ducem *Bavariæ* testis subscribit FRIDERICUS advocatus (*Mon. boic. IV*, 132.)

Anno sequente 1142 diplomati *Garstensibus Ratisbonæ* concesso, quod ARNOLDUS Cancellarius vice MARCOLPHI AE. *Mogunt.* & Archicancellarii recognovit, post Episcopos, & OTTONEM urbis præfectum, & filium eius OTTONEM testes subscribunt FRIDERICUS advocatus - - Comes ALBERTUS *de Bogen* - -

Vid. Diplomatarium Garstense a Froelichio editum N. VI. p. 35. seq.

In

Digitized by Google

In celebri eiusdem Regis curia itidem *Ratisbonæ* eodem anno 1142 inter teſtes diplomatis *Reicherſpergenſibus* dati, & ab ARNOLDO Cancellario vice HEINRICI *Mogunt.* AE. & Archicancellarii, qui MARCULPHO hoc anno defuncto ſucceſſerat, recogniti, inter laicos Principes poſt Marchionem DIEPOLDUM, OTTONEM palatinum, GEBEHARDUM Com. de *Sulzbach*, & ALBERTUM *de Bogen* apparet FRIDERICUS advocatus. (*Mon. boic. IV.* 410.)

In regali colloquio eiusdem CONRADI Regis *Norinbergæ* anno prædicto 1142 habito præſentibus mult: *primatibus Bavarice gentis & teſtibus* aderat quoque FRIDERICUS *Ratisponenſis advocatus &c.* (*M. B. VII.* 344.)

G) In curia *Babenbergenſi* an. 1143 (cui reſpondet indictio VI.) poſt OTTONEM *de Wittilinsbach* denuo notatur FRIDERICUS *Ratisponenſis* advocatus (*M. B. IX.* 500.)

Eodem anno diplomati regio *Ratisbonæ* dato poſt THEOBALDUM Marchionem ſubſcripſit noſter, apud *MEICHELBECK Hiſt. friſing. Tom. I. P. I. p.* 327.

In ſynodo *Hallæ ſalisburgenſis* ab Archiepiſcopo CONRADO an. 1146 celebrata cum Epiſcopis aliisque Principibus convenerat etiam noſter, hoc ordine recenſitus poſt Epiſcopos: Principes quoque OTTO *palatinus*, ENGELBERTUS Comes *Hallenſis.* Cognatus eius RUPOTO comes. *FRIDERICUS Advocatus Ratisponenſis, HARTWICUS de Bogen.* (*Diplomataria ſacra Styriæ I.* 145.)

H) In celebri curia prefente ac annuente ſereniſſimo Romanorum Rege CHUNRADO ſecundo in conſpectu Principum ac totius curiæ 1147 ubi commutatio inter OTTONEM Epiſcopum *Friſingenſem* & ADELHEIDEN Abbatiſſam *Patavienſem* confirmata fuit, inter laicos *Principes* primo loco teſtis notatur FRIDERICUS *Ratisponenſis Advocatus*; dein HENRICUS urbis præfectus, & frater eius POPPO & BERTHOLD Comites de *Andechs*. HARTUUICUS comes de *Pogine*. DIETPALDUS iunior Marchio de *Voheburch*. OTTO filius OTTONIS palatini Comitis, & multi alii *Principes* & nobiles, quorum nomina longum eſt enarrare. " MEICHELBECK *Hiſt. friſing. Tom. I. P. II. N.* 1121. *p.* 59.

I) Eidem tempori congruit traditio ſequens, ubi uxoris, & liberorum fit mentio. *Vol. XIII. p.* 60. *n.* 48.

„ FRIDERICUS Advocatus *Ratisponenſis* pro remedio anime ſue tradidit Monaſterio S. GEORGII (*Prüfling*) prediuni - - & iurejurando affirmavit, ſe nec *coniugi* ſuæ, nec *liberis ſuis* quicquam iuris in eo reliquiſſe, dicens, quod a *patruo ſuo* OUDALRICO *Eiſtetenſe* Epiſcopo illud acceperit. Coniux vero eiusdem cum *filio* abdicavit omne ius proprietatis in manus PERTHOLDI (II.) Comitis (de *Bogen*)."

K) Notum eſt, CHONRADUM Regem a P. R. ſtimulatum an. 1147 celebrem, ſed infauſtam expeditionem cum innumerabili multitudine *Hieroſolymam* fuiſſe exorſum, cui præter alios terræ noſtræ Principes, eorumque miniſteriales, FRIDERICUS quoque noſter interfuit teſtibus traditionibus, quas ſubiungo. (*Vol. XII. p.* 45. *n.* 66.

„ Pateat

Digitized by Google

„ Pateat, quod quidam militaris vir GOZBERTUS nomine de *Harde* miniſterialis FRIDERICI advocati tempore CHUNRADI Regis ad ſepulcrum domini proficiſcens - - tradidit . . "

Ibid. p. 47. *n.* 69. Prior ergo traditio, vel delegatio - - facta eſt a FRIDERICO *ratisponenſi* tunc temporis advocato, quando in illa famoſa expeditione cum CHOUNRADO Rege itemque cum pluribus terre noſtre Principibus *Hieroſolymam* pergens . . "

L) *Ibid. n.* 70. Noverit cuncta generatio, qualiter Advocatus FRIDERICUS *iunior III. Hieroſolymam* iturus predia quedam poſſeſſionis ſue in manus HARTUUICI (tertii) Comitis (de *Pogen*, alias etiam de *Naternberg* dicti) tradiderit &c, " (*Cod. prob. N. XVII.*)

Ad hunc paritet annum pertinet memorabile factum HENRICI Epiſcopi *Ratisbonenſis*, quo pravam conſuetudinem XX. talenta e Monaſterio S. EMMERAMI quotannis exigendi abolevit. (*Cod. trad. S. Emm. apud PEZ. theſaur. anecdot. Tom. I. P. III. c.* 126. *col.* 138. „ - - Qualiter HEINRICUS *Ratisbon.* Ep. anno, quo communi decreto Eccleſiæ chriſtianorum exercitus contra paganos eſt motus, huius cauſa facti divino inſtinctu tactus - - ad B. Mart. EMMERAMI veniens aram, ultimam a fratribus accepturus licentiam, malam conſuetudinem, & iniuſtam exactionem XX. talentorum in feſtivitate beati Mart. EMMER. ſibi, ſucceſſoribusque ſuis ab Abbatibus Monaſterii perſolvendorum, de quibus cœnobium prænominati Martyris non modicam diu paſſum eſt violentiam, ſibi ſucceſſoribusque ſuis in futurum abalienavit. FRIDERICO etiam *advocato* coram poſito de eadem pecunia decem talentis ab ipſo Epiſcopo in-

Digitized by Google

beneficiato, ac ceteris militibus - - Idem autem advocatus sc. FRIDERICUS a domno & venerabili Abbate BERTHOLDO duobus auri talentis est remuneratus de optimo calice exemptis ac præfatis militibus ea ratione totidem est largitus, ut Episcopo præcapitulatum beneficium restitueret & præfatorum militum assensu in ius & dominium S. EMMERAMI rediret . . . testes HEINRICUS urbis præfectus FRIDERICUS advocatus. "

Huc pariter referenda traditio Monasterio *Admontensi* ab eodem FRIDERICO hac occasione facta (*Cod. prob. N. XVIII.*) e qua & altero mox producendo instrumento constat, istam expeditionem eidem fuisse fatalem; sequitur enim: (*Cod. prob. N. XVII.*)

M) „Postea vero, cum sepedictus advocatus vita decessisset, uxor illius predictas possessiones impetere, & iuri suo adscribere cepit, quasi non posset rata esse traditio, quam se absente vir suus fecillet. Vnde compulsus eiusdem Monasterii Abbas DIETRICUS consentientibus fratribus eidem advocate tantum pecunie dedit, ut pariter *cum filio* presentibus multis ministerialium suorum earumdem possessionum prorsus impulsiones omitteret, & a iure illorum penitus se abdicaret. "

N) In ista expeditione FRIDERICUM nostrum periisse Hierosolymis defunctum, gemino loco testatur AVENTINUS *Annal. Boior. p.* 603. „FRIDERICUS *Reginoburgensium* Mystarum Curator obiit, *Hierosolymis* sepelitur. " *Iterum p.* 658. „FRIDERICUS iunior, cuius uxor IUDITHA, THEOBALDI *Vogburgensis* filia, absque liberis (iam prius scripserat *p.* 609. FRIDERICI a *Bogen* sobolem, eius templi, Reginoburgi, procuratoris defecisse) defunctus in *Palaestina*, cum eo profectus esset cum

CON-

Digitized by Google

CONRADO cæſare, anno ſalutis MCXLIX. *Hieroſolymis* defunctus eſt." Vnde & annum obitus, diem autem diſcimus ex necrologio *Oberaltacenſi p.* 279. „C. III. Id. April. FRIDERICUS iunior laicus advocatus obiit Ieroſolymis." Cui conſonat *Windbergenſe. Vol. XIV. p.* 96.

O) Quoniam ille ante profectionem ſuam tumulum ſibi in Monaſterio *Oberalteich* cum maioribus ſuis elegerat; (hoc N. D) hinc admodum veroſimile eſt, oſſa illius, quemadmodum avi illius FRIDERICI I. pariter *Ieroſolymis* defuncti, (N. 9.) huc translata fuiſſe, quod illa ætate uſitatiſſimum erat.

Num. 18. IUDITH Vxor FRIDERICI III.

A) Præterquam, quod matronæ huius nomen in Codice *Admontenſi* (N. 16. C.) & AVENTINO (N. præc. N.) proditum ſit, illud denuo firmatur ex traditione *Oberaltacenſi* (*Cod. prob. N. XIX.*) „Hec ſunt predia, que abbas GERARDUS ſuo tempore comparavit, atque redemit. IUDITE *advocatiſſe* dedi *ambulatorem* (ſonipedem, einen *Zelter*, equum album, non einen *Diener*, ut GANSERI interpres transtulit) unum pro duobus talentis, & inſuper duo talenta."

B) De proſapia quoque eius *Vohburgica* non modo ex AVENTINO (N. præc. N.) ſed etiam ex Cod. tradit. *Weihenſtephan.* apud HUNDIUM *in Metropoli III. p.* 320. *edit. nov.* conſtat: „DIEPOLTUS Marchio dedit nuptum filiam ſuam FRIDERICO comiti advocato *Ratisponenſium* cum qua delegavit ei tale predium, quale habuit in loco, qui dicitur *Timenhauſen*, quod predium dedit idem FRIDERICUS *Eberhardo* de *Sunzingen* - - "

Filia

Digitized by Google

Filia erat DIEPOLDI II. Marchionis poſtrema, ut idem HUNDIUS *in Stemmatograph. I. pag.* 149. teſtatur: „IUDITH graf DIEPOLD des andern lezte Tochter, ein gemahel FRIDERICHEN von *Pogen*, welcher zu Ieruſalem geſtorben, und begraben iſt 1149. " Conſentiente per omnia *Cl. PFEFFELIO Tom. II. Diſſert. Academ. boic. p.* 67. *ſeq.*

C) Aetatem eius nuptiarum deſignare nequeo. Dum autem perpendo, FRIDERICUM an. 1126 natum, fieri utique potuit, ut anno 1141 ætatis 15 hanc ſponſam duxerit, & ex ea circa an. 1142 filium obtinuerit, cuius mentio fit N. *præc.* & ſequente plura de eo occurrent. Ignoro pariter annum mortis, & locum tumuli. Diem obitus ſervavit necrolog. *Windbergenſe. Vol. XIV. p.* 126.

„Kal. decemb. IUTA *advocatiſſa.*"

Num. 19. ALBERTUS, FRIDERICI III. & IUDITHÆ filius, Sator Comitum de ARCU.

A) Nova multis ſcribere videbor, dum FRIDERICO III. maſculam prolem tribuo, & quidem ALBERTI nomine inſignitam, quem tamen AVENTINUS N. 17. N.) *ſine liberis* obiiſſe, eiusque ſobolem *defeciſſe* affirmate ſcripſit.

Verum iſta hallucinatio viro bono eo magis indulgenda, quod *primo* eumdem latuerint documenta, noſtris demum diebus e tenebris eruta, *ſecundo* quod huius lineæ ſoboles maſcula in *Bavaria* omnino *defecerit*, utpote cuius in patriis monumentis plurium ſæculorum decurſu nulla occurrebat memoria.

B) At

Digitized by Google

B) At vero *improlem* haud obiiſſe, nunc manifeſtum eſt e N. 17. L. M. Et licet in inſtrumento *Priſtingenſi* I. *liberorum* mentio fiat, id facile intellexerim non de *pluribus* iam tunc exiſtentibus ſed in poſterum ſperandis. Certe enim utrobique mater ſolius *filii*, non *plurium* meminit: cuius cum nomen nullibi expreſſum fuerit, probabili tunc coniectura FRIDERICI fuiſſe ſuſpicabar, quod patri, avo, proavoque commune & quaſi hæreditarium fuerat. Iam autem inſtrumento prius ignorato aliter edoctus, illam miſſam facio, & quoad ſolum nomen FRIDERICI IV., non quoad ſucceſſionem, a FRIDERICO III. derivandam, nunc erroneam declaro.

C) Illuſtriſſimi Comites ab *Arcu* perſuaſiſſimi ſunt, ab aliquo Comite de *Bogen* maiores ſuos deſcendere, ideoque vel hodie de *Bogen* ſe adpellant. Quis autem proprie ſtemmatis huius Sator fuerit, ne ipſis quidem ſatis perſpectum eſt.

Comes BRANDISIUS in des *Tyroliſchen Adlers immer grünenden Ehren gräntzel* ſibi non conſtat; nam *P. II. p.* 36. aſſerit, FRIDERICUM IV. de *Bogen* circa an. 1200 nuptias in *Tyroli* contraxiſſe, primumque nomen ab ARCU ſibi indidiſſe, ALBERTUM vero a Cæſare FRIDERICO II. 1221 Comitem fuiſſe declaratum, a quo hodierni Comites ab ARCU deſcendunt.

Econtra *p.* 125. ſequentia tradit e vernacula latine reddita;

„ *Civitas Arch* ad fluvium *Sarka* haut procul a lacu *Gardenſi* inter fœcundas valles *Iudicaria* & *Leder* ſita an. 1175 a vetuſtis comitibus HUNDIO teſte, de *Bogen* dictis, extructa quoniam ſpeciem mediæ lunæ referebat, itala lingua *Arco* adpellata fuit. "

D) HÜB-

Digitized by Google

D) HUBNERUS in tabulis genealogicis *P. III. tab.* 838. a BERTHOLDO III. ALBERTI III. de *Bogen* filio † 1218 hos Comites derivat, atque iſtum BERTHOLDUM autorem ſtatuit arcis, & urbis *arcuanæ*, cui filium tribuit BERTHOLDUM IV. qui caſtrum prædictum muniverit, filiumque genuerit ALBERTUM V. inſignem Heroem, patrem ODORICI, & avum VINCIQUERÆ, in aula cæſarea accepti, & an. 1400 ſine hæredibus defuncti. Iſtos ait fuiſſe veteres Comites ab *Arcu*.

Hodiernis autem dat FRIDERICUM an. 1239 florentem, ignarus, ALBERTI III. filius an propinquus fuerit. (*Vide tab.* 839.)

E) In alia omnia ivit illuſt. Comes BUATUS *orig. dom. boic. II. tab. XXVII. p.* 264. autorem gentis ſtatuens HARTWICUM, ALBERTI I. filium, VDALRICI I. & FRIDERICI I. parentem an. 1164. quorum poſterior pater fuerit VDALRICI II. an. 1209, & FRIDERICI III. 1209 - 22. VDALRICO II. tribuit ADELBERTUM filium an. 1222 familiæ adhuc florentis propagatorem: in qua quidem ſerie nonnulla veteribus Monumentis infra adducendis reſpondent, erratum autem eſt in capite, quod ſuo loco patebit.

F) Clariſſimus autor *Auſtriæ ſac.* P. II. Vol. IV. in *Appendice p.* 65. hariolatur, ALBERTUM II. de WINDBERG ab HENRICO *ſuperbo Bavariæ* Duce patria pulſum, cum reliquis exercitus ſui ad fines *Tridentinos*, & *Venetos* in alpibus ſe recepiſſe, inde denuo armata manu in *Bavariam* reverſum, in prælio apud *Valeiam* victum occubuiſſe, poſt hæc filios eius in *arcuano* caſtro tranquille conſediſſe.

Conti-

Digitized by Google

Contigit iſtud prælium an. 1140, ubi ALBERTUS II. ſagitta percuſſus interiit. An autem eo tempore filios habuerit, id minime certum. Nam cum an. 1125 *admodum parvulus fuerit* (*Cod. prob. N. XI.*) forte ſeptennis, & an. 1140 ætatem 22 annorum adtigerit, ut liberos habuiſſe non repugnat, ita revera poſteritatem reliquiſſe probari nequit, eo quod nulla eorum occurrat memoria; immo ſi unquam coniugem, ſibi forte deſponſatam, habuit, certe non cognovit, & improlis obiit ad S. BLASII ſepultus. (vid. N. 30.)

Arbor genealogica huius familiæ, ab Illuſtriſſ. & Excell. quodam Comite Arcuano benevole communicata, maiore veri ſpecie alium quemdam ALBERTUM, e Comitibus de *Bogen* ortum, gentis ſuæ Satorem hoc ordine exhibet.

I. HARTUUICUS I, Comes Pogenſis floruit 1054. N. 4.

II. FRIDERICUS I. *prioris filius*, uxor ADELAIS MAGNI *Saxoniæ* Ducis filia. Obiit, & humatus eſt in *Cypro Paphi* N. 9. 10.

Heic prætermittitur FRIDERICUS II. cum coniuge ſua LUTGARDE, N. 12. 13. & ſtatim ſubiungitur

III. FRIDERICUS II. (dicendus tertius). Vxor IUDITHA THEOBALDI II. March. *Voburg.* filia, obiit Ieroſolymis 1149. (N. 17. 18.)

IV. ALBERTUS II. Comes Pogenſ. & primus ab *Arcu.*

Digitized by Google

Recte hæc pleraque, modo non diceretur an. 1140 defunctus, qui patri certe superstes fuit. N. 19. Pergit arbor: „Hic *Arcum* adeptum circa an. 1137. (quo nondum natus erat) Posteris in sedem reliquit.

Inde autem in rem meam id unum colligo, Illustrissimos ARCUANOS gentis suæ proximam originem referre ad aliquem ALBERTUM FRIDERICI filium, cuiusmodi in linea *Ascuiniana Windberga-Bogensi* nullus unquam exstitit, ut adeo a linea *Fridericiana* merito eos derivem, quod nunc comprobatum eo.

H) Citatus autor *Austriæ fac. p. 67.* e scriniis Arcuanis transmissum sibi produxit excerptum instrumenti, sequentis tenoris:

„Privilegium FRIDERICI Imperatoris concessum domino VLRICO, & domino FRIDERICO *fratribus*, filiis quondam domini ALBERTI *d'Arco*, provisionis librarum XXIV. imperialium, datum *Papiæ* apud *sanctum Salvatorem* V. Kal. Iun. 1164. "

Ecce ALBERTUM patrem VLRICI, & FRIDERICI, sed *quondam* patrem, hinc anno dati diplomatis iam defunctum! Quis autem alius iste ALBERTUS, nisi FRIDERICI III. filius, cum & autores omnes in eo conspirent, *Arcuanos* ab aliquo *Bogensium* Comite descendere, & domestica huius familiæ traditio ALBERTUM FRIDERICI *filium* stemmatis sui Satorem recognoscat, cui utique in rebus propriis præ quovis extraneo potior adhibenda fides, quæ maiorum ceras, si non in membrana servasset, certe memoria tenaci retinuit.

I) Quo-

Digitized by Google

I) Quoniam in hoc privilegio filiorum fit mentio, de uxore non dubitandum eſt, cuius nomen & genus vetuſtas nobis invidit.

Cum BRANDISIUS C. dicat FRIDERICUM IV. (ſubſtitue ALBERTUM) matrimonium in *Tyroli* contraxiſſe, (*er hab ins Tyrol geheyrathet*) non levis inde ſuſpicio oritur, ſponſam circa lacum *Gardenſem* latifundia ſibi propria marito in dotem adtuliſſe, in quibus deinceps caſtrum in *arcus* formam extructum, eidemque ſive a ſitu, ſive a teutonico *Bogen* nomen *Arco* inditum fuerit, eius poſſeſſoribus, & ſucceſſoribus inhærens.

K) Neſcio, quid ſibi velit EBRANUS de *Wildenberg* Eques *Bavarus*, dum in *Chronico Bavar.* apud OEFELIUM I. 305. ex *aliquibus* refert, OTTONEM illuſtrem, Comitibus *Bogenſibus* in *Italiam* expulſis, eorum comitatum occupaſſe.

Hos inter *aliquos* fuerit ARENPECKIUS in *Chronic. Baioar. col.* 258. qui de ALBERTO IV. & BERTHOLDO III. poſtremis Comitibus agens ſcribit, eos ob deprædationes &c. demum victos, terra pulſos, in *Italiam* ſe recepiſſe, ex quibus ſua ætate a. MCCCCLXXXVII. duo fratres ſuperfuerint comites, quædam caſtra in confinibus *Italiæ* & comitatus *Tyrolis* poſſidentes, dicti de *Arcu*, quorum unus *Venetis* coniunctus, alter vero Archiduci SIGISMUNDO viriliter adhæſit; ac demum concludit: „Expulſis itaque *præfatis* comitibus de *Pogen* Duces *Noricorum* terram eorumdem conquiſierunt.“

L) Quædam veritatis ſcintilla ex obſcuris huiusmodi narratiunculis reſplendet, temporibus tamen inter ſe confuſis.

Digitized by Google

Verum omnino, quemdam *Bogenſium* ramuſculum e *Bavaria* ad *Venetorum* & *Tyrolis* confinia ſe recepiſſe, quod ALBERTO noſtro omnino congruit.

Verum inſuper, poſtremos Comites prædictos BERTHOLDUM, & ALBERTUM, aliquantiſper fuiſſe inquietos, & turbulentos.

Verum & iſtud, amplas eorum poſſeſſiones ab OTTONE illuſtri fuiſſe occupatas,

Falſum autem, illos e patria fuiſſe expulſos. Nam BERTHOLDUS an. 1218 in expeditione ſacra obiit: ALBERTUS IV. in pace defunctus *Windbergæ* quieſcit.

Porro OTTONEM illuſtrem uterino fratri ALBERTO improli ſucceſſiſſe, pariter *certum*, non alio, quam hæreditatis, & feudi titulo, non autem, quod eorum bona, velut exulum, vacaverint, quæ ſuis locis declarata lector inveniet, ubi & hoc dubium exemptum leget, cur *Arcuani* Comites a linea *Fridericiana* deſcendentes, poſt obitum poſtremi *Bogenſium* Comitum improlis, ſuperſtites, & proximi *Agnati*, ad eius hæreditatem non fuerint admiſſi, vel eam non poſtulaverint.

Facta, & fata reliqua huius ALBERTI in iſta linea *primi*, eiusque coniugis, mihi omnino incomperta ſunt.

Num.

Num. 20. VDALRICUS I. & FRIDERICUS filii ALBERTI I.

Horum mentio facta fuit in privilegio FRIDERICI I. Imperat. de an. 1164. N. præc. H. qui etiam ſtirpem propagarunt, ut patebit e Num. ſeq.

Num. 21. VDALRICUS II. filius FRIDERICI nepos ALBERTI I.

A) Privilegium ALBERTI filiis conceſſum (N. 19. H.) OTTO IV. Rom. Rex confirmavit, & iſtum *Vdalricum II.* FRIDERICI filium iterum eodem feudo XXIV. librarum imperial. inveſtivit, ut legitur *in Orig. dom. boicæ in Append. N.* 7. huius tenoris;

„ OTTO IV. Romanorum Rex *die Martis exeunte menſe Auguſti in Epiſcopatu Veronæ in pratis ſancti Danielis iuxta lacum Gardenſem - - an. MCCIX. Indictione duodecima,* “. Et ibi ſequentia;

B) „ Ibi coram domino OTHONE divina potentia Romanorum Rege ſemper Auguſto dominus ODOLRICUS de *Arcu* filius nobilis domini FRIDERICI petiit inveſtituram de ſuo recto feudo ab eo domino OTHONE Romanorum Rege, & dominus Rex ipſum dominum ODOLRICUM inveſtivit de ipſo ſuo feudo nomine recti feudi, quod feudum eſt de 24 libris imperialium, quas ipſe dominus ODOLRICUS debet accipere, & habere ab eo domino Rege, vel a ſuis nuntiis (*procuratoribus Cameræ*) in feſtivitate S. MARTINI poſt quindecim dies omni anno apud *Laudum*, vel alibi, ubi domino Regi placuerit,

Digitized by Google

erit, & opportunitas eidem domino ODOLRICO fuerit, secundum quod concessum fuit a Nob. domino FEDERICO Romanorum Imperatore domino FEDERICO Patri domini ODOLRICI & domino VDALRICO *patrico* (heic omnino legendum PATRUO) eiusdem domini ODOLRICI & in quodam privilegio sigillato, ex sigillo Nob. piæ memoriæ domini FEDERICI Romanorum Imperatoris supra scripti, continetur, ibi coram domino Rege OTHONE ostenso, & lecto, cuius tenor talis est. "

C) Autor *AUSTRIÆ sacr. p. 68.* ex notitiis sibi communicatis, addit obligationem vasalli ab Imperatore FRIDERICO I. prædicto feudo 24 librarum investiti, donec alterius feudi conferendi occasio se obtulerit, in eo fuisse repositam, quod ille omnes Imperatoris hostes præsertim *Vincentinos, Paduanos, Veronenses*, & *Venetos* etiam pro suis agnoscere, & contra eos pugnare teneatur: a qua tamen per OTHONEM fuerit exemptus his verbis, quæ apud BUATUM desiderantur. „Quod feudum, & Privilegium dictus dominus Rex sua regali Maiestate confirmavit, excepto, quod dictus dominus ODELRICUS non habeat *Veronenses, Vicentinos, Paduanos*, & *Venetos* tanquam inimicos reputare, nisi a dicto domino Rege prius fuerint inimicati. "

Sequitur apud BUAT: " Et insuper dictus dominus ODOLRICUS de *Arcu* in continenti nobiliter iuravit fidelitatem nominato Regi OTHONI contra omnem hominem, sicut vassallus domino facit. Et ipse dominus Rex ipsum dominum ODOLRICUM osculatus fuit pro iam dicto feudo. "

D) Ex

D) Ex isto instrumento per notarium confecto & apud dominos castri *Arcuani* asservato constat

Primo, VDALRICUM II. filium fuisse FRIDERICI:

Secundo, VDALRICUM I. qui *patruus* dicitur VDALRICI II. germanum fuisse FRIDERICI, utrumque filios ALBERTI, nepotes FRIDERICI III. prout in tabula genealogica (B.) clare conspicitur.

Porro etiam VDALRICO I natos fuisse filios ex subiiciendis manifestum erit.

Num. 22. ADELPRETUS, RIPRANDINUS filii VDALRICI I. nepotes ALBERTI primi.

A) Apud *Arcuanos* comites servatur & aliud privilegium a FRIDERICO II. R. Imp. iisdem concessum, huius tenoris. *Orig. dom. Boic. II. in append. N.* 8.

„ FRIDERICUS II. divina favente clementia Romanorum Imperator semper augustus, & Rex Siciliæ &c.

Imperialis excellentiæ dignitas - - Inde est, quod nos attendentes puram fidem, & sinceram devotionem, quam FRIDERICUS *de Arco*, & eius (ex fratre VDALRICO I. forte iam tunc præmortuo) nepotes ADELPRETUS, & RIPRANDINUS ad nostram excellentiam habuerunt fideliter, & devote, respicientes & ad devota obsequia, quæ ipsi FRIDERICUS, ADELPRETUS, & RIPRANDINUS nobis exhibuerunt, & poterunt (præstante domino) imposterum exhibere, ipsos & eorum hæredes

des ex eis legitime descendentes de largitate, & benevolentia nostra honore, & nobilitate *comitatus* nobilitamus, & eos ex certa scientia de cætero nobiles comites facimus, & constituimus, ac si antiquitus, ex antiquis & nobilibus comitibus originem contraxissent, liberantes eos, & eorum legitimam generationem in perpetuum penitus eximentes ab omnibus angariis, & perangariis, & ab omnibus oneribus rusticanis.

B) Insuper investimus, damus, atque largimur, & imperiali autoritate confirmamus iam dictis FRIDERICO & nepotibus eius ADELPRETO, & RIPRANDINO, & suis heredibus generaliter, & integraliter iurisdictionem, & districtum, merum, mixtumque imperium, Rimania, Banna, Telonea, Ripatica & omnem publicam functionem totius curtis & territorii, *Archi*, *Burgi*, & villæ *de turbulis* castri *Drenæ*, & castri SPINEDI, & omnium locorum quæ dictus FRIDERICUS & sui nepotes habent, & tenent, vel in futurum habebunt, & omnium habitantium in prædictis terris & locis, nunc & in futurum, & quicunque descendentes ex ipsis in montibus, & planis .... cum omni iure & honore, ita quod liceat eidem FRIDERICO & eius heredibus, & suis nepotibus ADELPRETO, & RIPRANDINO, eorumque hæredibus, & cohæredibus, usque in infinitum præfatam iurisdictionem libere exercere in criminalibus causis, in bannis auferendis, in collectis ponendis, & in omnibus generaliter agendis, quæcunque ad iurisdictionem & districtum & alia prælata pertineant. "

C) Deinde Imperator ex authentica interpretatione, & certa scientia sic interpretatur suum privilegium:

Digitized by Google

„ Vt nedum verum dominium universale, sed honor, & districtus universalis, & etiam merum imperium, & pleniſſima iurisdictio conceſſa ſit, & eſſe videatur prædicto FRIDERICO ſuisque nepotibus ADELPRETO, & RIPRANDINO eorumque hæredibus in præfatis terris. - - - Acta ſunt hæc an. Dom. MCC XXI. indict. 9. - - Data apud *Brunduſium* tertio Kalend. Maii.“

D) Quisquis FRIDERICI I. Imperat. excerptum (N. 19. H.) & Diploma OTTONIS (N. 21.) atque FRIDERICI II. Imp. (heic A.) inter ſe contulerit, facile perſpiciet,

Primo, nonniſi de unico FRIDERICO, ALBERTI I. filio ſermonem eſſe;

Secundo, VDALRICUM I. recte *patruum* dici VDALRICI II. quia germani ſui FRIDERICI filius erat;

Tertio, ADELPRETUM, & RIPRANDINUM merito adpellari nepotes FRIDERICI unici, quippe ex germano VDALRICO I. genitos, ut patet ex mea tab. B. 20. 21. 21.

E) GANSERUS *p.* 493. me iterum erraſſe ait, quod FRIDERICUM ALBERTI filium an. 1164 ab Imperatore FRIDERICO I. inveſtitum, & usque ad annum 1221 ſuperſtitem ſubponam, quod dici non poſſe exiſtimat, niſi *nimium grandævus* ſtatuatur; hinc ille aliud ſchema compoſuit, hac ratione conceptum:

Digitized by Google

Fridericus V. Comes de Bogen
(lege Albertus I. Friderici III. filius)

Vdalricus I. de Arcu. Fridericus I. de Arcu.

Fridericus II. de Arcu. Vdalricus II. de Arcu.

Adalpretus. Riprandinus.

Comites Arcuani.

F) Quo autem in documento legit GANSERUS, FRIDERICUM II. FRIDERICI I. filium? Certe ADALPRETUS, & RIPRANDINUS *nepotes* erant FRIDERICI, non ex filio quodam æquivoco, nuspiam exstante, sed ex fratre VDALRICO I. (Tab. B. n. 20. 21.)

Neque *nimium grandævus* dici meretur FRIDERICUS, qui ab ann. 1164, quo septennis fuisse subponitur, usque ad annum 1221 ætatem adtigit 64 annorum, quod vel hodie quotidianum est.

9) Quæret forte quispiam, quomodo in tenera ætate feudo imperii investiri potuerit FRIDERICUS iste septennis?

R. Patrios ALBERTI I. manes id facile apud Imperatorem fuisse promeritos, ut pupillorum misertus, feudum iisdem concederet, interea, donec adolescerent, a tutore administrandum, quod utique non insolens est.

FRIDERICI III. nativitatis annus 1126 historice certus, non patitur, ut filius eius ALBERTUS ante annum 1141 lucem adspiceret; hinc etiam iste ante annum 1156 vel 57 FRIDERICUM gene-

Digitized by Google

generare nequibat, 1164 septennem, & anno 1221 ætatis sexaginta quatuor annorum, cuiusmodi millenos assignare licet.

H) Dubium porro moveri potest ex diplomate FRIDERICI II. Imperatoris, cur Arcuanos fratres ADELPRETUM, & RIPRANDINUM ad dignitatem *Comitum* elevare voluerit, si recta linea a FRIDERICO III. dudum *Comite de Bogen* descendant?

Crediderim, eorumdem avum ALBERTUM I. quando cum sponsa sua *Tyrolensi* fundum *Arcuanum* accepit, tunc statibus provincialibus accensitum, non COMITEM sed *Dominum ab Arcu* se scripsisse, & dictum fuisse. Certe enim FRIDERICUS I. Imperator ALBERTUM, eiusque filios, non *Comitum*, sed *Dominorum d'Arco* elogio compellat. (N. 19. H.) Nec aliter OTTO R. loquitur (N. 21. A.) Quid igitur mirum, si post 50 & plurium annorum lapsum e conditione simplicis *provincialis Tyrolensis* ad dignitatem S. R. I. *Comitis immediati* a FRIDERICO II. fuerint elevati?

I) Nam & SIGISMUNDUS Imperator *Vinciquerram* dominum *Arco*, *Comitem Arci*, ideoque iam prius *Comitem* anno 1413 cum filiis suis legitimis „sacri romani imperii Comites *creavit*, fecit, sublimavit, insignivit, decoravit, ac ceterorum imperii sacri Conitum numero spectabilique cetui aggregavit ita ut *castrum Arci* sacro Romano imperio *sine aliquo medio* subiacere debeat. " Vti legere est in privilegio cæsareo apud autorem *Austriæ sacræ vol. IV. append. p.* 70. *seqq.*

Et hactenus quidem *Arcuanorum* Comitum originem, atque descensum a *Bogensibus* deducere licuit.

Digitized by Google

Quia vero me nunc documenta deſtituunt, telam cœptam alteri pertexendam relinquere cogor, cui melior arriſerit phœbus. Ego autem ad alteram lineam ASCUINI, coævis pariter inſtrumentis comprobandam, tranſeo.

Num. 23. ASCUINUS de Ering ſenior.

A) Virum in ſcenam produco ſcriptoribus patriis hactenus ignotum, de quo tamen anceps hæreo, quam ſuſtinere perſonam debeat.

Reperi illum in *Cl. D. Wilhelmi HEVBERGERI* Archivarii Bambergenſis *Ichnographia Chronici Babenbergenſis diplomatica P. I. p.* 59. N. LXXXII. ubi excerptum diplomatis *anecdoti* occurrit, quo HENRICUS S. interventu dilectiſſimæ contectalis ſuæ, CHVNEGUNDÆ videlicet Reginæ, ASCUINO Comiti, ſuoque fideli quoddam iuris ſui prædium, *Eringa* dictum, in pago *Rotgouuve* & in comitatu HEROLDI Comitis ſitum cum omnibus pertinentiis, & utenſilibus autoritatis ſuæ præceptali pagina, prout firmius potuit, in eius ius ac dominium donans proprietavit, eo tenore, ut præfatus Comes ASCUINUS liberam dehinc poteſtatem habeat, idem prædium tenendi, poſſidendi, commutandi, donandi, ſeu quidquid ſibi libeat, modis omnibus faciendi. „Charta huius donationis, poſterioribus annis ad Eccleſiæ *Babenbergenſis* poſſeſſiones translatæ, data eſt Idus Maii Indict. V. an. dom. incarn. MVII. anno vero domni HEINRICI ſdi regn. V. actum *Babenberch.*“

B) Idemne prædium *Eringa*, an aliud *Eringun*, hodie pariter *Ering* dictum, ad dexteram Oeni ripam in præfectu-

ra

ra *Mörmoſen*, olim in pago *Chiemgowe*, ſitum, hic S. Imperator canonicis regularibus collegiatæ Eccleſiæ S. Stephani *Babenbergæ* anno 1009 contulerit, incertum. Huius autem poſterioris donationis integrum diploma ex autographo exſtat in Codice probationum diplomatico *Bambergenſi*. N. 14. Vnde ſequentia huc transfero:

„ - - Proinde noverit - - - poſteritas: quia nos noſtræ quendam proprietatis locum Eringun dictum in pago - - & in comitatu - - comitis ſitum ad æccleſiam in honore ſancti Stephani Babenberc conſtructam una cum omnibus eius pertinentiis - - hoc noſtræ auctoritatis preceptali pagina prout firmius poſſumus, donamus, atque proprietamus. - - Actum Strazburc &c. “ Parum vero ſimile arbitror, hunc Imperatorem prius illud *Eringa* in pago *Rotgoune* ſitum, & ASCUINO adpropriatum, poſt breve biennii intervallum eidem indicta cauſſa eripere, & ad Canonicos transferre voluiſſe, præſertim, quod poſterius *Eringun* a priore *Eringa* ut litteris, ita & ſitu differat. Qua autem occaſione *Eringa* ad Eccleſiam epiſcopalem *Bambergenſem* redierit, ac demum IOANNI Landgravio *Leuchtenbergenſi* ſub quibusdam conditionibus venditum fuerit, audire placeat HOFMANNUM in *Annal. Babenberg. p.* 212. G. iſta referentem, ad an. 1377. „Erant inter *Ratisponam*, & *Pataviam* nonnulla ex regione *Bavariæ* loca, quæ iam inde a S. HENRICI Imp. temporibus eccleſia ſibi ex magna contentione retinuerat, quod ad ius ſuum ab antiquo pertinerent. Cum vero uſus eorum prope nullus, vel certe perexiguus eſſet, ſequenti anno LAMBERTUS (Ep. Bamb.) novæ ditionis occaſione allectus ex iis *Frideburgum* caſtrum, CONRADO, & HARTINGO *Kuchlariis*, *Francobergam*, & *Alterſam* ALBERTO *Auſtriæ* Duci, *Oſterhovium*, ERINGAM, *Milacum*, *Urbacum*, & *Podin-*

Podingam IOANNI Landgrafio *Leuchtenbergio* vendidit, & eorum pretio novas alias poſſeſſiones comparavit. Horum vero traditio Bonorum conditione eiusmodi facta fuit, ut emtores, Eccleſiæ beneficiarii manerent, & eadem rurſus ab Epiſcopo & ſucceſſoribus eius pro ſe, & hæredibus ſuis iure feudali reciperent. "

C) Forte is idem ASCUINUS, ſeu AZUINUS eſt, qui ſub nomine AZONIS patri ſuo BABONI (N. 2. Q) in pago *Zidlarienſi* ſucceſſit, & cuius mentio eſt in diplomate HENRICI III. Imp. de an. 1050. *Mon. boic. III.* 103.

„ Proinde - - noverit - - qualiter nos - - ſervienti noſtro RAFOLDO duos Regales manſus in villa *Nathſtal* in pago *Zidalaregove* in comitatu AZZONIS ſitos - - in proprium tradidimus. "

Cum hoc anno BABO obiiſſe credatur non nullis, eius in pago ſucceſſor merito pro *filio* reputari poteſt.

HUNDIUS in *Stemmatographia I.* 43. *ſq.* Comitum de *Ering*, & *Frauenſtein*, memorat BABONEM de *Ering*, *Raitenhaslaci* in cœmeterio cum aliquot ſuæ familiæ 1152 ſepultum. (*Mon. boic. p.* 216.) *Ibidem p.* 325. ad an. 1174 inter teſtes occurrit BABO *de Eringen.* In inſtrumento anecdoto de an. 1189. (*Cod. prob. N. XXVI.*) pariter inter teſtes poſt RAPOTONEM Com. de *Ortenbure*, & LUPOLDUM Com. de *plaien* legitur *Pabo* de *Eringen.*

Obſervat præterea idem HUNDIUS, utramque Dynaſtiam *Ering*, & *Frauenſtein* olim Epiſcopatus *Bambergenſis* fuiſſe, ac demum

Digitized by Google

demum ad *Paumgartneros* perveniſſe, qui utramque & hodie retinent.

D) In *topographiæ Bavariæ* tetrarchia *Burghuſiana pag. 3. ſeq.* aſſeritur, *conſtare*, utriusque caſtri *Ering*, & *Frauenſtein* conditores fuiſſe Comites de *Bogenberg*, etſi annus, & autor ignoretur.

Forte hic ipſe ASCUINUS, prædio, ſeu fundo *Ering* ab Imperatore donatus, caſtrum heic loci exſtruxit, eidemque nomen iſtud indidit. Quoniam autem eius poſtea poſſeſſores intellexerant, ASCUINUM aliquem ſtemmatis *Bogenſis* autorem fuiſſe, iſtum cum priore facile confundere, & Comitem de *Bogen* exiſtimare potuerunt, etiamſi utriusque ætas diverſitatem perſonarum omnino evincat. ASCUINUS enim *Bogenſis*, ſeu de *Zidlarin* ex BERTHA *hungarica* ante ann. 1052 naſci non potuit, (vid. *tab. chron. n. 6. tab. geneal. B.*) cum iſte iam anno 1007 occurrat.

E) Interea haut mihi perſuadeo, omni fundamento deſtitui traditionem *Eringanam*; ideoque ſuſpicari fas erit, ASCUINUM ſeniorem, BABONIS filium, & HARTUICI germanum fuiſſe, hinc proximum *Bogenſium* agnatum, & forte ad *Bogenſium* aliquem caſtri huius dominium poſtea deveniſſe. Legimus enim BERTHOLDUM II. de *Bogen* in iſta vicinia comitatum obtinuiſſe. (N. 38. C.) & in Appendice §. II. F.)

F) Inſuper mihi vehemens ſuſpicio oritur, nobiles quosdam, & præpotentes, de *Rota* dictos (de quibus N. ſeq.) *Bogenſium* propinquos atque vicinos ab iſto ASCUINO, prædii *Eringani* in *Rotgowe* poſſeſſore, originem traxiſſe, quæ agnationis

Digitized by Google

tionis ratio facile intelligitur, ſi ASCUINUS iſte HARTUICI I. *germanus*, huius autem filii ASCUINI *patruus* ſubponatur. Inde autem porro ſequitur, ſi lineæ *Rottenſis* autor exſtiterit, cœlibem non manſiſſe, etiamſi de uxore in tantis tenebris minime conſtet.

Num. 24. OUDALRICUS DE ROTA.

A) Inter traditiones *Oberaltacenſes* (*Cod. prob. N. V.*) exſtat ſequens: „ PERTHOLDUS quidam præpotens, & nobilis, & ſui fratres ENGILBRETH ſcil. OUDALRICUS filii OUDALRICI de *Rotta* delegaverunt hæreditatem ſuam in manus ASCUINI de *Zidlarin* (poſthac de *Windberg*, & *Bogen* dicti) ut poſt obitum eorum Deo, & ſacris eius ſervitoribus traderet. Quam traditionem ipſe ASCUIN in manus nepotis ſui FRIDERICI (ſecundi) filii FRIDERICI (primi) delegavit. Proinde notum ſit - - qualiter ipſe ASCUIN curtile unum in villa *ſuperiore Altacha* & *Mattingan* Deo & S. PETRO tradidit, & FRIDERICH ſicut in fide (non im *Glauben*, ſed *auf ſeine Treue*) ſuſcepit, *Eiterhoven*, & *Mandsvoldesfelden* montem, qui dicitur *Grint*, & quidquid inibi habuit *Pertholdus* S. PETRO tradidit.

B) Norunt veterum chartarum periti me etiam non monente, huiusmodi traditiones in manus proximorum agnatorum fieri conſueviſſe, etſi ſanguinis nexus non ſemper perſpectus ſit. Hic igitur PERTHOLDUS cum ſuis fratribus ſanguine iunctus erat germanis fratribus FRIDERICO, & ASCUINO; quæ propinquitatis ratio facile capitur, in Hypotheſi, ubi OUDALRICUS, horum fratrum parens, filius ſtatuitur ASCUINI ſenioris *Eringani*, quemadmodum HARTUICUS I. ASCUINI iſtius germanus, uterque ex *Babone* genitus, pater erat FRIDERICI, & ASCUINI *iunioris* fratrum. Vid. tab. B.

Hæc

Digitized by Google

C) Hæc ipſa adpellatio de *Rotta* fundamentum meæ hypotheſi præbet, ut OUDALRICUM filium ſubponam ASCUINI *de Ering*, quod prædium in pago *Rottgoue* ſitum eſt. En autem & alterum! *Mon. boic. vol. III.* 104. exſtat diploma HENRICI IV. Imp. de an. 1079 ubi cuidam ſervienti, nomine RAFOLD, manſum regalem ſitum in villa *Walde* in pago *Elinigowe* (heic legendum *Cidleringowe*, ubi *Wald* ſitum eſt) in comitatu OUDALRICI - - in proprium tradendo firmat. "

D) Hunc ipſum *comitatum* in pago *Zeidlargoue* an. 1050 regebat *Azzo*, ſeu *Azuinus* (N. 23. C.) & ante iſtum BABO (N. 2. Q.) An non inde inferre licebit, VDALRICUM, in comitatu ſucceſſorem *Azonis*, huius etiam *filium* fuiſſe. Quemadmodum hic BABONIS ſucceſſor eius etiam filius non temere ſubponitur.

E) OUDALRICI huius propinquitas cum ASCUINO iuniore (N. 27.) inde etiam probabilior redditur, quia uterque poſſeſſiones, ac decimas in *Eiterhofen* tenebat. *Iſte* enim huius villæ Eccleſiam cum iure patronatus Monaſterio *Oberalteichenſi* contulit, ut videre eſt in marmore ſepulchrali tab. III. *Illius* autem, hoc eſt, OUDALRICI filii duas partes decimæ ibidem, & totidem in monte *Grint*, ceu *hereditatem* ſuam paternam (A.) eidem tradiderunt, uti legere eſt in Codice MS. confarcinato: „ Decime, que *Altaha* pertinent: due partes decime de *Eiterhoven*, duæ partes decime de monte *Grind* &c. "

Siquis OUDALRICO iſti alium parentem aſſignare, & propinquitatis cum *Eugenſibus* rationem oſtendere quiverit; tunc meam coniecturam inſſam faciam, interea tanquam probabilis ſubſiſtere poterit.

Digitized by Google

Num. 25. PERTHOLDUS, ENGILBRETH, OUDALRICUS II. filii OUDALRICI I, de ROTTA.

Omnes tres una occurrunt N. 23. A. &, ut erant *præpotentes*, ſuos etiam habebant miniſteriales. *Mon. boic. XII.* 20. *Etich* ſerviens PERTHOLDI medium manſum in *Iskerscella* S. P. tradidit. 21. *Williham* ſerviens PERTHOLDI, & *Rumolt* frater eius I. manſum ad *Tancholfecella* III. mancipia S. P. dedit. - - *Sizo* ſerviens OUDALRICI I. manſum ad *Waffanberga* & VII. mancipia S. P. dedit. *Adalpreht* ſerviens PERTHOLDI II. vineas ad *Mirendorf* S. P. dedit. "

AN PERTHOLD, qui *p.* 22. dicitur *pat.* FRIDERICI, & alibi *patruus*, idem cum noſtro *Rotenſi* ſit, infra diſquiram. Plura autem de iis non liquent, uti neque de eorum matre.

Num. 26. ENGELBERTUS filius PERTHOLDI & RICHGARDÆ Vxoris.

A) Traditio N. 23. A. ſequentibus verbis concluditur: „Hanc item traditionem domna RICHGARD *uxor* PERCHTOLDI pro remedio animæ ſuæ & omnium debitorum ſuorum. Et iſti ſunt teſtes ADALPRECHT *Comes* ENGILBRETH *filius eius* (ſcilicet *Richgardæ*) *Richer*, *Witto*. - - "

Heic duo criminatur GANSERUS, *p.* 453. & 460. *Primo*, quod RICHGARDAM uxorem tribuam PERTHOLDO de *Rotta*, cum ipſo copulante nupſerit BERTHOLDO I. Comiti de *Bogen*. *Secundo*, quod per parentheſin addiderim (ſcilicet *Richardæ*) ſicque *Engelbertum* non ALBERTI *Comitis*, ſed PERTHOLDI *Rottenſis*, & RICHGARDÆ filium crediderim, quod contra

Digitized by

contra morem omnium genealogorum putat, qui *το eius* ad perſonam proxime præcedentem, non aliam remotiorem, referre ſolent.

B) Neutrius me pœnitet; quod enim *primum* adtinet, quo argumento, aut teſte probavit GANSERUS, BERTHOLDUM *Comitem de Bogen* nuptias unquam, & quidem cum iſta RICHGARDA contraxiſſe? Oſtendam ſuo loco, cœlibem eum vixiſſe, & Monachum induiſſe in cœnobio S. BLASII in *ſylva nigra*, eiusdem loci poſtea Abbatem celeberrimum.

C) Ad *ſecundum* facile largior, *το eius*, ordinarie ad perſonam *immediate* præcedentem trahi ſolere. At vero hanc regulam ita eſſe univerſalem, ut nullam exceptionem admittat, id enimvero nego, ac pernego, & pluribus exemplis vel e ſolis *Monumentis boicis* petitis commonſtro. Sic *vol. X. p.* 408. legimus:

„ OTTO Dux *Bavariæ* huius loci (*Schyren*) advocatus - - dedit nobis - - Hec LUDOVICUS filius eius & AGNES eius *vidua* . . . delegaverunt.“ An AGNES *vidua* fuit LUDOVICI immediate præcedentis? Neutiquam! ergo ſubintelligendum: AGNES *eius* (ſcil. OTTONIS) vidua.

D) In ipſis traditionibus *Oberaltacenſibus*, toties eidem perluſtratis, exceptionem hanc legere poterat cenſor. *p.* 18. „ Item domna ADELHEIT medium manſum . . tradidit. Item filia eius TOUTA curtile - - tradidit. Item FRIDERICH filius *eius* . . “ An FRIDERICUS filius fuit *eius*, TUTÆ, immediate præcedentis? Nequaquam! igitur addendum: ſcilicet *Adelheidis*.

Digitized by Google

Pag. 26. N. XII. Notum ſit - - quod Advocatus noſter FRIDERICUS, & uxor eius LIUTKARD, & frater *eius* OUDALRICUS - An & iſte VDALRICUS *fratriæ* ſuæ germanus exſtitit? Numquid denuo ſubintelligendum: *ſcil.* FRIDERICI.

E) In univerſa ſeu *Bogenſium*, ſeu *Windbergenſium* Comitum ſerie nullus uspiam ENGELBERTUS occurrit; legitur autem inter fratres *Rottenſes* (N. 24. A.). Hinc facile accidere potuit, ut PERTHOLDUS, in gratiam fratris ſui ENGELBERTI, iſtud filio ſuo nomen imponeret; aut ipſe germanus nepotem, ſuum ex fratre filium, e ſacro fonte levans, æquivocum ſibi fecerit, & *Engelbertum* dixerit. Igitur ALBERTUS Comes ob præeminentiam primus teſtis *Engelberto* præponitur, & omnibus, qui iſti traditioni aderant, perſpectum fuerat, ENGELBERTUM non ALBERTI, ſed PERTHOLDI & RICHGARDÆ filium eſſe, qui mea parentheſi (*ſcilicet*) tunc non indigebant; indigebat autem GANSERUS, cum aliis lectoribus ab eodem ſeductis, vel ſeducendis,

F) Contendit ille denuo *p.* 431. de BERTHOLDO *Rottenſi* ſermonem heic non eſſe, quippe qui nihil amplius tradere potuerit tradita iam TOTA hæreditate.

Permitto, traditionem poſtremam, his verbis conceptam, „ *Perthold* pat. *Friderici* “ de *Rottenſi* non poſſe intelligi, utpote cuius uxor erat *Tinza*. (N. 29. K.) Ego autem intelligo principalem PERTHOLDI traditionem (N. 24. A.) quam uxor poſt mortem mariti *pro remedio animæ ſuæ & omnium debitorum ſuorum* (heic A.) in fine firmavit, & bonam fidem in cenſoribus meis deſidero, dum aiunt, TOTAM *Rottenſium* hæreditatem fuiſſe traditam in manus ASCUINI; cum tamen

Digitized by Google

ro totam, distinctis litteris expressam, in Codice illo legere non sit.

Relegantur, obsecro, verba textus citati (N. 24. A.) & comparentur cum charta anecdota (E. N. 24.) & inde constabit, decimas in *Eitterhofen*, & in monte *Grint* S. PETRO traditas fuisse. Quanta autem hæc *præpotentia*, si PERTHOLDUS, & sui fratres, nihil aliud possederunt, quam quod *inibi habuerunt*, scilicet in *Eitterhofen*, *Mandiboldesvelden* & in monte *Grind*, cuius existentia hodie ignoratur, & nihil omnino filio suo ENGELBERTO, nihil uxori reliquit?

G) Quid multis? aliud supereſt ineluctabile argumentum, quo ostendo, ENGELBERTUM istum ALBERTI *Comitis* filium ne esse quidem per ætatem potuisse.

ENGELBERTUS, an. 1100 testis, numerabat tunc saltem annos XIV. hinc natus anno 1086, a quo ascendendo ad an. 1052 ASCUINI *avi* natalem, in hypothesi *Ganseriana* intra annos XXXIV. fingi debent quatuor generationes, videlicet ASCUINI I. & *secundi*, ALBERTI I. & huius ENGELBERTI, qui pronepos proavo suo synchronus exstitisset.

H) Verum expuncto etiam ASCUINO II. ut expungendum esse N. seq. evincam, aliud restat concoquendum.

Si ENGELBERTUS primam lucem adspexit an. 1086, tunc eius mater HADWIGIS (nisi aliam denuo, & priorem ALBERTO I. uxorem adfingere placuerit) nata fuerit an. 1072. ut anno ætatis XV. hunc ENGELBERTUM parere potuerit.

Hæc

Digitized by Google

Hæc autem matrona, quæ ante an. 1115 non occurrit, an. 1125 filios habuit *admodum parvulos* (*Cod. prob. N. XI.*) ætatis tunc numerans 54 annos. Nihilominus adeo vegentem GANSERUS eam ſubpouit, ut anno ſequente ætatis 55 eniti adhuc potuerit filium poſtremum HARTUICUM III. *p.* 463. *N.* 9.) quem tamen fratribus ſuis in tabula genealogica præponit. Quum inſuper an. 1162 diem ſupremum obierit, (N. 31. I.) annum nonageſimum adtigit.

Prodigium ſane fœminæ, ultra quadraginta annos fæcundæ & anno ætatis 55 adhuc prolem enixæ!

Apage mihi hæc ſomnia, in cerebro GANSERI nata, &, quod lectores mirabuntur, ab interprete adoptata, & notis illuſtrata!

Hæc de ASCUINO ſeniore, ſeu *Eringano* hactenus ignorato, eiusque poſteris, ut probabile mihi videtur, *Rottenſibus*, a *Rottgowe*, ubi prædium *Ering* ſitum adhuc eſt, ſic dictis, præmittere volui, ne principalem alterius ASCUINI *iunioris* lineam interrumpere cogerer.

Num. 27. ASCUINUS HARTUICI I. & BERTHÆ FILIUS, SATOR COMITUM de WINDBERG, & BOGEN.

A) In hac linea GANSERUS omnia ſus deque vertit, adeo ſuis præiudiciis abreptus, ut res etiam clariſſimas profundis involveret tenebris, quas diſſipare iam adgredior.

Vt ille in linea ſeniore FRIDERICO primo priorem confinxit; (N. 10.) ita & in hac iuniore, ASCUINO unico alium ſubſtituit, eiusque uxorem LUTGARDEN per raptum tribuit HARTUICO filio pariter fictitio.

Seduxit

B) Seduxit eum *AVENTINUS Annal. Boior. VII. c. 6. n.* 18. *p.* 658. „Filius eius (*Aſcuini*) HARTUICUS ſecundus, nurus LUITGARDA.“ Non iam uxor ASCUINI. Magni ego quidem AVENTINUM facio, præcipue quando ad membranas a ſe inſpectas provocat: at ſine teſte loquenti non ſtatim aſſurgo; hominem eum non ignorans, qui falli poſſit. Et vero hic ipſe AVENTINUS nullius ASCUINI II. meminit, quem GANSERUS, creator ſpiritus, de nihilo eduxit, qui tamen & ipſe AVENTINUM erroris arguit, quod LUTGARDEN HARTUICO coniugem iunxerit, ASCUINO ſuo ſecundo tribuendam. Quam autem ASCUINUS I. habuerit, prodere GANSERUS noluit, immo non potuit viro copulare fœminam non exiſtenti.

C) Liceat mihi heic AVENTINO in *Annalibus*, obponere AVENTINUM in *excerptis Nideraltacenſibus* apud *Oefele Tom. I. p.* 722. *a.* editis, ubi ASCUINO de *Bogen* immediate ALBERTUM Comitem filium aſſignat, non ASCUINUM aliquem, vel HARTUICUM, quod iam HUNDIUS *Stemmatograph. I. p.* 117. cum cura obſervavit.

Immo obpono HERMANNUM *Abbatem Nideraltacenſem*, quo ex fonte rivulos ille ſuos deduxit, eorum tamen in *Annalibus* pauliſper oblitus. Hic Abbas celeberrimus, & Comitibus de *Bogen* Monaſterii ſui advocatis præ AVENTINO multo propior, uno tantum ſæculo poſterior, & qui familiam eorum optime noſſe poterat; hic, inquam, in ſuo Codice *Mon. boic. vol. XI.* 20. ſequentia ſcribit: „Iſte ASCHWINUS dicitur ADELPERTUM Comitem genuiſſe, qui habuit uxorem HADWIGAM.“

D) Excipit GANSERUS, HERMANNUM fama fuiſſe deceptum, quia ait: *dicitur*. An ergo omnis fama mendax? Quæ quidem

Digitized by

dem vires adquirit eundo, ſed non mox a principio tota faſlit. Qui autem fieri potuit, ut Abbas iſte ſolertiſſimus ſeriem Advocatorum continuam texens, & tempora ac Abbates ſynchronos iisdem aſſignans, ignoraret HARTUICUM, vel ASCUINUM II. priori in advocatia ſuccedentes, & his prætermiſſis immediate ALBERTUM ſubiungeret, filium ſimul & advocatum?

E) Iſtud enim *dicitur* facie hunc ſenſum habet: quod viri ſenes, quibuscum HERMANNUS vixit, iſtud ab aliis ſenioribus, forte ipſi ALBERTO coævis, audiverint, eidemque narraverint. An & hi decepti ſuerunt, non falſi in aliis? Et ubi demum ante AVENTINUM *dicitur*, ASCUINUM genuiſſe alterum ſibi æquivocum? Itaque ſolus AVENTINUS hoc *dicit*, ſine teſte, ſine tabulis, quinque fere ſeculis ab ASCUINO remotus! Vter horum per regulas ſanæ critices maiorem fidem meretur, quando de veritate famæ antiquæ dubitatur; ſenior, & reſpective proximus, ac tantum non ſynchronus; an iunior, qui nequidem aliquod *dicitur* pro ſuo aſſerto proferre potuit? Iſtud lectori diiudicandum relinquo.

F) At vero fortiorem arietem admovere ſe credit adverſarius, dum contra me queritur, quod aliquod punctum ſeu interiectionem (.) in una traditione mutaverim, in eoque velut muſtaceo laureolam quærit *pag.* 430.

Vt igitur ad hoc punctulum, tanquam ad pomum Eridos, veniam, ipſa traditionis verba *Mon. boic. vol. XII. p.* 21. in tabula ænea. N. 1. ob oculos ponam. „dns Aſcuin, & Friderich patruus eius Perthold VI. manſus in Mirendorf tradiderunt S. P. “

Heic

Heic enimvero fateor, in codice primigenio, æque ac altero priorem sequuto, punctum seu interiectionem (.) positam esse post verba: *Patruus eius*; ut adeo sensus esse videatur, quod & GANSERUS contendit, FRIDERICUM I. *patruum* fuisse ASCUINI II. adeoque germanum fratrem ASCUINI I. indeque duos erui ASCUINOS patrem, ac filium.

G) Verum quis iste ASCUINUS, quis FRIDERICUS, quis BERTHOLDUS fuerit, hæc verba non exprimunt. Erant illa ætate plures ASCUINI, *plures* FRIDERICI, plures BERTHOLDI, etiam extra familiam *Bogensium*. Certe in hac ipsa traditionum congerie occurrit PERTHOLDUS filius VDALRICI de *Rotta*, *Fridericus* de *Windberg*. Numquid hic poterat esse *Patruus* cuiusdam ASCUINI, a nostro *Cidlariensi* diversi, maxime cum ante recitata verba immediate præcedant ista: „ FRIDERICH de *Windberg* unum mansum in *Friendorf*, *Isenrich* medium mansum S. P. tradiderunt, " ut adeo sensus esse posset, FRIDERICUM de *Windberg patruum* fuisse nescio cuius *Ascuini*.

H) At malim esse liberalis, & ultro largiri, de FRIDERICO advocato *Ratisbonensi*, & ASCUINO *Cidlariensi* sermonem heic esse. Quis vero traditionum consarcinatori inerrantiæ donum tribuit, ut ne in una quidem interpunctione falleretur? Dubitare quoque licet, an istud punctulum (.) pro signo discretivo & sensum finiente accipi debeat. Nam in eodem codice post abbreviatum *to eius* aliquoties occurrit punctum (.) quin sensus completus sit.

Sic *fol.* 2. *b.* legitur: „ Hartuich filius. Adelheit curtile unum " & *fol.* 4. *a.* „ Advocatus noster FRIDERICUS & uxor eius. LIUDKARD. " Vtrinque *to eius* punctum habet,

bet, quemadmodum in loco litigioſo *το patruus eius*. Vt adeo punctum (.) potius pro ſigno abbreviatæ vocis accipiendum ſit.

Immo huiusmodi punctum (.) etiam deprehendo, ubi minime ponendum fuerat. *Fol.* 4. *a.* lego: " *Chezilo* ſervus ADALPERTI Comitis. Tradidit ad altare &c. ut videre eſt in *tabula I.* æri inciſa. n. 3. 4. 5.

I) His ita ſe habentibus, cum punctum (.) litigioſum pro interpretatione diſcretiva ſenſus reputari hoc loco nequeat, adhuc dubium reſtat, an *το patruus eius* ad FRIDERICUM præcedentem potius, an ad PERTHOLDUM ſequentem, referendum ſit, quod ſecus neſciatur, quis iſte PERTHOLDUS ſit nullo ſigno indicatus. Duo enim PERTHOLDI ſynchroni in monumentis *Oberaltacenſibus* occurrunt, unus de *Rotta*, alter de *Bogen*.

K) Quoniam vero GANSERUS, eiusque ſcholiaſtes, *Rottenſem* excluſum eſſe volunt, iisdem nunc refragari nolim, ſimul autem contendo, ſive *το patruus eius* ad FRIDERICUM, ſive ad BERTHOLDUM trahatur, citius e pumice aquam, quam ex iſta voce *το patruus eius*, ASCUINUM II. extundi poſſe.

Ante omnia igitur inquirendum, quis iſte FRIDERICUS, quis BERTHOLDUS fuerit, quorum alteruter ASCUINI *patruus* dici potuit?

L) Priusquam hunc nodum ſolvam, palam profiteor, *hariolationem* meam de FRIDERICO *IVindbergenſi vol. XII. Mon. boic. p. 22.* in *Nota* proditam fallere, quam nunc miſ-

 ſam

fam facio, quin vel minimum meo ſyſtemati decedat, aut *Ganſeriano* adcreſcat.

Obſervo enim, *patrui* adpellationem non ſemper patris fratrem, uti communiter accipitur, ſed etiam *patruelem*, hoc eſt, *patrui filium* ſive ex fratre vel ſorore nepotem, apud medii ævi ſcriptores non raro denotare.

M) Vadimonium mihi præſtant viri celeberrimi, LEIBNITIUS *Scriptor rer. Brunſw. Tom. III. p.* 176. in Indice V. *Patruus* „dictus ſenior ex cognatis ſumitur pro nepote ex fratre;“ LUDEWIGIUS *in reliquiis manuſcriptorum Tom. XII.* in Indice V. *Patruus*, pro *patruelis*, id quod pluribus exemplis comprobat *Tom. XI. p.* 240. 243. 247. 251. 281. quæ heic exſcribere nolim. *Gloſſarium mediæ, & infimæ latinitatis V. Patruelis* idem affirmat. Quid, quod & LUDOVICUS IV. Imp. *Bavarus* ſuos ex *patruo* HENRICO I. *Bavariæ* inferioris Duce, LUDOVICI *ſeveri* germano nepotes ac pronepotes HENRICUM, OTTONEM, & HENRICUM *patruos* ſuos chariſſimos adpellet apud *HUND. Metrop. III. p.* 231. *nov. edit.* quos in alio diplomate *Seeligenthal* vernaculo anecdoto de an. 1316. *vol. XV. M. B.* inſerendo ſeine lieben *Vetern* ſalutat.

Idem Imperator RUDOLFI fratris ſui ſenioris filium itidem RUDOLFUM chariſſimi *patrui* ſui elogio honorat. *Abhandl. der churbaier. Akad.* (*vol. III. p.* 185. *c.*) Ibidem *vol. V. p.* 12. „*RUDOLFUS Dux Bavariæ, Princeps, & patruus noſter kariſſimus.*“ Item *p.* 20. *not. ttt.*

N) Vt ideo clariſſ. D. *Wilhelm. Philipp.* GERCKEN, vir iſtarum rerum callentiſſimus, in *Codice diplomatico Brandenburgenſi*

genſi Tom. I. N. CXIX. *pag.* 199. not. b. merito tanquam regulam poſuerit: „*Patruus* bedeutet in Urkunden, und auch bey den Scriptoribus medii ævi faſt allemal des *Bruders Sohn.*“

N) Aio itaque, ſi ſtante lectione dubia *το patruus eius* referendum ſit ad ſequentem BERTHOLDUM, ſenſum eſſe, quod BERTHOLDUS ASCUINI filius, PATRUUS, hoc eſt *patruelis* fuerit FRIDERICI I. anno 1100 adhuc ſuperſtitis, aut etiam FRIDERICI II. qui ex duobus germanis nati fuerant. Sin autem, ut GANSERO placet, legendum ſit: ASCUIN, & FRIDERICH *patruus eius*, hoc eſt, ASCUINI; tunc de FRIDERICO II. intelligo, qui vere erat ASCUINI *patruelis*, quippe filius FRIDERICI I. germani ipſius ASCUINI, qui & in hac ipſa traditione ASCUINI *nepos* adpellatur: „Quam traditionem (*fratrum Rottenſium*) ipſe ASCUIN in manus *nepotis* ſui FRIDERICI (*ſecundi*) filii FRIDERICI (*primi*) delegavit.“ Sed etiam poſt præmiſſa verba: „ASCUIN & FRIDERICH patruus eius &c.“ immediate ſubiungitur: „ADELHEID *mater* FRIDERICI.“ Qui alius a *ſecundo* eſſe nequit. (N. 12. 13.)

O) Patebit inſuper ex ſequentibus, LUTGARDEN, certiſſimam ALBERTI I. BERTHOLDI I. & HARTUICI II. matrem, non alterius, quam ASCUINI mei unici uxorem fuiſſe, quæ dicitur altrix beati *Wilhelmi Windbergæ* commorantis, & meminit, ab eodem viro vatidico ſpiritu prædictam fuiſſe *immaniſſimam cladem ſaxonici prælii apud Unſtruth fluvium* (1075.) *patrati per nimiam tyrannidem quarti Henrici:* ante quem annum nullus ASCUINUS II. LUTGARDÆ maritus ſomniari poteſt.

P) Quæ

Digitized by Google

P) Quæ ad verum, unicumque ASCUINUM pertinent, modo ſubiungere iuvat. Legimus de eo in codice HERMANNI Abbatis *Mon. boic. XI. p.* 20. ſequentia: „ ASCHWINUS autem Comes de *Pogen* fuit tempore HENRICI III. (*Imp.*) & ADALHARDI, WENZLAI & WALCHERI ✝ 1098. advocatus *Altahenſis* eccleſie. Hic ASCHWINUS fertur Pohemos irruentes in provinciam noſtram tribus bellis (forte *prœliis*) viciſſe, & in ſignum victorie quamdam crucem cum bipenni in quadam abiete, in monte, qui vocatur *Aphalterſperg* excidiſſe, que abies usque hodie vocatur *Aſchwines Tanne.*“

Q) Mirum profecto, nullum *Boiariæ*, *Bohemiæque* Scriptorem nec veterum, nec recentiorum, quos non perfunctorie pervolvi, huius irruptionis in patriam noſtram, & victoriæ ab ASCUINO adverſus *Bohemos* reportatæ memoriam ingerere. Quapropter vehementer ſuſpicor HERMANNUM, vocis ſimilitudine deceptum, AZZONEM quemdam, eodem tempore celebrem *Auſtriæ* Belliducem, cum noſtro AZUINO confudiſſe; de quo ATOLDUS ad an. 1062 apud HANTHALER *Faſtor. Campilil. I.* 1284. „ BELA regnum *Hungariæ* uſurpans ob æmulum SALOMONEM irruit in *Oſterrichiam*, ubi is manſit cum ingenti exercitu, ſed ERNUSTUS virtute patris non minor, generoſe reſtitit, & hoſtem fugavit AZZONE fortiſſimo capitaneo uſus.“ Quoniam autem an. 1082 & ſeq. inter LEOPOLDUM Marchionem *Auſtriæ*, quæ tunc *Bavariæ* pars erat, & *Bohemos* bellum exarſerat, his an. 1082 ab AZZONE cœſis, & *Auſtria* pulſis; hinc iſta AZZONIS victoria, adverſum *Bohemos* irruentes reportata, facili errore ASCUINO noſtro adſcribi potuit.

Digitized by

R) Certum ſiquidem eſt, prædicto an. 1082 WRATISLAUM Ducem *Bohemiæ*, cum OTTONIS *Ratisbonenſis* Epiſc. copiis *Auſtriam borealem* devaſtaſſe, anno autem ſequente ab AZZONE, LEOPOLDI pulchri Marchionis ſtrenuo Belliduce, hoſtes devictos, fugatosque fuiſſe, quod pluribus enarrat HANSITZ I. 272. *Sigismund.* CALLESIUS in *Annal. Auſtriæ P. I.* 397. & ex eo *Gelaſius DOBNER* in *Annal. Bohem. Hagenianis P. V.* 294-98. & addit uterque ex CUSPINIANO, pulſo ultra *Teiam* WRATISLAO, ædem ſacram in eo prato (*victoriæ*) quod ab AZZONE etiamnum nomen habet (*Azzmanswiſen*) victoriæ monumentum poſitum fuiſſe. Legantur citati autores, & illuſtris LORIUS ad an. 1082, qui ſolus inter noſtros, res in partibus, nunc a *Bavaria* avulſis, geſtas ordine chronologico adcurate recenſet.

S) Facile igitur accidere potuit, ut, quod in Marchia *Boiariæ* contigit prælium, & victoria in *Azzonis Wiſe* obtenta *Azuino Bogenſi* tribueretur, & locus victoriæ fama volante diceretur *Azwins Weis tanne* pro *Azzmanswiſe*. Quodſi autem quispiam ASCUINI abietem, (*Aſchwinstanne*) & montem *Apholtersperg* in hodierna *Bavaria* monſtraverit, inſuper tempus, ac occaſionem certaminis noſtrorum cum *Bohemis* probabili ratione oſtenderit, tunc AZUINUM noſtrum ab AZZONE prorſus coævo diſtinguendi viam ille nobis præformabit hactenus ignotam: niſi quis forte coniicere malit, HERMANNUM loqui de turma quadam prædonum e *Bohemia* erumpente, & *Boiariæ* fines infeſtante, quod in Annales relatum non fuerit.

Dum autem heic deceptum ſuſpicor HERMANNUM, non ſequitur, illum etiam in poſteris ASCUINI aſſignandis ceſpitaſſe.

Digitized by Google

taſſe. Horum enim documenta ſuperſuiſſe, non eſt, quod dubitem.

T) In Monumentis *Oberaltacenſibus* ſemel tantum adpellatur, *Advocatus.* (*Cod. prob. N. VIII. b.*) In marmore ſepulcrali dicitur Comes de *Pogen*, nomine ab IOHANNE Abbate eidem indito.

Audit quoque de *Zidlarin* (*Cod. prob. N. V.*) quod adiectum etiam filio eiusdem HARTUICO tribuitur (*Cod. prob. N. V.*) cum ALBERTUS dici conſueverit de *Windberg*, & BERTHOLDUS de *Bogen.* Quæ nominum diverſitas nequaquam diverſas indigitat familias, ſed diſtincta prædia, & poſſeſſiones, ex paterna diviſione, hæreditate, vel dote ad filios devolutas.

Vbi autem inquirendum iſtud *Zidlarn*? Credo, diverſum eſſe ab illo, ad *Alzam* fluvium ſito, quod integro cuidam pago *Zidlarngeu*, hodie *Walde* dicto, nomenclaturam debet. Sunt loci plures in *Boiaria*, & in hac quoque vicinia *Zeidlarn* dicti.

V) Hos inter præcipuus ad ſiniſtram *Regani* fluminis ripam haut procul *Ratisbonā* boream verſus, qui hodie *iudicium & foreſtum Zeitlarn* adpellatur, & ſub iſto nomine præfecturæ *Pedepontanæ* adiectus eſt, etſi in regimine *Ambergenſi* ſitus. An ASCUINUS noſter ab iſto loco adpellationem ſumſerit, aut a ſe primum condito ipſe indiderit, quis certo definiet? Id conſtat, Comites iſtos in illa circum regione *Nordgovienſi* fuiſſe potentes, & videtur coniectura haut improbabilis, ASCUINUM ibidem, utpote loco venationibus apto, arcem aut ædes exſtruxiſſe, in memoriam pagi *Zidlarienſis*, cui avus

BABO

Digitized by Google

BABO, & ipſus forte, aliquando præerat, *Zidlarin* hodie *Zeitlarn* dixiſſe, indeque nominari voluiſſe. (N. 2. R.)

FALKENSTEINIO autem aſſentiri non poſſum, qui ab iſto loco *Zeitlarn* integrum quemdam pagum minorem *Zeidlarngau* in maiore *Nordgovienſi* nominis æquivocatione deceptus ſtatuit in ſua tabula *Nordgoviæ* veteris *Tom. I. Antiquit. Nordgov.* inſerta, quæ plurima emendatione indiget.

W) Vxor eius LUTGARDIS nunquam de *Zidlarin*, ſed conſtanter de *Windberg* adpellatur, quemadmodum &, filius ALBERTUS I. cuius rationem N. ſequente dabo.

ASCUINUM vero etiam in meridionali parte *Danubii* quæpiam poſſediſſe, cum ex dictis, tum e marmore ſepulcrali patet, ubi de eodem legitur: „Qui dedit nobis *Bogen*, & *Aiterhofen*, duas ſcilicet Eccleſias parochiales cum iure patronatus, quas Monaſterium ſibi dudum incorporatas per ſuos vicarios regulares expoſitos regit.

X) Quousque dies protraxerit noſter, nullibi adnotatum inveni. Quoniam vero in ſolemni Monaſterii *Oberaltacenſis* reſtauratione, ſeu dotatione an. MCIIII. uxor eius LUTGARDIS cum liberis absque marito comparet; (*Cod. prob. N. IV.*) inde arguere licet, illum intra an 1100, quo ſuperſtes erat, & hunc an. 1104 vitam cum morte mutaſſe, tumulumque communem cum germano ſuo FRIDERICO I. in Eccleſia *Bogenbergenſi* conſequutum fuiſſe. (N. 9. F.)

Diem obitus ſervavit necrologium *Oberaltacenſe* „VI. Idus Maii ASCHWINUS Comes de *Pogen*.“ *Plenum officium fiat*, quod etiam, alia licet die, ſolemniter quotannis peragitur.

Num.

Digitized by Google

Num. 28. LUTGARDIS VXOR ASCUINI iunioris.

A) Hæc matrona, indubitata mater BERTHODI I. ALBERTI I. & HARTUICI II. certiſſime etiam uxor exſtitit ASCUINI, in hac linea unici, prædictorum filiorum patris, ut partim ex præmiſſis, partim ſequentibus patebit.

Fallitur ergo AVENTINUS (N. 27. B.) eumque ſequutus GANSERI ſcholiaſtes *p.* 427. qui eam HARTUICO, huius ipſius LUTGARDIS filio, coniugem tribuunt. Nec minus fallitur GANSERUS, fictitio ASCUINO II. eamdem iungens, uti in mea tabula genealogica (B.) manifeſtum eſt.

B) Primo omnium occurrit in *relatione de origine Monaſterii Windbergenſis* ex Codice MS. huius loci *ab Henrico CANISIO* Edit. *BASNAGII Tom. III. P. II. p.* 221. nunc *vol. XIV. Mon. boic.* inſerta, ubi *p.* 11. hæc leguntur *de B. Wilhelmo*: „Vnde non mirum, ſi pro certiori futurorum bonorum exſpectatione ſpiritum meruit prophetiæ, per quem cum multa prædixerit, ut nobis beatæ recordationis *altrix* eius comitiſſa LUITKARDIS retulit, illa duo memoriæ noſtræ cohærent, videlicet immaniſſima clades Saxonici prelii ſecus *Vnſtruth* fluvium nimia crudelitate patrati per tyrannidem *quarti* HENRICI (1075.) diesque reſolucionis, hanc apte notatam reperimus in feſto VICTORIS Papæ, & Martyris ſcil. in XII. Kal. Maii, ut per hoc etiam deſignaretur victorioſus ad Chriſtum eius tranſitus.“

Ex iſta relatione ſatis clare patet, autorem poſt obitum LUTGARDIS, circa an. 1120 defunctæ, quam *beatæ recordatio-*

nis adpellat, atque adeo ſeculo XII. medio ſcripſiſſe, niſi forte adhuc iunior ſit.

C) Quibus parentibus orta fuerit, hactenus incertum erat, & nemo eius genus indicavit, neque GANSERUS, nec eius ſcholiaſtes, tam ſolliciti in reformandis meis *Notis ad vol. XII. Mon. boic.*

Cum ante quatuor luſtra primas veluti lineas illuſtriſſimæ huius familiæ ducerem, ſuſpicabar, illam loci *Windbergenſis* Dominam eumdem marito ſuo ASCUINO *Cidlarienſi* in dotem adtuliſſe, indeque fuiſſe factum, ut & ipſa & filius ALBERTUS I. de *Windberg* adpellati fuerint, nec enim ante hæc tempora *Windbergæ* huius mentio occurrit, niſi in fabuloſa relatione de origine Monaſterii, & neſcio cuius *Winithi* (B.) Hinc & porro hariolabar, illam exſtitiſſe ſororem FRIDERICI de *Windberg*: quod nunc miſſum facio, poſtquam aliunde certiora de genere huius matronæ experiri contigit.

D) Autor anonymus *libri conſtructionum*, qui MS. exſtat in principali abbatia S. BLASII *ſylvæ nigræ* apud illuſtriſſimum Principem eiusdem præſulem in *hiſtoria nigræ ſylvæ Tom. I. p. 395. XVIII.* ſequentia hanc in rem ſubpeditat:

„ ADALBERTUS ex illuſtriſſima ferocium *Noricorum* proſapia oriundus fuit filius ADELPERCHTI Comitis de *Wirtenberg* (hoc loco legendum eſſe de *Windberg* operoſe probat, & omnino evincit celſiſſ. chronici autor) de *Windberg* & *Bogen* viri in omni ſæculari honore præſtantiſſimi, atque in rebus bellicis ſtrenuiſſimi, hoſtium patriam incurſantium colla conſtanti reprimens efficacia, ſe, ſuasque victorioſiſſime defenſando partes.

tes. Cuius etiam præclariſſimi Comitis *mater LUIKARDA* nobiliſſima Comitiſſa hoc Monaſterium (S. BLASII) in Sanctorum reliquiis, ac ſacrarum veſtium aliisque innumeris accumulavit pretioſis donariis. Quæ demum abiecta omni ſuperbia generis & luxu mundi induit humilitatem, & paupertatem Chriſti: ſicque tandem perfecte ſecuta Chriſtum ſeipſam abnegavit ſtultaque ſapientia ſeculi poſthabita ſapienti ſtultitiæ dei atque monaſtico habitui apud cellam noſtram *Berow* tota cordis contritione ſe ſubmiſit, ſicut lector plenius in ſuo loco reperiet: (de quo tamen, quod dolendum, in decurſu operis nulla amplius mentio recurrit) cuius etiam (pergit *anonymus*) frater CUNRADUS de *Wirtenberg* (*Windberg*) & ipſe locum iſtum prædiis ſuis ditavit, protexit auxiliando, auxit protegendo: cui (*Conrado fratri Luikardæ*) filius ſororis ſuæ (ſcil. eiusdem LUIKARDÆ, *Albertus ſecundus*, de quo *autor iſte ex inſtituto tractat*) ſucceſſit, & de eodem caſtello eiusdem nominis " (ſcil. *Windberg.*) Hactenus *anonymus S. Blaſianus*, ad quem plura adnotanda veniunt.

E) *Primo* quidem cum gratiis acceptanda eſt hæc notitia de genere noſtræ *Lutgardis*, cui certe cum *Wirtenbergenſibus* in *Suevia* nil fuerat commune; hinc & celſiſſ. autor fratrem LUITKARDÆ CONRADUM, non de *Wirtenberg*, ſed de *Windberg* dictum rectiſſime cenſuit.

Etiamſi autem dubium moveri poſſit, quomodo CONRADUS LUITKARDÆ frater, ſi *Bavarus* fuerit, prædiis ſuis, utique non in *Suevia*, & *ſylvæ nigræ* vicinia ſitis, locum *Sanblaſianum* ditare, & protegere potuerit; huic tamen difficultati ita occurri poteſt, ſi per coniecturam non improbabilem admittatur, illum nuptiis, cum aliqua comitiſſa *ſuevica* con-

Digitized by Google

tractis, prædia quædam, forte Monasterio *Blasiano* vicina, *dotali* titulo accepisse, quæ prole destitutus (nam de successione non constat) eidem Monasterio contulerit.

Firmant istam coniecturam verba anonymi *Blasiani loc. cit. p.* 402. *prætermissis aliis locis* „*hoc in loco diem iudicii exspectat*, quod de sepultura in S. BLASII electa merito intelligitur, & vix de alio quam *Conrado*, LUITKARDÆ fratre, accipi congrue potest. De isto enim CONRADO, qui præter sororem LUTKARDAM, ex solo anonymo *Blasiano* notam, duos alios fratres germanos habuit HERMANNUM, & VDALRICUM de *Windberg* dictos, scribit HUNDIUS *Stemmatog. I.* 126. eum cum HENRICO IV. Imp. in *Italiam* profectum obiisse anno 1083 *Basileæ* sepultum. Quæ verba ita accipere mallem, quod in reditu ex *Italia Basileæ* obierit ad S. BLASIUM inde translatus, facile enim *Basel* cum *Blasio* confunditur.

F) Addit porro idem HUNDIUS *l. c.* ex AVENTINO, VDALRICUM de *Windperg* cum uxore sua MATHILDE Monasterium *Varnbach* fundasse, fateturque, se ignorare, quale istud *Windberg* fuerit. Ignoraverunt hactenus hunc locum scriptores ad unum omnes, & cum exstante hodiedum *Monasterio Windbergensi* confuderunt, quem errorem detexi (N. 45. F. seqq.) atque ostendi, Comites quosdam *Vahrnbacenses*, & hos inter CONRADUM istum, a quodam castro ad dextram *Oeni* ripam e regione *Neuburg* sito, qui locus sine arce quidem, sed eodem sub nomine supereſt, sex ædibus constans, de *Windberg* dictos fuisse, quo lector remitti se patiatur.

G) Ex ista ergo observatione denique manifesta evadit LUTGARDÆ nostræ prosapia, quam in *tabula* (D.), alia occasione

ne idoneis teſtimoniis comprobanda & amplificanda, exhibeo. Erat nempe orta ex illuſtriſſimorum Comitum *Varnbaco-Neoburgenſium* linea a caſtro hæreditario de *Windberg ad Oenum* dicta, filia MEGINHARDI advocati *Nideraltacenſis*, cui in eodem munere maritus ASCUINUS ſucceſſit, teſte HERMANNO Abbate *M. B. XI.* 20. (*Cod. diplomat. N. III.*)

„Tempore ADALHARDI Abbatis MEINHARDUS & ASCHWINUS fuerunt advocati Eccleſiæ.“ ASCHWINUS autem Comes de *Pogen* &c. (N. 27.)

H) In ſolemni Monaſterii *Oberaltacenſis* innovatione (*Cod. prob. N. IV.*) legitur: „LEUKARD de *Windberg*, & duo filii eius BERTHOLDUS ADALBERTUS 1104.“ Idem ADELBERTUS filius eius, Comes de *Windberg* adpellatur in bulla confirmationis an. 1126. (*Cod. prob. N. XI.*) Vnde autem hæc adpellatio, an de caſtro ſito ad *Oenum*? An de altero ante ſylvam *bohemicam* in Monaſterium converſo?

Crediderim, LUTGARDEN, ante nuptias cum ASCUINO initas, a caſtro hæreditario ad *Oenum* ſito, de *Windberg* fuiſſe dictam, maritum vero in gratiam uxoris in loco hodierni Monaſterii habitationem exſtruxiſſe itidem *Windberg* dictam. Nam & hodie fama ſupereſt, ſtetiſſe ibi quondam arcem venatoriam, huic recreationi ſatis accommodam, quam traditionem firmare videtur Scutum Monaſterii hodiernum, quod in medio Rhomborum boicorum exhibet *canem album venaticum*. *M. B. XIV.* & *Wening. Topogr. Bav. Straubing.*

Neque tamen negaverim, fieri potuiſſe, ut ipſa LUTGARDIS vidua tuſculum quoddam ibidem, a linea ſua *Windbergen-*

Digitized by Google

bergenſi dictum, excitaverit, unde ipſa cum filio ALBERTO de *Windberg* cognominata fuerit, donec eodem ad religioſos uſus deſtinato, ideoque deſerto, & habitatione ad *Bogen* translata, inde deinceps poſteri ſe ſcripſerint. Verum iſtæ conjecturæ ſunto!

I) Inveterata, nec unquam interrupta in Monaſterio *Oberalteich* atque vicinia perſiſtit traditio, paullo poſt initium ſec. XII. ad pedem montis, *Bogen* dicti, undecunque demum advenisſe ſtatuam lapideam, quæ B. V. MARIAM divino fœtu gravidam in hanc usque diem frequenti populorum adcurſu & pia veneratione cultam, repræſentat, quam Comes ASCUINUS cum religioſiſſima coniuge ſua LUTGARDE non modo lætanter in arce ſua exceperit, ſed hanc ipſam quoque in Baſilicam converterit, ſede ſua ad locum quemdam inferiorem eiusdem montis, inde *Schloſsberg* hodiedum dicti, translata. Firmat hanc traditionem marmor ſepulcrale in Eccleſia Monaſterii *Oberalt.* exiſtens *tab. III.* ubi legitur: „ASCHWINUS A POGEN, QUI DEDIT NOBIS POGEN, ET AYTTERHOVEN.“ De eius autem uxore LUTGARDE *in Cod. prob. N. V.* legitur: „Item domna LIUTGARD & filius eius ADALBERTUS Comes partem curtilis in villa quæ dicitur *Altaha*, & Eccleſiam *Bogana* cum dote & VI. mancipia S. PETRO donavit.“ Quod poſt mortem mariti intra an. 1101 & 4 contigerit, factam eiusdem priorem donationem confirmando.

K) Supereſt adhuc una traditio, ubi huius LUTGARDÆ, filiique BERTHOLDI (primi) fit mentio ſub Abbate EGINONE an. 1105 defuncto, unde conſequitur, eam illo quidem tempore factam, ſerius autem ſcriptam fuiſſe. Ita autem habet (*Cod. prob. N. VII.*)

„No-

„ Notum ſit, - - qualiter dive memorie domnus FRIDERICH (*ſecundus*) & fratres ſui HARTWICUS, & OUDALRICUS & PERTHOLDUS filius LIUTGARDÆ equali parte tradiderunt &c. Quam traditionem ſuſcepit advocatus FRIDERICUS (*ſecundus*) & Abbas EGINO . . . . Huius rei ſunt teſtes PERTHOLD Comes (filius Luitgardæ) HARTUICUS frater advocati (*Friderici II.*) . . . & alii quam plurimi milites dominorum.

L) Poſt hanc traditionem nec LUITGARDÆ nec filii BERTHOLDI in iſtis Monumentis aliisve, quod ſciam, ulla iam recurrit mentio, ut admodum veroſimile ſit, quod *in hiſt. nig. ſylv. Tom. I. p.* 394. *N. XVII. ſeq.* refertur, noſtram LUITGARDEN viduam cum filio ſuo BERTHOLDO relicta patria ad S. BLASII Monaſterium in *ſylva nigra* diſceſſiſſe, hunc quidem in eodem cœnobio monaſticam vitam amplexum, (N. 29.) illam vero in Parthenone *Berowe*, ſtatim poſt initia ſæc. XII. a GODEFRIDO *Sanblaſianis* tradito, ſanctimonialibus ibidem cum omni mundo muliebri ſe adgregaſſe, (de quo ſupra D. hoc N.)

M) Quo anno in iſto religioſæ vitæ inſtituto obierit, dicere non habeo. Forte Codex probationum ad *hiſtor. nig. ſyl.* qui propediem exſpectatur, certiora prodet. In necrologio *Windbergenſi* (M. B. XIV.) adnotatur dies: „ VII. Kal. Octob. LIUKART Comitiſſa.“ Quæ an noſtra ſit, determinare non auſim. Id mihi certius videtur, inteſtina quidem, & carnes eius excoctas, in Parthenone *Beravienſi* ſepulta, oſſa vero exſiccata, pro ætatis illius more, in patriam translata & tumulo mariti in *Bogenberg* adiuncta fuiſſe. (N. 9. F. ſeq.)

N) Prodiit iam nunc Codex iſte probationum diplomaticus, ceu Tomus III. *hiſtoriæ nigræ ſylvæ*, ad cuius calcem poſt indicem

dicem rerum & verborum inter *Addenda* legitur: „Elogium LUTGARDIS ceu *venerabilis* martyrologio ſuo inſeruit *Berovienſis* parthenon ad d. 21. Octob., qua forte obiit, anno tamen non annotato.“ Quapropter LUTGARDIS necrologio *Windbergenſi* ad diem 25 Sept. inſerta, aut alia eſt a noſtra, aut in iſtud error irrepſit, qui in tanta locorum diſtantia facillime accidit.

Num. 29. BERTHOLDUS I. Aſcuini & Luitgardæ filius.

A) Iſtum BERTHOLDUM miſere torquet GANSERUS, dum *p.* 453. RICHARDAM, *Pertholdi Kottenſis* uxorem, huic noſtro nolenti obtrudit, & patrem eſſe iubet FRIDERICI cuiusdam, qui ALBERTI I. Comitis de *Windberg*, germani huius BERTHOLDI noſtri, miles erat, aliis & inferioris conditionis parentibus ortus, ut ex hoc ipſo Num. manifeſtum evadit.

B) Etſi autem BERTHOLDI huius Comitis in codice HERMANNI Abbatis nulla fiat mentio, & ab AVENTINO male dicatur *nepos ASCUINI*, cuius filius *immediatus* erat; produnt illum tamen Monumenta *Oberaltacenſia* (*Cod. prob. N. IV.*) „LEUKART de *Windberg* (vidua ASCUINI, iam tunc defuncti) & duo filii eius BERTHOLDUS, ADALBERTUS comites. - - Et teſtes ſunt hee nobiles perſone: FRIDERICH (ſecundus) advocatus, BERCHTOLDUS de *Bogen*, HARTUICH de *Ceydlarn* (prioris germanus frater) an. MCIIII. - Ibidem N. VI. B.“ - Notum ſit, qualiter qnedam domina nomine IUDITA de *Winzera* delegavit unum manſum in manus BERTHOLDI comitis - - quam traditionem ſuſcepit EGINO abbas (defunctus an. 1105.) & advocatus FRIDERICUS (ſecundus; nam primus hoc nomine obierat

ierat an. 1101.) Et iſti ſunt teſtes: ADALBERTUS, HARTUICUS (fratres BERTHOLDI) - Denique ibidem N. VII. „Notum ſit omnibus, qualiter dive memorie domnus FRIDERICH (II.) & fratres ſui HARTUICUS & OUDALRICUS, & BERTHOLDUS filius LUITGARDE - - Quam traditionem ſuſcepit FRIDERICH (ipſe donator) & abbas EGINO. Huius rei teſtes ſunt, nobiles PERTHOLT comes, HARTUICUS, frater advocati - (non *fratres*, ut errore typi legitur in *Mon. Oberalt.*)

C) Poſt iſtas traditiones & teſtimonia domeſtica ab an. 1104 vel ſequente, in iſtis, aliisque patriis documentis penitus disparet BERTHOLDUS noſter, neque etiam in necrologio *Windbergenſi* integerrimo, ubi omnes *Windbergenſis* familiæ, utriusque ſexus perſonæ (excepto ALBERTO II. in obſidione caſtri *Phaleyenſis* 1140 extincto, & extra patriam defuncto, ut ſuo loco videre eſt) exacte recenſentur, ulla eius occurrit memoria. Quapropter admodum veroſimile eſt, illum relicta patria ſuisque deſertis, alio ſe contuliſſe, tumulumque inveniſſe.

D) *FALKENSTEINIUS Antiqq. Nordgov. Tom. II. p.* 278. & 281 illum in celeberrimo S. BLASII hodie principali Monaſterio *ſylvæ nigræ* cucullum ſumſiſſe ſcribit, ſequutus forte LAZIUM de *migrat. gent.* VII. 390. cui etiam adſtipulatur genealogia Comitum Arcuanorum, *Falkenſteinio* multum vetuſtior.

Mirabitur forte nonnemo, ſi monaſtici inſtituti capeſſendi cupido illuſtrem hunc iuvenem inceſſit, cur non in quodam patriæ monaſterio, quorum plurima tunc florebant, ſed in loco adeo remoto, propoſitum ſuum exſequi voluerit? Nempe ſpiritus, ubi vult, ſpirat, & eo, quo vult, trahit, adſuntque

exempla plurima virorum illuſtrium, qui relicta domo, rebusque patris, ſoli Deo placere cupientes, ſanctæ converſationis habitum in locis remotiſſimis quæſierunt. Nec deeſt ratio congrua, cur BERTHOLDUS noſter ad *nigram* usque *ſylvam* excurreret. Erat enim illa aetate ſumme celebris abbatia *ſanblaſiana*, & magnus eo undique candidatorum concurſus, teſte BUCELINO in *Conſtantia ſacra & profana* P. II *Chronologica p.* 232. „Ad S. BLASII RUSTENUS poſt VTHONEM abbas ſanctitatis famam cœnobio ſtrenue conſervavit, qua illecti *illuſtriſſimorum plurimi* paupertatem Chriſti opibus ſponte præferentes, illius ſe ſervitio ibidem devoverunt, quos inter EBERHARDUS ſive ALBERTUS, Comes *Wirtenbergicus* CONRADI & GERTRUDIS, ultimæ de *Beutelſpach* comitiſſæ filius, haud paucos ſui admiratione eadem (eodem) pellexit.“

E) Facile hos inter *illuſtres* BERTHOLDUS noſter fuerit, fruſtra hactenus in *Bavaria* poſt an. 1105 inquiſitus, præſertim, cum ſciamus ex Celſiſſimi Principis GERBERTI *Hiſtoria nigræ ſylvæ Tom. I. p.* 385, RUSTENO abbati, an. 1125. XII. Kal. Octobris defuncto, datum eſſe ſucceſſorem BERTHOLDUM, quem noſtrum eſſe ſuadent & nominis identitas, & temporum circumſtantiæ. Qui enim fieri alias potuiſſet, ut LUTGARDIS, comitiſſa de *Windberg* vidua, pro ſacro velamine in Parthenone *Beravenſi* ſuscipiendo ad *nigram* usque *ſylvam* excurreret, eiusque nepos ALBERTUS II. in obſidione caſtri *Phalavenſis* lethaliter ſauciatus, in extremis Monachum *Blaſianum* indueret, ibidemque ſepeliri vellet, niſi mater ad filium, nepos ad patruum, confugere voluiſſent? (№ 28. & 34.)

F) Acce-

F) Accedit teſtimonium BUCELINI in citata *chronologia p.* 144. ubi ad ann. 1147. (rectius 1141, quo pag. præcedente illum obiiſſe ſcripſerat) ait: „Præter alia diœceſeos (*Conſtantienſis*) lumina ex Heremo Herciniæ eluceſcit hoc anno magno ſplendore BERTHOLDUS *primus* nomine Comes de *Pogen*, *Hohenpogen* & *Windberg*, Carolingorum, Regum & Cæſarum familia oriundus, qui in monaſterio S. BLASII cæteris Sanctis in ſtudio perfectionis ſociatus, multos ſui nominis fama ad contemtum mundi & ad ſublimiora amplexanda, ea nimirum, quæ Dei ſunt, quærenda concitavit. "

Non utique ex ingenio ſuo iſtud finxerit BUCELINUS, ſed alicubi legerit, inſtrumento hodie fors non ſuperſtite. Iuvat autem ad hunc locum non nulla adnotare.

G) BERTHOLDUS iſte *primus* dicitur, & merito quidem; erat enim hoc nomine *primus* inter *Comites*, quem duo alii ſequuti ſunt æquivoci, & erat *primus* huius nominis *abbas*: ſi enim de ſimplici Monacho, ex Comite converſo, civiliter mortuo, ſermo foret, nulla opus fuiſſet additione numeri ordinalis, utpote alias inſoliti.

Porro illum ex Carolingorum, Regum & Cæſarum familia oriundum fuiſſe, ex ipſa tabula genealogica (A.) ad oculum patet; nec ullus heic hyperboli locus.

H) Ad eumdem iam Abbatem anno 1137 litteras pro cella *Ochſenhuſana* direxit INNOCENTIUS II, quas ex archivo S. Blaſii autographas edidit Cl. *Gerardus* HESS in præfat. ad *Monumentor. guelficor.* partem hiſtoricam: „INNOCENTIUS - - dilecto filio BERTHOLDO Abbati Monaſterii S.

Digitized by Google

BLASII de *ſylva nigra* eiusque ſucceſſoribus tam præſentibus quam futuris &c. „datum *Romæ* - III. Kal. Decemb. Ind. I. an. - MCXXXVII. - - “

Magna cum laude, & emolumento præfuiſſe, teſtatur antiquus Rotulus *Ioannis de Ochſenhauſen*, in *hiſtoria nigræ ſylvæ I.* 385. „ Res Monaſterii ſui prædiis auxit, & ipſe hunc locum tempore periculoſo ad regendum ſuscepit: ipſe litem & controverſiam inter iſtud Monaſterium & *Baſileenſes*, quæ ab anteceſſoribus ſuis ſibi relicta fuerat, ſedavit, & ſua ſapientia & induſtria pacificavit.“

I) Addit ſequentia celſiſſimus autor: „Obiit eo ipſo anno 1141, quo res demum compoſita eſt, IIII. Nonas Auguſti, ad quem annum laudatum Chronicon eius mortem his verbis adnotat: *Domnus BERTHOLDUS abbas feliciter exſpiravit.* Eum ampliandæ quoque rei litterariæ, in conſcribendis potiſſimum codicibus, intentum fuiſſe, Bibliotheca domeſtica (*Sanblaſiana*) ſæc. XIV. igne & ſæc. XVI. præterea furore ruſtico plurimum perpeſſa, argumentum dare nequit; poteſt autem *Rhenaugienſis*, quæ codicem ſæculi XII. ſervat cum hac Epigraphe:

Iſtius libri præcepit opuſcula ſcribi
Abbas magnificus Domini BERTHOLDUS amicus.

Ex iſtis de BERTHOLDO noſtro pertractatis lectores præiudiciis liberi facile ſibi perſuadebunt, illum non modo Monachum in S. BLASII induiſſe, ſed & faſces abbatiales fuiſſe moderatum, cum nomen & ætas ei omnino congruant.

K) Non

Digitized by Google

K) Non debuerat ergo GANSERUS eius monachatum tam levi brachio excutere, & FALKENSTEINUM, qui illud forte in BUCELINO legerat, illico erroris arguere, tot ipſe peccatorum, maxime in chronologiam, reus, quippe qui hunc ipſum BERTHOLDUM *Comitem de Bogen* cum altero PERTHOLDO de *Rotta* manifeſte confundit, quod hoc loco obportune monſtrandum eſt.

L) Qui monumenta *Oberaltacenſia*, & iſtam traditionum congeriem *p.* 17. *ſeqq.* perluſtraverit, facile advertet, perſonas ſingulas, ad familiam *Bogenſem* pertinentes, certis notis discretivis indigitari, ut primo intuitu dignoſci valeant.

Sic FRIDERICUS I. per uxorem ADELHEIDEN, FRIDERICUS II. cum fratribus & ſorore per eamdem ADELHEIDEN matrem, FRIDERICUS III. per matrem LUTGARDEN, & uxorem IUDITHAM, ab aliis omnibus ſecernuntur.

In linea ASCUINI tres filii eius dicuntur filii LUTGARDÆ. Quid, quod utraque linea ab invicem accurate diſtinguatur, dum HARTUICUS dicitur filius ADELHEIDIS, hinc & FRIDERICI I, & frater advocati FRIDERICI II, alius autem HARTICUS patri ASCUINO tribuitur: BERTHOLDUS Comes filius *Lutgardis de Windberg*, & iterum filius LUTGARDÆ, & *Comes* adpellatur.

M) Solus *Pertholdus* in hac traditionum congerie N. V. nulla nota diſcernitur, nec uspiam elogio *Comitis* honoratur, ut inde merito inferre liceat, nullum de eo ibi ſermonem eſſe, ſed de altero PERTHOLDO Rottenſi, & fratre OULDALRICO, eorumque ſervientibus. (N. 25.)

N) Com-

N) Commentitium præterea eſt, quod ait GANSERUS *p.* 434. *n.* 10. BERTHOLDUM *Bogenſem* ab aliis PERTHOLDIS per hoc diſtingui, quod pater dicatur FRIDERICI NB. de WINDBERG. Vbi enim hoc legitur? Nam Cod. prob. N. V. iſta ſolum verba exſtant: „ *Pertholt pat. Friderici* “ (vide *tab. n.* 2.) ſine *to* de *Windberg*, quod ipſe de ſuo contra codicum fidem adiecit.

O) Hinc, ſi largiri vellem, abbreviatum *to pat.* legendum eſſe, *pater*, non *patruus*; nondum inde conſtat, quis iſte PERTHOLDUS, quis FRIDERICUS fuerit?

Si ergo in iſta traditionum congerie aliquem BERTHOLDUM de *Bogen* memorari velis; GANSERUS, alius eſſe nequit, quam iſte; „ASCUIN & FRIDERICH, patruus eius PERTHOLT“ hoc eſt, *patruelis* FRIDERICI: & tunc actum eſt de ASCUINO ſuo ſecundo. Si autem *to patruus* eius omiſſo *punctо* referendum vult ad FRIDERICUM; tunc quæro, quis ille PERTHOLDUS fuerit, nulla nota indicatus?

P) Faceſſat igitur BERTHOLDUS Comes de *Windberg*, nuſpiam ſic dictus, nec unquam coniugii vinculo conſtrictus, ſed vitam coenobiticam ad S. BLASII ageus, nec unquam pater, niſi Monachorum. Faceſſat fictitia eius uxor RICHGARDIS, PERTHOLDO *Rottenſi* reſtituenda. Faceſſat alterius PERTHOLDI filius, *Fridericus*, nunquam dictus *Comes de Windberg*, quod nunc oſtenſum eo.

Q) In Codice traditionum *Oberaltacenſium p.* 37. *n.* 39. legitur ſequens:

„ Pa-

„Pateat - - quod - *Friderich*, & mater sua nomine *Tinza* cum filio *Pennon* & cum aliorum consensu filiorum tradiderunt medium mansum iuxta *Eitina*.“ Quis iste *Fridericus* fuerit, patet ex N. 37. „*Walcha dedit Hertwicum & Engilmarum ad altare S. PETRI* pro V. denariis annuatim solvendis pro remedio cuiusdam cogniti sui nomine *Penno* cuius fundus in præsenti servabatur, & postea ad eumdem censum quamdam ancillam N. pro coguata sua iam defuncta W. Huius rei testes sunt: *Gotpolt* & *Gotpolt Friderich*, *Pertolt* fratres defunctorum: „Igitur *Fridericus Tinzæ* filius, frater erat *Pennonis* & W. sororis defunctorum. Immediate subsequitur: „Eodem die *Friderich* quidam miles ADALBERTI Comitis (de *Windberg*) tradidit quemdam servum suum ad eumdem censum ad altare S. PETRI, & huius rei testes sunt prædicti viri (scilicet *fratres* Friderici) & hi *Rahuvin Engilschalch*.“

R) Quis heic non manibus palpat, *Fridericum* istum ideo de *Windberg* dictum, quod esset miles ALBERTI Comitis de *Windberg*, & ibi etiam habitaret, non autem de familia Comitum *Windbergensium*. Sit igitur hoc schema genealogicum:

Pertholdus; uxor Tinza.

Gotpolt, & Gotpolt. Friderich. Berthold. Pennon. W.

miles Alberti
Comitis de Windberg.

S) Porro *Fridericum* istum, nec PERTHOLDI *Comitis* filium fuisse, nec ad familiam *Windberga - Bogensem* ullo modo pertinere, facile comprobo. Quis enim concoquere valeat, *Fridericum*, in hypothesi adversa, ASCUINI I. pronepotem,

anno

anno 1100 ſynchronum proavi ſui patruo FRIDERICO I. ante ann. 1100 iam defuncto, quarto gradu ab eodem remotum?

T) Sed ecce aliud adhuc paradoxum, dum iſte *Fridericus* ann. 1100 donationem fecit, utique iam ſui iuris & ſaltem 20 annorum fuiſſe ſubponi debet, hinc ann. 1080 natus. In hac hypotheſi *ganſeriana* ab ann. 1052, qui erat natalis ASCUINI I. proavi, intra ſpatium 28 annorum quatuor generationes, videl. ASCUINI I. *Aſcuini II.* BERTHOLDI, & huius *Friderici* in linea recta fingi debent, & filios, nepotes, ac pronepotes fungorum inſtar excreviſſe oportet.

V) Qua item veri ſpecie concipi poteſt, BERTHOLDUM Comitem de *Bogen* (nuſpiam de *Windberg* DICTUM, etſi ad hanc familiam pertinere certo ſciam) hoc anno 1100 iam habuiſſe filium provectæ ætatis, annorum viginti, qui ſervum & manſum tradere potuit, (I. K.) cum tamen germani eiusdem ALBERTI filii an. 1125 dicantur *admodum parvuli* (*Cod. prob. N. XI. vol. XII. p.* 99.) eiusque HADWIGIS ante annum 1115 nullibi occurrat? Ibidem N. IX.

Hem illuſtres anachroniſmos! cuiusmodi in *ganſeriana* pertractatione, publice commendata, omni fere pagina occurrunt.

W) Sit igitur alius *Pertholdus*, neſcio quis, *Tinzæ* tamen maritus, diverſus a noſtro Comite, perpetuo cœlibe, & *Friderici Windbergenſis*, a loco ſic dicti, ac cæterorum liberorum pater.

Sit quoque RICHGARDA alterius PERTHOLDI de *Rotta* uxor, quæ traditionem viri ſui pro remedio animæ illius,

ac

ac omnium debitorum ſuorum firmavit, cum manu filii ENGELBERTI; (N. V.) & omnia ſalva ſunt.

X) Vtrum autem *præpotentes* ac *nobiles* fratres de *Rotta* ad *Bogen* - & *Windbergenſium* Comitum familiam minime pertineant, quod ex tripode pronuntiat cenſor meus, ex iis iudicabit lector, præiudicio liber, quæ (N. 23. & ſeq.) notavi, & ibi probabilem ſaltem nexum inter utrosque oſtendi, de quo tamen cum nemine contentionis ferram reciprocare velim.

Num. 30. ALBERTUS I. COMES DE BOGEN ASCUINI ET LUTGARDÆ FILIUS.

A) De eo hæc habet HERMANNUS Abbas ſæpe citatus & citandus (*Cod. prob. N. II.*) „ Iſte ÆSCHWINUS dicitur ADALPERTUM Comitem genuiſſe, qui habuit uxorem HEDWIGAM, & fuit advocatus *altahenſis* eccleſie. - - Iſte ADALPERTUS conſtruxit Monaſterium *Windberge.*“

Quoniam *Aſcuinus II.* ganſerianus ex hac ſerie iam fuit eliminatus, & ſatis nunc conſtare arbitror, LUTGARDEN certiſſimam uti BERTHOLDI I. & ALBERTI I. matrem, etiam ASCUINI unici coniugem fuiſſe; iam non poterit ex verbo, *dicitur*, inferri, HERMANNUM abbatem fama mendaci fuiſſe deceptum (N. 27. D.)

B) In traditionibus *Oberaltacenſibus* legitur: „ LEICKART de *Windberg*, & duo filii eius BERTHOLDUS, & ADALBERTUS:“

„ Domna LUITGARD, & filius eius ADALBERTUS Comes. Eccleſiam *Bogana* cum dote.“

Digitized by Google

„Dna LUITGARD cometiſſa, mater ADALBERTI comitis.“ (*Cod. prob. N. V.*)

In Monumentis *windbergenſibus* (*M. B. vol. XIV. p.* 12.) „HARTWICUS primus honorate memoriæ *Ratisponenſis* Epiſcopus (ab an. 1105-26.) capellam dedicavit, quam ſuper eum (*Wilhelmum*) Comes ADELBERTUS in ſomnis admonitus pro medicamento gravis infirmitatis edificavit.“

Ibidem. Præterea ſuggerente venerabili RUDBERTO Presbytero, & annuente præfato Comite ADELBERTO ceſſit in dominium huius loci cella *ſancti Engelmari.*“

C) In Mon. *oberaltac.* (*Cod. prob. N. XI.*) an. 1125 adpellatur Comes de *Windberch*, eidemque, ac poſteris ius advocatiæ ſtipulatur, ſi FRIDERICUS II. tunc advocatus, absque prole maſcula, qua illo anno adhuc carebat, deceſſerit.

In *Priſlingenſibus M. B. XIII. p.* 158. ad an. 1138. & *p.* 171. ad an. 1140 Comes de *Windberge* & Advocatus illius Monaſterii audit.

D) Etiamſi autem ante caſtri ſui in Monaſterium converſionem communiter de *Windberg* dictus fuerit; nihilominus anno 1123 etiam Comes de *Pogene* ſcribitur *loc. mox cit. p.* 354. id quod indicio eſt, non tres fuiſſe lineas, *Cidlarienſem*, *Windbergenſem* & *Bogenſem*, ſed unam eamdemque, cuius Comites a prædiis pluribus, quæ poſſederant, nunc iſtud, nunc alterum nomen adoptaverint. Deinceps autem nomen de *Bogen* eidem, ac poſteris eius conſtanter adhæſit, ut ex ſequentibus patebit.

E) Anno

Digitized by Google

E) Anno MCXLII. ut legitur in *relatione de origine Monaſterii Windberg.* (*M. B. vol. XIV. p.* 15.) ab incarn. dom. gubernante monarchiam Rege CONRADO, preſidente dicœceſane noſtre Eccleſie venerabili HENRICO Epiſcopo, anno primo ingreſſus venerandi patris & proviſoris huius loci GEBHARDI - - fundamento templi noviter poſito, muroque ſanctuarii initiato conſecrata ſunt tria altaria in capitibus huius Eccleſie - - conſecravit autem ea altaria dominus STILCO *Olomucenſis* Epiſcopus de provincia, que eſt *Moravia* - - preſente fundatore loci nobili Comite ADELBERTO cum uxore ſua nomine HADEWIC, & duobus filiis ſuis HARTWICO & PERTHOLDO (tertii ALBERTI II. nulla fit mentio, utpote iam an. 1140. in obſidione caſtri *Phaley* peremti) qui quecumque prius donaverat ſuper altare S. MARIE ſupra notatum, coram tanta multitudine fideli devotione delegavit, "

F) Qua vero occaſione acciderit, ut Epiſcopus *Olomucenſis* in aliena *parochia*, quam hodie *dioceſin* dicimus, monaſterium dedicaret, ſuſpicari licet ex necrologio *Windbergenſi*, ubi legitur: „ XV. Kal. Febr. WLATIZLAUS Dux *Boemie.* Iſte propria expenſa deſtinavit ad nos Epiſcopum *Moravie*, qui & dedicavit monaſterium noſtrum. "

G) Quid autem WLATISLAUM permovere potuit, ut extra provinciam ſuam Epiſcopum deſtinaret? Fors ideo:

I. Quia ALBERTI Comitis ſoror LUTGARDIS anno 1094 nupſerat BRATISLAO WLATISLAI Regis patruo. (N. 33.)

II. Quia ipſius WLATISLAI mox dicti ſoror SUCCATAWA (LUTGARDIS) uxor fuerat FRIDERICI II. advocati ALBERTI noſtri fratruelis.

Digitized by Google

III. Quia prima coniux WLATISLAI Regis GERTRUDIS, filia S. LEOPOLDI *Auſtriæ* Marchionis, neptis erat LEOPOLDI *pulcri*, cuius filia deſponſata fuerat ALBERTO II. de *Bogen*, primi noſtri filio: ideoque WLATISLAUS cognationis & affinitatis vinculo *Bogenſibus* iunctus erat. Hinc etiam GERTRUDIS huius memoria exſtat in necrologio *Windbergenſi*.

„Non. Aug. GERTRUDIS duciſſa *Boemiæ*.“ De qua legitur in Chronico *Neptachonis* apud *Gelaſium DOBNER Mon. hiſtor. Bohem. Tom. IV. p.* 105. „An. MCLI. GERTRUDIS Duciſſa moribus honeſta II. Nonas Auguſti moritur, & in Monaſterio *Syon* ſepelitur.“ *Vid. eumdem in Annal. Bohem. P. VI. p.* 337. & tabulam meam genealogicam. (F.)

I) In celebri curia CONRADI Imperatoris anno 1142 die 19. Decemb. *Ratisbonæ* celebrata inter laicos *Principes* poſt Marchionem DIETPOLDUM, OTTONEM Comitem Palatinum, Comitem GEBEHARDUM de *Sulzbach* comparet Comes ADALBERTUS de *Pogen*, FRIDERICUS advocatus - - *Mon. boic. vol. IV. p.* 410. Item in alia curia eiusdem Imperatoris pariter *Ratisbonæ* an. 1243 celebrata aderant cum prioribus, & aliis ADALBERTUS Comes de *Bogen*, & filius eius HARTWICUS. - *MEICHELBECK Hiſt. friſing. Tom. I. P.* 1. *p.* 327.

K) Annum diemque emortualem legimus in necrologio *Windbergenſi*. -

„Idus Ianuarii MCXLVII. ADELBERTUS Comes fundator loci huius.“ Quod etiam repetit AVENTINUS *cit. p.* 658. *n.* 18. „Obiit anno domini deique noſtri MCXLVII. Maiores eius in *Altachio ſuperiore*, Ipſe cum ſobole Vendobergomi (*Windbergæ*) humatus eſt.“

L) Poſt

Digitized by Google

L) Poſt ſuum obitum ſequens elogium obtinuit ab EBERHARDO II. *Babenbergenſi* Epiſcopo *Mon. boic. XIII.* 181. „Noverit - - qualiter Prwiningenſe Monaſterium ab beato prædeceſſore noſtro OTTONE - - fundatum, ab eodem ipſo bona fide creditum & commiſſum eſt advocato ADELBERTO Comiti de *Bogen.* - - Hoc tenore primus advocatus loci bone memorie Comes ADELBERTUS in ſermone verax, in commiſſo fidelis, in protectione ſtrenuus, advocatiam ipſam poſſedit & habuit, eodemque tenore filius eius PERHTOLDUS Comes ei ſucceſſit. - - "

Num. 31. HADWIGIS, VXOR ALBERTI I.

A) Prima huius occurrit mentio in Monumentis *Oberaltacenſibus.* (*Cod. prob. N. IX.*) „Sancte Matris Eccleſie filiis notum ſit, ADALBERTUM Comitem, uxoremque eius HADWICAM de *Windeberge* in profectione ſua cum exercitu in *Vriſiam* provinciam tradidiſſe - - perpetrata eſt hec digna memorie traditio anno Mill. CXV. ab Incarn. dom. Indict. VIII. regnante in pace iuniore HENRICO Imperatore. "

Eiusdem HADEWIC uxoris nomen memoratur in conſecratione Eccleſiæ *Windbergenſis.* (N. 30. E.)

B) Vt iſtud dubio caret, ita non adeo expeditum eſt matronæ huius genus. AVENTINUS ſæpe allegatus *p.* 658. *n.* 18. hæc habet:

„Hic (ALBERTUS) HEDWIGAM filiam Dynaſtarum *Pitaviæ* (*Puten*) atque *Celeiæ Charionum*, *Neoburgi Vindelicorum*, *Schardinga - Noricorum* uxorem duxit. "

Repe-

Digitized by Google

Repetit fere eadem *HUNDIUS Stemmatographiæ* I. 117. niſi quod *Ciliæ* nomen omittat, eiusque loco ſubſtituat *Lambach*.

Verum decepti ſunt viri boni ſimilitudine nominum. Noverant HADWIGEN, ALBERTI I. de *Windberg*, poſt a *Bogen* Comitis, uxorem. Legerant forte in Monaſterio *Formbacenſi*, ut hodie videmus M. B. IV. *p.* 23. circ. an. 1130. „Domina HADEWIC *Comitiſſa de Windeberge.*“ Igitur ſuſpicati, hanc matronam, inter Comites *Neoburgenſes* conſpicuam, & caſtrum *Windeberde*, *Formbaco* vicinum, tunc ignorantes, iſtam HADWIGEN ſtatim ALBERTO I. uxorem tribuerunt. Iam autem ſatis conſtat, duas illa ætate floruiſſe HADWIGES; unam, quæ erat coniux HERMANNI de *Windberg*, caſtro olim ad dexteram Oeni ripam ſito, de quo *Monum. Formbacenſia p.* 21. „Felicis memorie CHONRADUS de *Ratilinberge* dedit per manum *patrui* ſui Comitis HERMANNI de *Windeberge* - - ſed quia idem Dominus HERMANNUS morte præventus per ſe hanc traditionem efficere non potuit, coniux eius venerabilis comitiſſa HADEWIG cum filio ſuo HERMANNO - - Iſta igitur HEDWIGIS neque uxor erat ALBERTI I. de *Bogen*, neque de ſtemmate *Neoburgico*, ſed nupta HERMANNO I. *Neoburgo-Formbacenſi*, a caſtro proximo *Windeberde*, *Windbergenſi* dicto.

HADWIGIS altera, de qua nunc agitur, & quæ coniux erat ALBERTI I. alterius caſtri, ante ſylvam *Bohemicam* ſiti pariter *Windeberge* dicti, Comitis, e *Carinthia* ortum traxit, quod mox oſtendam. Vide. N. 44. F. & ſeqq. & *tab.* D.

Monaſterium *Windbergenſe*, quod iſtam HADWIGEN fundatricem veneratur, ex generoſa ſtirpe *Cileienſi* eam ortam arbi-

Digitized by Google

arbitratur, eique ſcutum huic familiæ proprium cum tribus ſtellis aureis in campo cæruleo tribuit, tam in lapide ſepulcrali, recentiore quidem, ſed ad normam prioris, a *Sueco* milite theſaurum ibi ſuſpicante difracti ſuperpoſito, quam in peranpla tabula, ſeriem abbatum loci exhibente, ubi Comes ALBERTUS cum coniuge HADWIGA picti cernuntur, templum *Windbergenſe* hodieque ſuperſtes manibus pro more fundatorum tenentes, ſubdita inſcriptione:

„Illuſtris dns d. ALBERTUS Comes de *Pogen* una cum coniuge ſua clariſſima HEDWIGA de generoſa familia ZILLI oriunda hoc inclytum monaſterium Windbergenſe - - fundavit annuisque cenſibus locupletavit an. MCXXV. - Quod de capella ſuper tumulum B. *Wilhelmi* ab ALBERTO I. erecta, & ab HARTWICO I. Ep. Ratisbon. dedicata (N. 30. B.) intelligo: Ipſum enim Monaſterium an. 1142 conſecratum fuit. (N. 30. E.) Lapidis ſepulcralis, & picturæ effigiem videre eſt *Mon. boic. XIV.* poſt *pag.* 110.

D) *FALKENSTEINIUS Antiqq. Nordgov. II.* 278. eam dicit filiam POPPONIS Ducis *Carinthiæ*. Videtur hic illam confundere cum alia matrona, *Lutgarde*, POPPONIS, non *Ducis*, ſed *Marchionis*, BERTHOLDO II. ALBERTI huius primi filio copulata, ut oſtendi. (N. 39.)

E) Quid AVENTINUS ſibi velit, *Cileienſes* cum Comitibus de *Futten*, *Neuburg* & *Scharding* confundens, non capio, præſertim cum Comitum *Cileiæ* nomen ante tempora LUDOVICI Bav. Imp. incognitum fuerit; quippe qui primus omnium FRIDERICUM liberum de *Seweneck*, eiusque hæredes titulo & privilegiis Comitis de CILY ornavit, diplomate dato *Monachii* die

Digitized by Google

die lunæ poſt ſeptimanam paſchæ an. 1341. cuius excerptum e tabulario græcenſi ladula 43. N. 4. a P. PUSCHIO deſcriptum celeberrimus eiusdem ſocius FROELICHIUS refert *in ſpecimine genealogiæ Sounekiorum Comitum Celeiæ & Comitum de Heunburg. p.* 54.

Neque id ipſum AVENTINUM ex toto latebat, qui *Annal. p.* 744. *n.* 32. de eodem Imperatore ſcribit: „Poſt hæc *Monachium* revertitur, *Fridericum* de *Seuneck* præfectura *Celeiæ*, in confinio *Pannoniæ*, *Norici*, *Myrici*, *Dalmatiæ* donat" h. e. Comitem' ſub iſto titulo creat.

Porro idem FROELICHIUS integrum diploma adducit *p.* 65. ſeq. quo CAROLUS IV. Imp. nulla LUDOVICI prædeceſſoris mentione facta, nobiles de *Senek* ad dignitatem Comitum de *CILLY* elevat an. 1372 in die S. HIERONYMI.

F) Hinc autem mihi nata ſuſpicio, HADWIGEN noſtram ortam fuiſſe e nobili ſtirpe de *Souneck* & *Heunburg*, quippe qui LAZIO teſte de *migrat. gent. lib. VI. p.* 182. tres aureas ſtellas in *rubro*, cileienſes autem in *cæruleo* campo oſtentaverint. Inde etiam facile contigit, ut AVENTINUS & HUNDIUS quadam nominis affinitate decepti iſtud *Heunburg* cum *Neuburg* confunderent, præſertim poſtquam *Windbergæ* viderant ſcutum HADWIGIS noſtræ gentilitium easdem tres ſtellas, uti *Cileienſe*, exhibens.

G) Id certius, HADWIGEN noſtram bona quædam, utique hæreditaria, in *Carinthia* poſſediſſe, atque in ipſo caſtro *Heunburg* reſediſſe, quod docent duæ chartæ Monaſterii *Victorienſis* (*Vietring*) quarum prior exſtat in *Auſtria ſacra. Tom. IV.*

Digitized by Google

P. I. p. 359. „Ego BERTHOLDUS Dux *Meranenſis* teſtor“ Anno igitur incarn. dom. MCLIIII. - - comitiſſa HEDWICH mater Comitis BERTHOLDI de *Bogen.*“ Altera, quam *anecdotam* ab amico communicatam heic ſubiicio.

„Inſcriptio excerpti: HEDWIGIS *de Cilia* e diplomate *Victorienſi*: „ pulcri characteres.“

„Comitiſſa HADWICH mater Comitis BERTHOLDI de *Bogen* donavit per manum dni HENRICI *Bris* ad eundem locum novem hubas cum omnibus pertinentiis ſuis . . . Illuſtris etiam comitiſſa HADWICH de *Bogen* dedit ad predictum locum quinque manſus apud *Wippach* cum omnibus ad ſe pertinentibus, donatio autem hec facta eſt apud *Luſe* & huic donationi interfuit DIETRICUS prepoſitus eius, VUILINUS de *Wippach*, WERRIANDUS de *Gurnotia* & alii complures, quorum infinitus erat numerus - - Huius rei teſtes ſunt dns *Witige de Lilienburg*, *Gerlohus* ſenior de *Stain*, dns *Vuilinus de Wippach*, dns *Bernardus* & frater eius, dns *Girebertus* de *Gurench.* dns *Albero* & fratres de *Gutenburch*, dns *Gebehardus* de *Coeker* & alii plures tam nobiles quam ignobiles. facta ſunt anno ab Incarn. dni. MCLVI. in caſtro apud HEUNBURG.“

H) Obſervat præterea citatus FROELICHIUS, nomina *Heunburg*, & *Huninburch* unam eamdemque familiam cum *Seuneckiis* conſtituiſſe, & inde demum *Cileienſes* dictos fuiſſe.

Matronæ huius nepos ALBERTUS III. in quodam contractu oppignorationis *anecdoto* cum ADALBERTO Archiep. *Salisburg.* an. 1189 inito, (*Cod. prob. N. XXVI.*) primum

inter laicos teſtem adhibuit VLRICUM *Comitem de Huninburc*, qui facile HADWIGIS iſtius germanus, aut ex fratre nepos erat, ut adiecta tabula G. oſtendit e FROELICHIO mutuata, & a me ſubpleta.

I) Numquid hæc derivatio ad verum accedit propius, quam illa GANSERI, qui eam a Comitibus de *Neuburg* & *Formbach* deducit, poſtquam vidimus eam in *Carinthia* & prædia poſſediſſe, & in ipſo caſtro ſuo gentilitio *Heunburg*, ſeu *Hununburc* reſediſſe, hinc & ibi ortam fuiſſe?

Crediderim autem poſt factas in patria ſua diſpoſitiones ad locum fundationis ſuæ reverſam, ibidem tumulum inveniſſe, cum in necrologio *Windbergenſi* notetur: „Kal. Decembr. MCLXII. ob. HADEWICH comitiſſa fundatrix huius loci“ cui conſentit *Oberaltacenſe*: „Kal. Decembr. HÆDWIGIS comitiſſa de *Pogen* fundatrix in *Windberg* an. dom. MCLXII.“ & *Admontenſe* apud PEZ. II. 209.

Num. 32. HARTUICUS DE CEYDLARN.

A) HARTUICUM aliquem in hac linea etiam GANSERUS admittit *p.* 454. ſed multiplici errore.

I. Quod filium dicat ASCUINI II. nonniſi in eius cerebro exiſtentis.

II. Quod eum Comitem de *Windberg* ſcribat, nullibi ſic dictum, etiamſi fatear ad iſtam familiam omnino pertinere.

III. Quod eum ab altero HARTUICO, ASCUINI II. patruo, æque fictitio, diverſum eſſe velit; hinc capere ſe non poſſe

Digitized by Google

poſſe ait *p.* 425. *n.* 6. quomodo SCHOLLINERUS HARTUICUM *Cidlarienſem* facere potuerit fratrem BERTHOLDI & ALBERTI, dictorum de *Windberg*, cum diverſa appellatio utique linearum diverſitatem arguat. "

B) Quod captu impoſſibile videbatur cenſori, facile capient, qui norunt, illuſtres olim non ſemper idem familiæ nomen retinuiſſe, ſed a diverſis caſtris nomina ſibi ſumſiſſe: immo germanos fratres diverſis inſigniis uſos fuiſſe. Nemo peritus negaverit, ARIBONEM & BOTHONEM *Comites* germanos fratres fuiſſe, quippe facile comprobandos: & tamen PRIOR dicitur de *Hegirmos*, frater eius de *Potenſtein* adpellatur. (*Mon. boic. III.* 246. *n.* 32.)

C) Ne alio evagari cogar, ſubpetunt exempla domeſtica. FRIDERICUS I. & Aſcuinus germani erant HARTUICI I. filii, non diffitente GANSERO. Et tamen ASCUINUS communiter de *Cidlarin*, FRIDERICUS conſtanter de *Bogen*, nunquam de *Cidlarin* adpellatur; & in marmore ſepulcrali diverſis ſcutis gentilitiis utuntur. Vterque tamen Comes de *Bogen* dicitur.

Germani fratres erant HARTUICUS III. & BERTHOLDUS II. Nihilominus iſte audit Comes de *Bogen*, ille de *Naternberg* Vol. III. 110. ſcilicet a caſtro ex hæreditate paterna ad eum devoluto: qui tamen ipſe *loc. cit.* 238. de *Bogen* adpellatur.

Pariter & iſti tres, BERTHOLDUS I. ALBERTUS I. & HARTUICUS II. fratres erant, iisdem parentibus geniti, quorum prior de *Bogen*, alter ante ſui caſtri in cœnobium con-

Digitized by Google

verſionem de *Windberg*, tertius de *Ceidlarn* ſcribuntur, ex ratione paullo ante data.

D) Anſam confuſionis GANSERO dedit AVENTINUS (N. 27. B.) qui BERTHOLDUM & ALBERTUM ASCUINI *nepotes* vocat, cuius *filii* fuerant.

Fatetur quidem cenſor *p.* 426, AVENTINUM in eo erraſſe, quod LUTGARDEN HARTUICO coniugem aſſignet, quam ipſe novo errore ASCUINO ſuo II. fictitio iungit. Viciſſim contendo, AVENTINUM in eo etiam ceſpitaſſe, quod BERTHOLDUM & ALBERTUM HARTUICI ſui *filios* adſtruat, cuius *germani* erant.

E) Quæ de HARTUICO noſtro II. in integrum reſtituto, *Windbergenſi* quidem, nunquam tamen expreſſe ſic compellato, ex documentis hactenus compertis conſtant, nunc ſubiicio.

In ſæpe allegata traditionum *Oberaltacenſ.* congerie circa an. 1100 legitur: „HARTUICH filius ASCUINI“ ad differentiam alterius HARTUICI ſynchroni in linea *fridericiana*, qui dicitur filius domnæ ADELHEID. (*Cod. prob. N. V.*)

Ibidem N. VI. b. „Notum ſit -- qualiter quædam domna nomine IUDITA de *Winzera* delegavit unum manſum in manus BERTHOLDI comitis -- quam traditionem ſuſcepit EGINO abbas, & advocatus FRIDERICUS, & iſti ſunt teſtes: ADALBERTUS, HARTUICUS, “ quos germanos fratres etiam GANSERUS agnoſcit.

F) Præ-

Digitized by Google

F) Præcipuam attentionem meretur charta innovationis Monaſterii *Oberaltacenſis* (*Cod. prob. N. IV.*) „Quapropter-- cognoſcat - quod quidam præpotentes & timorati homines, videlicet ADELHEID advocata (vidua FRIDERICI I. an. 1101 defuncti) & tres filii eius, VDALRICH clericus, FRIDRICH advocatus matricule Tyberine civitatis (*Ratisponenſis*) HARTWICH, & LEUKART de *Windberg*, & duo filii eius BERTOLDUS, ADALBERTUS (alius traditionum codex loco ALBERTI ponit HARTUICUM) -- & teſtes ſunt hee nobiles perſone: FRIDERICUS (II.) Advocatus, BERCHTOLDUS de *Bogen*, HARTUICH de *Ceydlarn* an. MCIIII.“

Heic certe de tribus LUTGARDÆ filiis ſermo eſt. BERTHOLDUS teſtis, non alius a BERTHOLDO tradente, adpellatur de *Bogen*. ALBERTUS I. alibi dicitur de *Windberg*. Tertius HARTUICUS de *Ceydlarn*, a *Windbergenſi* nulla ratione diverſus, quippe in binis locis ASCUINI, & LUTGARDÆ filius expreſſe dictus.

G) Heic denuo craſſam GANSERI oſcitantiam obſervare debeo. Ait ille *p.* 454, HARTUICUM iſtum ſuum II. anno 1142, uti *converſum* interfuiſſe primæ dedicationi Eccleſiæ *Windbergenſis* (N. 30. E.) & dominum NIKELHUBER eius Eccleſiæ canonicum erroris arguit, quod iſtum HARTUICUM ALBERTO I. filium tribuerit. Vter horum erraverit, facile diiudicabit lector ex loco E. citato. Ibi enim HARTUICUS & BERTHOLDUS filii ALBERTI & HADWIGIS adpellantur: quorum certe non fuit is, de quo agimus, HARTUICUS, ALBERTI I. germanus, & LUTGARDÆ, non HADWIGÆ filius.

H) Simul

Digitized by Google

H) Simul autem humani quid paſſus eſt NIKELHUBERUS, dum HARTUICUM III. ALBERTI I. filium anno 1142 converſis ſui loci adnumerat, quem HERMANNUS abbas *M. B.* XI. 20. hominem peſſimum inſaniendo vitam finiiſſe ſcribit, & qui poſt iſtum annum in ſolemnibus curiis ut teſtis occurrit, adhuc an. 1193 ſuperſtes, ut ſuo loco oſtendam. An autem *converſi* huiusmodi ſolemnitatibus iudicialibus, immo ſacræ expeditioni, ut milites & conſiliarii intereſſe ſolebant?

I) Fuerit igitur, per me, *converſus*, at nondum anno 1142, ut facta eius poſteriora oſtendunt. (N. 36.)

Quo autem HARTUICUS II. devenerit, totus ignoro, donec forte aliæ chartæ reconditæ eum manifeſtent.

Num. 33. LUTGARDIS, ASCUINI FILIA.

A) Iſtam LUTGARDEN GANSERUS non modo in tabula genealogica impreſſa, ſed etiam in originali propria manu ſcripta ADELHEIDEN adpellat, quod ideo ſolum adverto, quia ille omnes typi, vel calami errores carpere, & autori imputare ſolet. Cæterum hanc veniam petimusque, damusque viciſſim.

Prodit eam Codex traditionum *Oberaltacenſ.* (*Cod. prob. N. VIII. c.*) „Noverit cuncta poſteritas, qualiter *ductrix* LUITGARD, *ſoror* ADALBERTI *Comitis.*“ Nondum me pœnitet prioris coniecturæ, qua illam augurabar coniugem HENRICI *Eppenſteinii*, *Carinthiæ* Ducis, & ex hoc connubio *ductricis* nomen ſortitam.

B) Verum

Digitized by Google

B) Verum ut dies diem docet, innotuit mihi interea, eam alteri prius Duci nupſiſſe. Convenit enim inter ſcriptores *Bohemiæ*, LUCRETIAM aliquam, ſeu LUTGARDAM, BRECISLAO *Bohemiæ* Duci an. 1094 fuiſſe iunctam, etſi in genuina eius progenie aſſignanda diſcrepent.

Anonymus, quem modo ſub PULKAWÆ nomine novimus, *in Chron. Bohem.* apud MENKENIUM *Script. rer. germ. Tom. III.* 1681, & LUDEWIGIUM *reliq. MS. Tom. XI.* 234. ſcribit: „Eodem anno (1094.) prefatus BRECESLAUS filiam ALBERTI Comitis palatini Rheni LUCARDAM nomine duxit uxorem menſe Septembri.“

Repetit hæc verba PULKAWA apud Cl. D. GELASIUM DOBNER *Monument. Hiſtor. Bohem. Tom. III.* 138. & addit: „Ex qua genuit *Wladislaum* ſecundum.“

C) DUBRAVIUS *Hiſt. Bohem. Lib. VIIII. p.* 238. „LUCRETIAM Principis *Rhenani* filiam duxit uxorem“ (Brecislaus).

Bohuslaus BALBINUS *Miſcellan. Hiſt. Bohem. Lib. VII. ſect. I. cap.* 23. „BRECISLAUS LUCRETIAM palatini *Rheni* filiam, quam viduam acceperat, viduam reliquit defunctam poſtea ann. 1141.“

D) Ineſt hiſce teſtimoniis quidpiam veri, ſed etiam falſi. Neque enim illo ævo inter Comites palatinos *Rheni* ALBERTUS aliquis, aut LUCRETIA occurrunt. De aſſerto etiam BALBINI dubito, an LUKARDA ante BRECISLAUM alteri marito iuncta, & iam tunc vidua fuerit? Magis miror, Cl. DOBNERUM, qui poſt editum MARIGNOLAM F.) *in Annal. Hageciani Bohem. P. VI. p.* 4., ſui immemor iſtam LUKARDAM, *viduam*

AL-

Digitized by Google

ALBERTI Comitis *Bavari*, ex ea ratione adpellat, quod COSMAS mox proferendus, eam *matronam* vocet, quam pro *uxore*, & præſertim *vidua*, medio ævo acceptam fuiſſe, docent exempla a gloſſatoribus prolata. Sed iſtam coniecturam heic fallere, ex præmiſſa traditione A.), & porro dicendis manifeſtum eſt.

E) Propius ad verum acceſſit COSMAS *Pragenſis in Chron. Bohem. Lib. III.* apud MENKENIUM *Tom. I.* 2075. „Eodem anno (1094.) Dux Bohem. BRECISLAUS in menſe Septembri quamdam matronam de *Bavaria*, nomine LUKARDAM ALBERTI Comitis (heic autor non exprimit, mater, vidua, ſoror, an filia fuerit) duxit uxorem.“

MANLIUS in tabulis genealogicis Ducum & Regum *Bohem.* quas *Lib. III.* commentar. rerum Luſaticarum adiecit, eamdem adpellat LUCRETIAM Principis *Rhenani filiam*, *ſororem* ALBERTI *Comitis de Bavaria* „Recte iſtud poſterius; at falſum prius: ſecus germanus eius ALBERTUS pariter Comes palatinus ad *Rhenum* fuiſſet.

F) Solus rem acu tetigit *Iohannes* MARIGNOLA in *Chron. Bohem.* a Cl. DOBNERO *Mon. Hiſt. Bohem. Tom. II. p.* 182. *editus.* „Eodem anno (1094) Dux WRATISLAUS menſe Septembri duxit uxorem de *Bavaria*, nomine LIUKARDAM ALBERTI Comitis *ſororem.*“ quæ etiam, ut ex PULKAWA conſtat, eidem peperit filium WLADISLAUM.

G) Iſto autem coniugii vinculo per cædem mariti an. 1100. ut conveniunt *Bohemi* ſcriptores apud Cl. DOBNERUM in *Annalibus VI.* 38. 39. perpetratam ſoluto, poſt expletum luctus annum,

Digitized by Google

annum, alteri ſponſo obtigit, HENRICO *Eppenſtenio Carinthiæ* Duci, ut coniicere licet ex charta donationis factæ Monaſterio S. LAMBERTI in *Styria*, quam poſt *Bernard.* PEZIUM in codice diplomatico *P. I. p.* 283. legere eſt apud *Sigismundum* PUSCH, & *Eraſmum* FROELICH inter *diplomataria ſacra Styriæ* P. II. 271. „Omnibus innoteſcat, quod *Carinthiæ* Dux HEINRICUS pro animæ ſuæ remedio, & dilectæ ſuæ coniugis LUITKARDÆ, & pro animabus patris & matris ſuæ MARCHWARDI & LUITPIRGÆ - - Scripta eſt hæc notitia anno Incarn. dom. Milleſimo CIII. Indict. X. VII. Idus Ianuarii.“ Vbi probe obſervat editor, aut indictionem XL. aut annum MCII. ponendum fuiſſe. Quum menſe Decembri an. MC. obierit prior LUTGARDÆ maritus, alteruter annus ſecundis eius nuptiis congruit.

H) Hanc porro LUKARDAM, aliam a noſtra *Windberga-Bogenſi* non eſſe, inde conficitur, quod BERTHOLDUS II. Comes de *Bogen*, ALBERTI I. filius in charta quadam *anecdota*, infra producenda N. 36. D. eam *Amitam* ſuam adpellet.

Quoniam in *Carinthia* bona poſſedit, coniicere utique licet, illa per maritum HEINRICUM Ducem eidem tradita fuiſſe.

I) Annum obitus 1141, neſcio unde, indicat BALBINUS C., dies vero legitur in necrologio *Sanct-Lambertino* vetuſtiore: „XII. Kal. Auguſt. Liukart ducilſa.“

In alio necrologio *bohemico*, cuius excerpta e codice MS. anguſtæ bibliothecæ *Vindobonenſis* habuit Cl. DOBNERUS *Mon. Hiſt. Bohem. Tom. III.* 16. *legitur*: „II. Kal. Ian. LUKARTH

Digitized by Google

ductrix" quam alias LUCRETIAM & BRECESLAI uxorem fuiſſe, idem autumat autor, rerum *bohemicarum* peritiſſimus.

Malim autem hoc loco *lambertinum* præferre, ubi, ſi non tumulum invenit, certe memoriam meruit.

Num. 34. ALBERTUS II. primi filius.

A) Plures ALBERTI huius utriusque ſexus liberos prodit charta *anecdota* Codicis traditionum principalis *Monaſterii ſuperioris Ratisbonæ* mecum communicata *p.* 35. quam heic præmitto.

„Notum ſit omnibus fidelibus tam præſentibus, quam futuris, quod comes ADALPERTUS de *Pogen* & uxor eius HADEWIG tradiderunt quoddam predium quod ſitum eſt *Magensbach* cum cultis & incultis ad altare ſancte MARIE *cum conſenſu filiorum ac filiarum ſuarum.* Huius rei teſtes ſunt *Roudolf de Framerichesperge*, *Marquart de Niuhuſen*, *Pabo de Charſe*, *Rapot de Niuhuſen*, *Gozpolt de Rotenbach*, *Purchart & frater eius Timo*, *Adeloh de Terenbach* (Tegernbach) *Pernhart de Gebelenchoven*, *Arnolt*, *Ludewich*, & frater eius *Perhtold.*"

B) Nomina filiorum hoc ordine recenſet HERMANNUS abbas in *Codice prob. N. II.* „Iſte ADALPERTUS I. genuit ADALPERTUM II. HERTWICUM & BERTHOLDUM Comites."

Ita quoque AVENTINUS *p.* 658. *n.* 18. „Tres filios eidem HADWIGA peperit: HARDUICUM tertium, ALBERTUM ſecundum, BERTHOLDUM itidem ſecundum."

Eun-

Digitized by Google

Eundem fere ordinem ſervat autor *relationis de origine Monaſterii Windbergenſis* (N. 30. E.) quem & legere eſt in Rhythmis, olim ad parietem templi pone tumulum fundatorum ſcriptis, ab HUNDIO ſervatis:

„ Continet Authores huius fabricæ potiores
Iſta ſepultura, quos præſens atque futura
Poſteritas ſane non ceſſet veſpere, mane,
Hic commendare Chriſto, precibusque iuvare.
Sed libet ipſorum diſtinguere nomina, quorum
Extitit ALBERTUS primus, de quo duo nati
HARTWIC, BERTHOLDUS, ſunt hac tumba tumulati
(*Albertus II. omittitur, alibi ſepultus*)
Soli BERTHOLDO puer ALBRECHT naſcitur, a quo
Proceſſerunt LEOPOLD, BERTHOLDUS & ALBRECHT.
Sic genus æquivocos partim vult eſſe beatos.
Corpora dictorum latitant hic more piorum.“

C) In bulla HONORII II. qua Monaſterium *Oberalteich*, ab iſtis comitibus inſtauratum, in ſuam tutelam ſuſcipit an. 1126, poſt FRIDERICUM II. advocatum primi teſtes ſubſcribunt duo filii ADELBERTI I. comitis PERCHTOLDUS & ADELBERTUS admodum parvuli. Forte HARTUICUS III. tunc nondum natus, aut eius ætatis erat, ut teſtem agere nequiret. (*Cod. prob. N. XI.*)

D) In recenſendis filiis ordinem amplector HERMANNI abbatis, qui primo loco ALBERTUM poſuit, facile primogenitum, quia patri æquivocum. De eo autem hoc unum e patriis Monumentis conſtat, quod cum LEOPOLDO largo, e

Digitized by Google

Marchionibus *Auſtriæ*, tunc *Boiariæ* ducatum adepto, unus fere e primoribus patriæ obſidioni caſtri *Phaleyenſis* interfuerit, & ibidem an. 1140 Idibus Auguſti ſagitta confoſſus interierit, teſte eodem HERMANNO abbate. "

„ Adelpertus ſagitta occiditur in obſidione caſtri, quod dicitur *Phalaia* -- circa an. dom. M. C. XL. " Vid. etiam *Sigiſmund. CALLES Annal. Auſtriæ Tom. I. p.* 504.

E) Domeſticæ huic inopiæ ſubpetias fert autor exterus, & valde remotus, nimirum ex *Alemannia*, & Sylva *nigra* accerſitus, unde ego quidem tanta ſubſidia pro hiſtoria Comitum *Bogenſium* nunquam exſpectabam, quæ a celliſſimo Principe S. BLASII MARTINO GERBERTO, transmiſſa *hiſtoriæ nigræ Sylvæ*, ultro oblata ſummis hoc loco gratiis palam profiteor.

F) Hæc autem de ALBERTO iſto ſecundo hactenus plane ignorata tradit autor *libri conſcriptionum* iam ſupra (N. 28. D.) allegatus, *in hiſtoria nigræ ſylvæ Tom. I.* 395. „ ADALBERTUS (*ſecundus*) ex nobiliſſima ferocium *Noricorum* (*Boiorum*) proſapia oriundus, fuit filius ADALBERCHTI (primi) Comitis de *Windberg* & *Bogen*, viri in omni ſeculari honore præſtantiſſimi, atque in rebus bellicis ſtrenuiſſimi, hoſtium patriam incurſantium colla contumacia conſtanti reprimens efficacia, ſe ſuasque victorioſiſſime defenſando partes. Cuius etiam præclariſſimi Comitis (*Alberti I.*) mater LUIKARDA nobiliſſima comitiſſa -- " (ut ſupra ex eodem N. 28.)

G) Pergit autor: *pag.* 403. „ A talibus igitur progenitoribus (ALBERTO I. *patre*, HADWIGE *matre*, LUTGARDE avia)

Digitized by Google

avia) nobiliſſimus adoleſcens ADELBERCHTUS (*ſecundus*) exortus, ſicut de B. GREGORIO legitur, lineam ſui generis factis & dictis ipſe extulit. Inerat quippe ei ab ipſa pueritia mirabilis & honeſta morum elegantia, adeo, ut cum ſplendidiſſimo corporis decore, quem illi munificentia omnipotentis contulit, in actis vel dictis cunctorum complaceret, & pro puræ mentis innocentia miro adfectu a cunctis diligeretur.“

H) Sequitur porro: „Erat namque, ſicut ex quorumdam relatione (*per aures tradita*) cognovimus, corpore caſtus, *ita, ut numquam umquam uxorem cognoverit*, verecundiſſimus facie, actu innocens, eloquio purus, verbis verax, moribus modeſtus, ſinceritatem mentis vultus ſui ſerenitate monſtrabat, & pietatem clementiſſimi cordis oſtendebat in lenitate ſermonis. Rapinam tanta exercitatione (corrector poſuit, *execratione*) refutabat, ut quamvis ab ipſa indole ſæpe in expeditione regis militaret, nunquam permitteret ſervos ſuos aliquid rapere, aut raptum comedere. Semper ſtuduit, quantum potuit, ſe cuſtodire ab his vitiis, quibus illud hominum genus implicari ſolet.“

I) Proſequitur autor in contextu: „Nam mirum in modum a primis fere annis divinam potius ſervitutem egregia iluſtris pueri ſpiravit infantia, cœpitque concupiſcere monachicam perfectionem, quam etiam ſine dilatione arripuiſſet, ſi *parentum* ius non obſtitiſſet. Sed hæc dilatio parum eos lætificavit; nam priusquam annus, quo arma ſuſceperat, volveretur, (hoc eſt *gladio militari fuerat accinctus*, anno ætatis circiter XVIII.) cum iterum in expeditione CONRADI Regis cum LUPOLDO Duce *Bavariæ* (*e Marchionibus Auſtriæ*) mane-

maneret, ſagitta percuſſus *graviter vulneratus eſt.*" (Non igitur ex ictu *ſtatim* occubuit.)

K) „Mox cucurrit tota lugubris multitudo de eius ſoſpitate deſperans, ingens mœror omnium animos perculit, maxime autem Principum Regis, ſcilicet Ducum atque Comitum omnium rigabant ora lacrymæ. Ipſe vero ſpreta mundi pompa, tota mentis intentione & fervore religionis habitum, (&) monaſticam perfectionem expetiit; (hoc eſt, in extremis Monachus ad *ſuccurrendum*, ut tunc dicebatur, fieri voluit) quod & antea ſemper concupierat (ſequuturus exemplum *patrui* ſui BERTHOLDI I. N. 29. & aviæ LUTGARDIS) quodque adgreſſus ſine dilatione fuiſſet, ſicut & ante diximus, ſi parentum voluntas non obſtitiſſet."

L) „Aderat etiam ibidem frater BERTHOLDUS (hoc nomine ſecundus) & avunculus eius ENGELBERCHTUS *Comes de Hallo* (Hallenſis, de quo poſtea agam) ac Dux LUPOLDUS *Bavariæ*, qui omnes unanimiter id contradixerunt, voluntatique illius aliquamdiu contrarii fuerunt. Modo ad vos mihi ſermo, o amici (inquit) dicite mihi, rogo vos, hæc præſens vita, quæ & qualis eſt, ut amicos veſtros ad vitam perpetuam ire volentes, ad hanc infidelem & inſtabilem iniuſto conſilio revocetis? Quid, inquam, in hac vita operantes tam delectabile poſſidetis, quod vos inſtigat, ut amicos veſtros vel filios ad comitatum cœli proficiſcentes, ad honorem incorruptibilem, ad amicitias Imperatoris æterni, revocetis illoque ire non ſinatis?"

M) „Tandem vero multis eius precibus convicti annuerunt, atque conſenſerunt votis eius, mittentes nuntios ſuos, vene-

Digitized by Google

venerabilem GOZBERTUM Priorem monaſterii cum aliis fratribus noſtris (S. BLASII) qui non procul aberant (forte in cella Ochſenhuſana, tunc ad S. Blaſium pertinente, vel in alio quopiam vicino cœnobio, e. g. Ochſenhuſano, vel ad S. Crucem *Werdeæ*, coloniis Blaſianis, pro reformatione diſciplinæ commorantibus, uti ſuſpicantur autores *Hiſtoriæ nigræ ſylvæ p.* 405.) advocaverunt. Qui mox propere venientes iam diu deſideratum habitum ei impoſuerunt, monachumque S. *Blaſii* fecerunt eum, ac unctione ſacri olei exitum eius præmunierunt aliaque miniſteria, quæ mos eccleſiaſticus poſcit, ſumma cum devotione peregerunt. Qui *poſt paucos dies* de hac convalle lacrymarum liberatus feliciter migravit ad Dominum (haud dubie poſt mortem ad S. BLASIUM translatus). Hactenus autor *Anonymus*, ſine quo hæc omnia ignoraſſemus.

N) Plura ad hanc relationem adnotat celſiſſimus autor *Hiſtoriæ nigræ ſylvæ*, quæ circumſtantias obſidionis arcis *Phaleiæ* ſpectant, quæ ibidem, aut in obvio hiſtoriæ patriæ ſcriptore legi poterunt.

Me ſolus ENGELBERTUS *Hallenſis*, ab anonymo *avunculus* ALBERTI II. adpellatus, heic attentum reddit. Si vera ille ſcripſit, fuiſſet ENGELBERTUS HADWIGÆ, indubitatæ ALBERTI matris, germanus frater, quod mihi omnino videtur erroneum; facilem tamen veniam tribuo extero, poſt duo ſæcula ſcribenti, & incerta traditione decepto. Occaſionem erroris, quo & domeſtici quidem ſcriptores impliciti fuerunt, iam ſupra N. 31. B detexi, & vero ſimillima ratione oſtendi, HADWIGEN, ALBERTI iſtius matrem, nequaquam a Comitibus *Varnbaco-Neoburgenſibus*, ſed ab *Heunburgo-Sounckianis*, poſthac

hac de *Cileia* dictis, ortum traxisse, quod & *tabula genealogica* G. ibidem producta ad oculum monstrat.

O) Interea non diffiteor, ENGELBERTUM istum *Hallensem*, mihi *tertium*, quadam saltem *affinitate* ALBERTUM nostrum attigisse, quippe cui coniux fuerat HEDWIGIS, filia DIETRICI de *Farnbach* & *Viechtenstein*, filii THIEMONIS II. cuius frater MEGINHARDUS genuerat LUTGARDEN, ALBERTI II. aviam, quod in mea tabula D. *Gerbertianæ* hypothesi obposita & alia occasione idoneis testimoniis comprobanda, facile patescit. Nihilominus multas grates meretur anonymus iste S. *Blasianus*, utpote qui *Bogensium* Comitum historiæ novam lucem accendit, qua sine in pluribus cœcutiissemus. Scimus inde genus LUITGARDÆ, Monachatum BERTHOLDI filii, ac nepotis ALBERTI, huius sepulturam in S. *Blasii*, atque istud insuper, quod eius germanus BERTHOLDUS II. cum affine ENGELBERTO *Hallensi* in castris CONRADI Regis ac LEOPOLDI Ducis contra WELFUM pugnaverit, & obsidioni arcis *Phaleiensis* interfuerit.

Annus, diesque lethalis vulneris patet ex dictis supra D.

Num. 35. LUTGARDIS ALBERTO II. desponsata.

A) In Monumentis nostræ viciniæ, quæ vere sedes erat horum Comitum, de ALBERTI II. coniugio nihil dissertis verbis memoratur.

Novissimus editor *anonymi Weingartensis* de *Guelfis Principibus*, quem ipse *Protographum* adpellat, hoc est, ab autore ad calamum dictatum, *cap. X. § I. p. 20 mancam*, ut ait, *lectionem* sic emendat: „ Erat tandem eadem SOPHIA (BELI I. Regis

Digitized by Google

Regis *Hungariæ* filia) ante cuidam de *Carinthia* copulata, ex quo genuit POPONEM Marchionem. Qui duas filias ſuas, unam BERTHOLDO Comiti de *Andechs*, aliam ALBERTO Comiti de *Bogen* copulavit. "

B) Quæ ex *apographo*, neſcio cuius ætatis, redintegrata lectio, ſi loco ALBERTI poſuiſſet BERTHOLDUM II. de *Bogen*, omne tuliſſet punctum. (Vid. N. 39.) Immo ſi ALBERTO II. quem editor fors ignoravit, iungeretur altera POPONIS filia, adhuc tolerabile foret; non enim infrequens eſt, ut duæ ſorores binis fratribus nubant. Dum vero ille ſuam *Carantanam* anonymam ALBERTO I. copulat, cuius uxoris proſapiam (N. 31.) evolvi, eidem adſtipulari nequeo. Quæ porro de SOPHIA BERTHOLDO *Andechſenſi* nupta hariolatur, paullo poſt diſcutiam, & oſtendam, *hanc* non SOPHIAM, ſed HEDWIGEN dictam, & BERTHOLDI II. non *primi*, coniugem fuiſſe.

C) Miſſa ergo hac nova hypotheſi, aliam nunc profero. *Vitus* ARENPECK in *Chronico Auſtriæ* apud *Hieronym. PEZ Script. Auſtriæ Tom. I.* 1186 de prolibus LEOPOLDI *pulcri* March. *Auſtr.* agens ait: „Item N. aliam filiam deſponſavit cuidam potenti domino, & donavit ipſi *Ibs* & *Peſenpeugen*, & cuncta ad hæc dominia pertinentia. Horum autem trium generationem & ſepulturam ſilet Chronica. "

Nomen huius ſponſi prodit LAZIUS de *Migration. gent. VIII.* 421. ALBERTUM Comitem de *Bogen* anonymæ huic tribuens, quem ſequitur FALKENSTEIN *Antiquit. Nordgov. II.* 279.

Digitized by Google

D) Et fane vero admodum ſimile videtur, ALBERTUM noſtrum quadam affinitate LEOPOLDO auſtriaco, tunc *Bavariæ* Duci, devinctum fuiſſe, eoquod eidem contra WELFUM, pro ducatu *boico* certantem, unus fere cum germano e *Boiariæ* Magnatibus ſubpetias fuſo etiam ſanguine tulerit, quo ſine liberis defuncto, bona dotalia ad Marchiam *Auſtriæ* redierunt.

E) Si ſtemmatographiæ *Arcuanæ* fidendum, nomen uxoris LUTGARD fuit, haut dubie traditione quadam domeſtica conſervatum. Sic enim ibi legitur: „Vxor LUTGARDA divi LEOPOLDI Marchionis *Auſtriæ* ſoror.“ Quæ etiam in necrologio *Windbergenſi* legitur: „VI. Kal. Martii LIUKARDIS ex comitiſſa converſa, ſoror noſtra“ quam huius ALBERTI viduam ſuſpicari fas eſt, poſt præcocem mariti mortem ſæculi pertœſam, & ſanctimonialibus ibidem ſociatam.

Num. 36. HARTUICUS III. Comes de *Bogen* & *Naternberg*.

A) Secundogenitus fuiſſe videtur, quippe qui germano ſuo BERTHOLDO poſtpoſitus cum alibi, tum in dedicatione Eccleſiæ *Windbergenſis* (N. 30. E.) legitur ad annum MCXLII.

In celebri curia coram CHUNRADO Imperatore an. 1143 *Ratisbonæ* celebrata, ubi OTTO palatinus Comes iudiciariam poteſtatem, quam ſuper miniſteriales Eccleſiæ *Friſingenſis* iure advocatiæ habere videbatur - - *exfeſtucavit*, præter alios teſtes aderant ADALBERTUS Comes de *Bogene*, & filius eius HARTWICUS, apud MEICHELBECK, *Hiſt. Friſing. Tom. I.* 327.

B) Com-

Digitized by Google

B) Commutationi, quam fratres de *Alderſpach* cum HENRICO Epiſcopo *Ratisbonenſi* & Præſide OTTONE circa an. 1145 fecerant, poſt primum teſtem Comitem HENRICUM de *Wolpheratſhuſen* ſubſcribit Comes HERTWICUS de *Pogen*. *M. B. V.* 311. Anno ſequente 1146 intererat concilio a CONRADO Archiepiſc. Salisburgenſi *Hallæ* celebrato: „Principes quoque - FRIDERICUS advocatus *Ratispon.* HARTWICUS Comes de *Bogen* . . . “ inter *diplomataria ſacra Styriæ I.* 145.

C) In Monumentis *Raitenhaslacenſibus M. B. vol. III.* 110. diplomati CONRADI III. Imp. circ. an. 1150 ſuffragantur inter alios teſtes HARTWICUS Comes de *Naternberch*, BERTHOLDUS Comes de *Bogen*.

Iterum in curia *Ratisbonenſi* coram eodem Rege CONRADO an. 1147 de laicis Principibus nominantur FRIDERICUS *Ratisponenſis* advocatus. - - HARTWICUS Comes de *Pogine* . . . & multi alii Principes apud MEICHELBECK *H. F. Tom. I. P. II. p.* 549.

Eodem anno „FRIDERICUS (III.) advocatus *Ratispon. Hieroſolymam* iturus predia quedam poſſeſſionis ſue in manus HARTWICI Comitis tradidit ea ratione, ut ipſe ea vicaria traditione pro ſua parentumque ſuorum ſalute ad altare S. PETRI (in Oberaltach) integra fidelique devotione delegaret. (*Cod. prob. N. XVII.*)

D) Infauſtæ huius expeditionis ſocium quoque noſtrum fuiſſe, docet charta *anecdota* ROMANI *Gurcenſis* Epiſcopi de anno 1155, ab amico communicata, ubi narrat Epiſcopus, ſe allodium *Dobern*, quod Comitis HARTWICI de *Bogen* eſſe vi-

Digitized by Google

debatur, pro 145 Marcis emiſſe, ſed a fratre BERTHOLDO Comite impetitum, ab eodemque pro acceptis 100 Marcis per Comitem RAPOTONEM reſtitutum fuiſſe. En Formalia! „Qui HARTUICUS cum profectus eſſet in expeditione Iheroſolymitana, quo anno MCXLVII. ſub Rege CONRADO facta eſt, frater eius BERTHOLDUS Comes factum fratris validis aſſertionibus in irritum ducere atque Eccleſiam adepta poſſeſſione nudare cupiens, affirmabat, eadem bona legitima traditione *Amite* ſue (LUTGARDIS N. 33.) ad quam indubitanter ea pertinuiſſent, fidei cuiusdam nobilis KATOLDI de *Suuenbrechtsdorf* delegata, ſingulariter ſibi, excluſo fratre reſervanda ac donanda. "

E) Etiamſi autem plurimi in hac expeditione perierint, rediit tamen noſter, quippe qui traditionem prædiorum ab Agnato ſuo FRIDERICO ſibi delegatam (C.) fideliter executus fuit. (*Cod. prob. N. XVII.*)

Teſtatur inſuper AVENTINUS *Annal. VI. cap. 6. n. 14.* Comitiis ab Imperatore FRIDERICO I. *Ratisbonæ* an. 1180. III. Kal. Iulii celebratis, ubi *Boiariæ* ducatus, ſed valde acciſus, OTTONI *Wittelsbachio* collatus fuit, cum aliis Principibus noſtrum adfuiſſe: „HARTUICUS *Comes a Bogen.*" *p.* 616.

F) Implicitus quoque fuerat turbis a nepote ſuo ALBERTO III. an. 1192 in *Bavaria* adverſum *Ortenburgicos* Comites excitatis, de quibus HERMANNUS Abbas *Nideralt.* in *Annalibus* apud OEFELE I. 664. „An. MCXCIII. Bavari inter ſe diſſidentes omnem regionem incendio devaſtant, ubi ALBERTUS Comes de *Bogen* LUDOVICUM Ducem fugavit, auxilio Boemorum. Nam ALBERTUS Comes de *Bogen* cum fratre ſuo Comite de

None-

Digitized by Google

Noneberg (heic omnino legendum: cum *patruo* ſuo Comite de *Naternberg*; ita enim, ut vidimus, aliquoties adpellatus fuerat, & ALBERTO tertio frater nullus erat) cum LUDOVICO Duce bellantibus per auxilium Ducis *Boiemiæ* OTOCHARI ſuperior *Bavaria* devaſtatur. "

G) Igitur ſeptuagenario maiorem fuiſſe oportet, qui anno 1125 parvulus ad hoc usque tempus dies ſuos protraxit.

Quo anno, & quo genere mortis obiit? Prius planeincertum, de altero inter ſcriptores non convenit. HERMANNUS abbas in *Codice* ait: „HARTUICUS homo peſſimus inſaniendo vitam finivit." Quod mihi duriusculum videtur de viro, qui imperii comitiis toties interfuit, ſacram militiam ſecutus eſt, & pias quoque largitiones fecit. (D.)

AVENTINUS Annal. VII. cap. 6. n. 18. atra bile percitum, vitam finiiſſe ſcribit.

Secundum HUNDIUM in *Stematographia* iſt er *unrichtig worden*; quod eidem forte ab apoplexia accidit.

In necrologio *Windbergenſi* dies obitus legitur: „VIII. Idus Aprilis HARTUICUS converſus noſter ex comite " quem hunc *tertium* credo, cum ibidem ſepultum conſtet ex verſiculis in pariete templi eius olim deſcriptis *M. B. XIV.* 31.

Continet auctores huius fabricæ potiores

Iſta ſepultura - -

Extitit

Digitized by Google

Extitit ALBERTUS *primus*, de quo duo nati

HARTWIC, BERTHOLDUS ſunt hac tumba tumulati."

Forte poſtremos vitæ ſuæ dies pœnitentiæ ibidem addixit, aut Monachum ad *ſuccurrendum* paullo ante mortem pro more illius ætatis induit.

Num. 37. HADWIGIS, uxor HARTWICI III.

Iſtam ſola ſuſpicione aſſequor ex allegato mox necrologio „X. Kal. Sept. HADEWIC ex comitiſſa converſa, ſoror noſtra" Quidni coniicere liceat, illam HARTWICI ante coniugem, poſtquam maritus militari cingulo depoſito converſis *Windbergenſibus* ſe adiunxerat, hoc exemplo animatam, eiusdem loci ſororibus ad S. BLASII ſe pariter addixiſſe?

Si quis autem iſtam HADEWIC, alterius quam noſtri uxorem, comprobaverit, dicam illi ſcribere non intendo, inventum gratulaturus.

Num. 38. BERTHOLDUS II.

A) Quoniam anno 1125 *admodum parvulus* dicitur, (*Cod. prob. N. XI.*) & Mater eius ante annum 1125 non occurrit; circa annum 1117 lucem adſpicere potuit.

FRIDERICO III. in expeditione ſacra anno 1149 defuncto (N. 17.) advocatiam Monaſterii *Oberaltacenſis*, aliorumque ſtatim occupavit, etſi ille filium reliquerit ALBERTUM (N. 19.). Quo titulo iſtud ius advocatiæ ad eum fuerit devolutum, ſuperſtite mare lineæ *Fridericianæ*, venditione, an libera ceſſione, quod utrumque ſuſpicatur GANSERUS *p.* 451. & 463.

quis

Digitized by Google

quis definiet deficientibus tabulis? Malim autem posterius coniicere. Postquam enim ALBERTUS, FRIDERICI III. filius, sedem suam, relicta patria, ad lacum *Gardensem* in *Tyrolis* & *Venetorum* confiniis transtulit, exstructo ibidem castro *Arcuano*; ob ipsam loci distantiam iam non poterat advocati munere in *Bavaria* fungi, ideoque illud sponte alteri lineæ cessisse verosimile est, a BERTHOLDO II. proximo Agnato statim arreptum & exercitum, ut illico patebit.

B) In traditionibus *Oberaltacensibus* (*Cod. prob. XIX.*) sub abbatibus GERARDO & WOLFRAMO legitur: „Hec sunt predia, que Abbas GERARDUS suo tempore comparavit atque redemit. IUDITE advocatiste (viduæ FRIDERICI III.) dedi (successor WOLFRAMUS) ambulatorem unum (ein Reitpferd, non, einen *Diener*) - - Pro obtinendis prediis domini GOTEPOLDI de *Menna* - - dedi - - ad sedandam eorum querimoniam licet iniustam, & Comiti PERTOLDO quinque talenta pro adiutorio præsente Episcopo *Ratisponensi* EBERHARDO (ab an. 1163-67.) iubente PERTHOLDO advocato - - Quod idem predium post mortem PERTHOLDI advocati nostri vi retraxerunt.

C) Non huius autem solum, sed aliarum quoque Ecclesiarum advocatiam gerebat noster. Qua occasione obsevare iuvat, Ecclesias, præsertim maiores, & plurium prædiorum diversis in comitatibus possessores, pluribus etiam Advocatis particularibus indiguisse.

Sic iste BERTHOLDUS intuitu prædii ac molendini *Rospach*, in eius comitatu siti, dicitur Advocatus Ecclesiæ *Patavienſis* M. B. III. 423. circa an. 1150. „Notum esse cupimus, quod vir quidam conspicue nobilitatis, WERINGARDUS nomine de

Rou-

Roumetingen (*Werigandus de Runtig*) predium, duas ſcilicet curtes & molendinum *Rospach* ſitum, quod Eccleſia *Patavienſis* iure proprietatis eatenus poſſederat, in manum ſuam per manum advocati eiusdem Eccleſiæ, comitis ſcilicet PERTHOLDI de *Pogen*, rogatu COUNRADI prædicte *Patavienſis* eccleſie Epiſcopi, annuente cleri & miniſterialium conſenſu Eccleſia S. MICHAELIS *Reichersperge* per concambium alterius predii *Hagenaue* ſitum - - ſuſcepit. "

D) Eiusdem commutationis fit mentio in charta prædicti Epiſcopi an. 1155. (M. B. IV. 417.) „Notum eſſe cupimus, qualiter ego CHONRADUS Eccleſie mee *Patavienſis* ſimul & *Reicherſpergenſis* commodis ac paci in preſenti ac futuro proſpiciens - - - predium Eccleſie noſtre in villa *Rospach* in comitatu BERTHOLDI de *Pogen* ſitum per manum eiusdem PERTHOLDI Comitis ex iure advocatie ipſi pertinentis in manum cuiusdam nobilis viri WERIGANDI de *Rountingen* tradi rogavimus Eccleſie *Reicherſpergenſi* tradendum. - - Et hæc traditio per manum advocati noſtri PERTHOLDI facta eſt nobis preſentibus in manum iam dicti WERIGANDI - - "

Idem dicendum de Monaſterio *Alderſpacenſi*, cui donationem quamdam factam BERTHOLDUS iudex ratam habuit. *M. B. vol. V.* 316.

„Hec autem traditio ut omni ævo rata & inconvulſa poſſet perſeverare, coram iudice comite BERTHOLDO de *Bogen* in manus viri opinatiſſimi BABONIS de *Zollingen* iategit advigilare, teſtes Comes BERTHOLDUS de *Bogen*: „Vbi tamen advertendum, huic traditioni male præfigi tempus, *circa an.* 1170.

1170, cum iſte comes iam anno 1168 inter vivos eſſe deſierit. Igitur ponendum fuerat: ante an. 1168.

E) In advocatia hæreditaria Monaſteriorum utriusque *Altahæ* & *Windbergenſis* eum ALBERTO patri ſucceſſiſſe, compendio adſerit AVENTINUS N. 36. F. citatus: „BERTHOLDUS admodum dives pacisque ſtudioſus a patre ALBERTO principatum per manus accepit: " De ſuo teſtatur HERMANNUS abbas: (*Cod. prob. N. II.*) PERTHOLDUS homo pacificus & dives fuit advocatus Eccleſie *Altahenſis* tempore CHUONRADI & BOLESLAI abbatum (ab an. 1143 - 1160) qui advocatiam, quam ipſe & progenitores ſui antea ab imperio accipere ſolebant, primus accepit a *Babenbergenſi* Epiſcopo EBERHARDO „ (*Vid. Mon. boic. XI.* 164. *ſeq.*) De *Oberaltahenſi* conſtat *ex Cod. prob. N. XIX.*

F) „In ſolenni ac triduana curia, quam HENRICUS Leo *Bavarie* Dux convocatis *Bavarie* Principibus habuit in loco, qui dicitur *Carpheim*, cenobii *Reicherſpergenſis* præpoſitus GERHOHUS in audientia publica interpellavit ac monuit Comitem PERTOLDUM de *Pogen*, quatenus predium *Munſtner*, ſecundum quod in manus eius devenerat, Eccleſie ſue delegaret. Ex domini quoque providentia præſens fuit Comes PERTOLDUS de *Andechs*, qui loquutus eſt in hunc modum: Facere debes, *o cognate Comes BERTOLDE!* quod poſtulatur, quia ego id ipſum predium ſic in tuam manum *Ratisbone* delegavi, ut tu hoc delegares iam dicto cenobio. - - Huiusmodi ammonitione recognita ipſe Comes PERTOLD de *Pogen* fidem ſuam exſolvens paratum ſe oſtendit facere, quod iure petebatur - - Teſtes Comes PERTHOLDUS de *Andechs*, Comes

Digitized by Google

PERTOLDUS de *Pogen*, per cuius manum delegatio facta eſt - an. 1161." (M. B. III. *p.* 456. *ſeqq.*)

Iſtum cognationis nexum BERTHOLDI *Andecenſis* cum noſtro BERTHOLDO *Bogenſi* poſt illuſtriſſimum BUATUM evolvere infeliciter conatus eſt GANSERUS *p.* 465. quem nodum facilius ſolvam *Num. ſeq.* de uxore agens, per quam unice cognationis, ſeu affinitatis coniunctio explicari poteſt.

G) BERTHOLDI noſtri obitum an. 1168 contigiſſe, notatur in *tab. genealog. M. B. XII. p.* 22.

Iterum contradicit GANSERUS *p.* 468. eoquod in excerptis Paſſavienſibus AVENTINI apud OEFELE I. 711. ad an. 1165 dicatur „quod ALBERTUS de *Hals* caſtrum debuit dare Duci *Bavariæ* iuniori: iſte illud dedit ALBERTO III. de *Bogen*, & hic demum Epiſcopo." Hinc ex eo, quod caſtrum *Hals* non ſit datum ipſi BERTHOLDO II. ſed eius filio ALBERTO III., ſuſpicari ſibi fas eſſe autumabat, BERTHOLDUM II. an. 1165 iam fuiſſe defunctum. Ita GANSERUS ab AVENTINO, feſtinanter excerpente, & hallucinante, ſine examine perlecto deceptus.

H) Ait ille *loc. cit.* ad an. MCLXV. THEOBALDUS Epiſcopus Bathavienſis, *WALCHUN de Steine* - - ex litteris donationis - -

Ceſpitavit heic AVENTINUS. Nam THEOBALDUS non niſi an. 1172 fuit electus, ut oſtendit HANSIZ *Germ. ſacræ I.* 327. Et GANSERUS ex AVENTINO *Annal. p.* 658. *n.* 18. noſſe poterat, ALBERTUM III. de *Bogen* natum fuiſſe an. 1165,

Digitized by Google

1165, qui eo anno in cunis vagiens ineptiſſime inter teſtes adducitur.

En igitur novum ſpecimen Anachroniſmi *Ganſeriani!*

I) Annum autem obitus recte fuiſſe aſſignatum, & temere GANSERUM contradixiſſe, nunc facillime oſtendo.

In Codice *traditionum Admontenſium* apud PEZ *Theſaur. anecdot. III. P. III. col.* 779. exſtat ſequens: „Anno ab Incarn. dom. MCLXVIII. PERTHOLDUS Comes de *Pogen* viam univerſe carnis ingreſſus apud *Rotenmanne* (prope Monaſterium *Admontenſe*) migravit. Vxor itaque illius LIUKART nomine &c. (*Cod. prob. N. XXII.*)

K) Necrologium *Windbergenſe* in anno diſcrepare videtur: „XII. Kal. April. PERCHTOLDUS Comes anno MCLXVII. ab Incarn dom. " Cui quoad diem conſentit *Admontenſe* apud PEZ *Script. Auſtr. II.* 201. „PERHTOLDUS Comes Pogen. "

Hæc numerorum diſcrepantia, quæ in necrologio *Windbergenſi* iterum occurrit, dum HERMANNUS abbas N. A. obitum ALBERTI III. Comitis de *Bogen* ponit ad an. 1198, *Windbergenſe* autem ad an. 1197, ut ſuo loco patebit, ſuſpicandi mihi anſam præbet, lectorum iudicio relictam, ſcriptorem necrologii *Windbergenſis*, utpote canonicum *Præmonſtratenſem*, gallicano calculo aſſuetum, anni ſui principium duxiſſe ab VIII. Kal. April. h. e. XXV. Martii: *Admontenſes* autem & *Nideraltacenſes* ab ipſis Kalendis Ianuarii, quod hodie ſolemus, aut a nativitate dom. XXV. Decemb. ut adeo iſti numeraverint annum MCLXVIII. & MCXCVIII., quando *Windbergenſibus*

Digitized by Google

adhuc currebat annus MCLXVII. & MCXCVII. non niſi die 24. Martii complendus, & 25. ſequens inchoandus. Legi hac de re meretur *L'Art de verifier les Dates, Diſſertation ſur les Dates P. I. §. 2. p.* 111. *ſeconde Edit.* quem variantem computandi modum etiam in Germania non fuiſſe infrequentem, pluribus exemplis facile comprobari poſſet.

Num. 39. LUTGARDIS, uxor BERTHOLDI II.

A) Hoc eam nomine compellatam fuiſſe, ex N. *præc.* I. evidens eſt, quod & AVENTINO *p.* 658. notum erat: „BERTHOLDUS . . . ex LUITGARDA ALBERTUM III. procreavit.“ Eam Gundlingius male dixit LUDMILLAM. Noverat eam & HUNDIUS in *Stemmatographia* I, 118. ex FUGGERO in *Speculo honoris*, qui LEOPOLDI VI. *Auſtriæ* Marchionis filiam dixerat, cum ſponſa ALBERTI II. (N, 25.) confuſam.

B) Genus e *Carinthia* traxit, teſte necrologio *Windbergenſi*, ubi & prædia ſibi propria poſſedit (N. 38. I,). Igitur erravit bonus *FALKENSTEINIUS Antiqq. Nordgavienſ. II.* 279. filiam aſſerens neſcio cuius *Burggrafii Ratisbonenſis.*

Genuinos matronæ huius, ſuppreſſo licet nomine aliunde noto, parentes prodit *anonymus Weingartenſis de Guelfis Principibus apud LEIBNITIUM Script. Brunſuicenſ.* Tom. I. 785. „Erat tandem eadem SOPHIA (BELÆ primi Hungariæ Regis filia) antea cuidam (VDALRICO I. Marchioni) de *Carinthia* copulata, ex qua genuit POPONEM (ſecundum) Marchionem, qui duas filias habuit: unam (LUTGARDEN) PERCHTOLDO Comiti de *Bogen* (ſecundo) copulavit.“ Alteram prætermittit.

C) Atvero

C) At vero noviſſimus anonymi huius editor (N. 6. F.) hiantem iſtum locum ex apographo, cui conſentire ait vetus exemplar *Raitenbuchenſe*, hunc in modum redintegrat *p.* 20.: „Qui (Popo) duas filias ſuas, unam BERCHTOLDO Comiti de *Andechs*, aliam ALBERTO Comiti de *Bogen* copulavit.“

Priorem ſuſpicatur editor dictam fuiſſe SOPHIAM, ſed male, quod pace viri clariſſimi dixerim. Equidem BERTHOLDO I. *Andecenſi* uxor erat SOPHIA, non de *Carinthia*, ſed de *Caſtell* & *Amerthal* oriunda. Vid. *HUND. Stemmatographiam I.* 143. & *FALKENSTEIN. loc. cit.* 298.

D) *LAZIUS de gentium migrationibus Libro VI. pag.* 211. *Edit. Baſileenſis* de an. 1572, quem forte defloravit autor apographi, melius hunc locum reſtituit: „POPIO (POPPO) duas filias: unam HEDVIGEM, uxorem BERCHTOLDI ſecundi eius nominis *Andecenſis* ac *Meraniæ* Ducis: & alteram, coniugem ALBERTI *Bogenſis* Comitis apud *Vindelicos*, fundatoris Monaſterii Vnympergenſis (*Windbergenſis*) unde FRIDERICUM poſtremum *Babenbergenſis* proſapiæ, ab imperio proſcriptum, & a ſuis dominatu exutum, affinitatis ratione, ut in ditionem ſuam rediret, iuvit, unde & reſtitutus princeps, poſt repudiationem ſororis Reginæ Hungariæ, OTHONIS *Meraniæ* Ducis filiam uxorem duxit.“

Fallitur heic LAZIUS quoad alteram POPONIS filiam, quæ nulli ALBERTO, ſed BERTHOLDO ſecundo Comiti de *Bogen* nupſit. Nomen autem primæ, HEDWIGIS, ex vero poſuit, & comprobatur inſtrumento authentico, quod ex Codice *Admontenſi a Bernardo PEZIO Theſaur. anecdot. Tom. III. P. III.* 634. editum Cl. *MEICHELBECKIUS Chronico Benedicto-*

Digitized by Google

neditloburano p. 93. inſeruit: „In nomine - - Notum ſit - - Itaque ex petitione domini PERTHOLDI (ſecundi) Comitis, advocati ſcilicet noſtri, & interventu uxoris eius HADEWIGÆ - - " an. 1161.

Iſtud HEDWIGIS nomen iam & HUNDIO perſpectum erat, qui loco cit. *p.* 28. ita loquitur verbis latine redditis: „BERTHOLDUS III. (ſecundus) Marchio *Iſtriæ*. Vxor eius domina HADWIGIS, Marchioniſſa ex *Saxonia*." Vigili verbo utitur heic HUNDIUS, Marchioniſſam dicens, non *in*, ſed *ex Saxonia*; quoniam POPONIS abavus WILHELMUS Comes fuerat *Wimmarcenſis* (tab. C.) ideoque *ex* Saxonia originem traxerat, quamvis POPO fuerit Marchio *in Carinthia*.

E) *Andecenſi cuidam* BERTHOLDO AVENTINUS *Annal. p.* 659. uxorem tribuit *Neoburgicam*. Recte id quidem, modo eam CHUNIGUNDAM, non AGNETEM dixiſſet. Illa enim reperitur in *Mon. boic. IV.* 36. „Comes (EKKEBERTUS II. de *Farnbach*) annuente coniuge ſua WILLIPIRGA, & filia ſua CHUNIGUNDE " circ. an. 1130. Ibidem *p.* 38. „Domina CHUNIGUND proficiſcens de provincia (forte ad nuptias cum Andecenſi) teſtes EKKEBERTUS *frater eius* - - " CHUNEGUNDÆ huius maritum exhibet genealogia Comitum *Neoburgenſium* ex membrana ſæculi XIV. (*loc. cit. p.* 1.) „EKKEBERTUS genuit DIETMARUM, EBERHARDUM, EKKEBERTUM iuniorem, *Gottfridum* monachum, CHUNIGUNDAM. Is EKKEBERTUS iunior, tertius) *Mediolanum* cum Imperatore veniens occubuit. Cuius corpus *Formbach* delatum honorabiliter in capitulo eſt collocatum, in quo tumulo etiam pater eius, & avus, & ſororius eius Dux *Dalma-*

tiæ

tiæ & Marchio *Iſtriæ* PERTHOLDUS (tertius, CHUNIGUNDÆ maritus) ſimul requieſcunt. "

Geminæ igitur BERTHOLDO III, *Andecenſi* tribuendæ ſunt uxores I. CHUNEGUNDIS *Varnbaco-Neoburgica*, hactenus ignorata, II. AGNES, de qua mox, a quarum tamen neutra *Bogenſes* inter & *Andecenſes* Comites cognatio repeti valet, quod volebat GANSERUS; eoquod HEDWIGIS ALBERTI I. de *Windberg* & *Bogen* coniux, ad ſtemma *Neoburgicum* minime pertineat, uti N. 31. liquido commonſtravi. Ideo autem CHUNIGUNDAM, primam BERTHOLDI *Andecenſis* uxorem, & ECBERTI Epiſcopi *Babenbergenſis* matrem ſtatuo, quia iſtud nomen inter *Andecenſes* inſolitum, ob memoriam avi materni ECBERTI II. & avunculi ECBERTI III. eidem inditum fuiſſe videtur. (Tab. D.)

F) Alteram, AGNETEM, neque *Auſtriacam*, neque *Formbacenſem*, ſed e *Miſnia* oriundam fuiſſe, iam HUNDIO in *Stemmatographia I.* 29. ſuboluit, & poſt HOFMANNUM *Annal. Bamberg. p.* 146. *n. X.* eam noverat KOHLERUS de *Ducibus Meraniæ p.* 30. id quod modo comprobandum reſtat.

ALBERICUS *trium fontium* in *Chron.* ad an. 1196 ait: „ Ducis BERTHOLDI uxor erat AALIX, TECONIS filia, CONRADI *Miſnii* neptis. "

Annales Vetero-cellenſes apud MENKENIUM *Scriptor. rer. germ. II.* 396. §. 22. „ DEDO (idem, qui *Teco*, ſeu *Theodoricus* Miſnenſis) Comes de *Roechliz*, proavus S. ELISABETH, & avus S. HEDWIGIS, frater OTTONIS *Miſnenſis* Marchionis, filius tertius CHONRADI Marchionis, accepit uxorem MECHTILDEM,

Digitized by Google

TILDEM filiam GOSWINI de *Hunilburg* (Heinsberg vel Hingsberg in agro Iuliacenſi, teſte MEIBOMIO Tom. III. *rer. germ.* 248.) ſororem PHILIPPI Archiep. *Colon.* ex qua genuit THEODORICUM maioris eccleſiæ *Magdeburg* præpoſitum . . . & CONRADUM Marchionem, qui ſibi ſucceſſit in *Luſatia.* Genuit præterea filiam AGNETEM, quæ nupſit BERTHOLDO Duci de *Merania*, qui genuit ex ea filios OTTONEM Ducem de *Merania* & Marchionem de *Oſterreich* (Hiſtriæ) qui etiam *Dandaſſe* (de Andeſſe, Andechs) dicebatur.“

Iſta pene ad verbum repetit catalogus brevis Landgraſiorum *Thuringiæ* apud LUDEWIGIUM *reliqq. Manuſcriptor. VIII.* 181. & Chronicon *Dreſdenſe* apud illuſtriſſ. Com. de CRONBERG de *rebus Gortienſ.* novæ edit. *p.* 66.

Hæc utique abunde comprobant, ab iſta AGNETE, neutiquam *Neoburgica*, nullum inter Comites ab *Andechs* & de *Bogen* cognationis nexum deduci poſſe, qui tamen per ambas ſorores, LUTGARDEN & HEDWIGEN, utriusque Comitis BERTHOLDI uxores, facillime oſtenditur; erant enim primo gradu affines.

Quapropter citato apographo C. minime fidendum, dum BERTHOLDO ſubſtituit ALBERTUM, & ceſpitavit poſt LAZIUM D. editor, POPONIS-filiam ALBERTO I. Monaſterii *Windbergenſis* fundatori iungere volens, qui cum BERTHOLDO *Andecenſi* nuspiam concurrit.

Porro ALBERTUS ille *Bogenſis*, qui FRIDERICO auſtriaco, *Babenbergenſium* ultimo, ſubpetias tulit, huius nominis *quartus*, ALBERTI I. Windbergenſium fundatoris pronepos erat. Tab. B.

Itaque

Digitized by Google

Itaque LUTGARDIS, BERTHOLDI II. uxor, *carentana* erat, POPONIS Marchionis filia, quod demonſtratum exiſtimo.

G) Ad iſtam LUTGARDEN litteras dehortatorias dediſſe memorat ALEXANDER III. P. in bulla protectionis pro Monaſterio *Oberalteich* (*Cod. prob. N. XXIV.*) „Nihilominus etiam nobili mulieri L. *utgardæ* Bognenſi comitiſſæ & ALBERTO filio ſuo ſcripſimus, ut Monaſterium veſtrum diligere ſtudeant, & in ſuis iuribus conſovere - - datum *Anagnie* VIII. Idus Decembr. Pontificatus noſtri *anno ſecundo.*“

H) At vero in *datum* huius apographi ſatis vetuſti, cuius originale deſideratur, error irrepſit GANSERO omnia rodere ſolito minime obſervatus, & hoc loco opportune ſanandus.

Annus *ſecundus* pontificatus huius Papæ, quem anno 1159 Idibus Septembris auſpicatus fuerat, quemque inchoare ſolebat a die XXV. Martii, reſpondet anno ſexageſimo, quantum ad VIII. Idus Decembris; iſto autem anno nullus in *Bavaria* vixit ALBERTUS, Comes de *Bogen*. *Primus* enim huius nominis obiit an. 1147, *ſecundus* an. 1149, *tertius* natus eſt an. 1165, ut ſuis locis videre eſt. Accedit, quod VICTOR III. ALEXANDRO obpoſitus, procurante Imperatore FRIDERICO I. hoc tempore in *Baioria* pro legitimo agnitus fuerit, & prædictum Monaſterium anno 1159, (non 58, ut errore typi legitur *Mon. boic. XII. III.*) protectorium ab eodem Antipapa acceperat. Quomodo ergo ALEXANDER an. 1160 ad ALBERTUM non exiſtentem, & tunc minime imploratus nec agnitus, ſcribere potuit?

Digitized by Google

I) Itaque hunc in modum emendandum cenſeo vitium *dati*, ut loco *ſecundo*, ſcribatur *viceſimo ſecundo*, qui reſpondet anno MCLXXX., quo ALEXANDER extincto ſchiſmate iam ubique pro legitimo Pontifice agnitus fuerat. Facile enim accidit, ut notarius vel amanuenſis, per oſcitantiam, aut ſcribendi compendio uſus, *to vigeſimo* prætermitteret, & ſolum *ſecundo* poneret, maiore numero ſubpreſſo, ſed ſubintellecto. Similes numerorum defectus etiam in inſtrumentis autographis infra N. 43. S. memorantur. Præterea ex MABILLONIO obſervat HANSIZIUS *Germ. ſacræ II. 939 Coroll.* L. huiusmodi ſcribendi compendiis veteres non raro uſos fuiſſe, & ſæculo XIV. ac ſequentibus frequentiſſimum erat, ut prætermiſſo *maiore* numero ſolum *minor* poneretur in chartis, quemadmodum & hodie in epiſtolis familiaribus ſcribere non nulli ſolent an. 787 vel omnino 87 maioribus ſubpoſitis, & lectori hodierno notis, quod tamen poſteris non raro crucem figit.

K) Hac occaſione quærit GANSERUS *p.* 464. cur Papa non ipſi BERTHOLDO marito, ſed eius uxori LUTGARDÆ Monaſterium commendaverit, & meminiſſe lectorem vult, illum in comitatu Imperatoris ALEXANDRO III. infenſiſſimi, & ab eodem Papa iam an. 1160 excommunicati fuiſſe.

Vbi autem teſtes, ubi tabulæ huius aſſerti? Nempe BERTHOLDI an. 1168 defuncti umbra adverſus ALEXANDRUM an. 1180 pugnavit, quocum FRIDERICUS Imp. iam ante triennium an. 1177 in gratiam redierat.

Reſpondeo igitur, ideo ad LUTGARDEN tunc viduam filiumque eius ALBERTUM III. ſcripſiſſe Pontificem, quia ille an.

1165

1165 natus, hoc anno 1180 decimum quintum ætatis annum agebat, ſub matris tutela conſtitutus.

L) Quo anno noſtra obierit, non liquet. Marito autem ſuperſtitem, immo iſto adhuc anno 1180 inter vivos exſtitiſſe ex codice *Admontenſi* (N. præced. I.) & bulla ALEXANDRI patet. Diem ſaltem ſervavit necrologium *Windbergenſe*: „VIII. Kal. Maii LEUKARDIS de Carinthia.“

Num. 40. HEILWIGIS, filia ALBERTI I.

A) Præter filios hactenus comprobatos, ſuus etiam filiabus (N. 34. A.) heic locus debetur. Vt dies diem docet, & inſtrumenta ſerius reperta veritatem pandunt, ita parentes iſtius HEILWIGIS prius ignoratos didici ex necrologio *Windbergenſi*, ubi adpellatur *filia ALBERTI Comitis fundatoris*, *monialis in ſuperiori Monaſterio*, benedictino ordini tunc adhuc adſcripto. Inde autem ad Parthenonem *Geiſenfeldenſem* poſtulatam fuiſſe Abbatiſſam, docet Codex traditionum eius cœnobii. (*M. B. XIV.* 219. N. CXXII.) „Sub palatino Comite OTTONE *ſeniore*, & HEILWIGE Abbatiſſa, ſorore BERTHOLDI Comitis de *Pogene*, & WERNARDO Iudice.“

B) OTTONI *ſeniori* an. 1155 defuncto non alius BERTHOLDUS Comes de *Bogen* ſynchronus erat, quam *ſecundus*, an. 1168 defunctus.

In allegato traditionum Codice *p.* 229. *n.* 155. legitur: „Notum ſit - - reſignabant Abbatiſſe HEILWIGE de *Bogen*.“ Hinc corrigendus error *tabulæ genealogicæ* I. comitum *Bogenſium*, *Mon. boic. XII. p.* 22. ubi iſta HEILWIGIS legitur ſoror

BERTHOLDI III. Huic enim coæva HEILWIGIS II. itidem Abbatiſſa *Geiſenfeldenſis*, quæ annis 1211 & 1216 occurrit, a priore diverſa *p.* 231. *ſeqq.*, nullibi de *Bogen* adpellatur, alterius generis fuerit neceſſe eſt, & ad medium ſæculi XIII. pertinet. Annum obitus noſtræ invenire non licuit, de die autem conſtat ex necrologio *Windbergenſi* „XVIII. Kal. Maii HEILWIGIS monialis in ſuperiori Monaſterio (Ratisbonæ) filia ALBERTI Comitis fundatoris noſtri.“

Num. 41. RICHILDIS, ſeu RILINTIS, eiusdem ALBERTI I. filia.

In Codice traditionum *Geiſenfeldenſium* M. B. XIV. 213. legitur ſequens clauſula: „Hec traditio facta eſt Milleſimo CLI. anno ab Incarn. dom. ri. I. Ch. preſidente papa Innocentio Rome & OTTONE advocato *Giſenvelt*, & RICHILDE abbatiſſa.“

Ibidem 217. „Notum ſit - - quod RICHILT comitiſſa de *Pogen* tradidit.“

Iſtam poſteriorem RICHILT eamdem arbitrabar cum RICHILDE abbatiſſa, quod nunc revocatum velim, cum gentilitium nomen *Bogen* Abbatiſſæ nuspiam tribuatur. Fuerit ergo hæc incerti generis, diverſa a Comitiſſa *Bogenſi*, itidem RICHILDE dicta, quæ forte in gratiam ſororis ſuæ HEILWIGIS traditionem ibidem fecit; nam annus 1151 filiæ ALBERTI I. omnino congruit.

Crediderim autem, illam non *Geiſenfeldæ*, ſed *Windbergæ* piis ſe operibus addixiſſe, etſi ignorem, an cœlibem ibi vitam elegerit, an vidua ſororem induerit. Ita vero de eadem

legitur

Digitized by Google

legitur in necrologio *Windbergenſi*: „V. Kal. Maii RILIND (vix diverſa a Richilde) comitiſſa ſoror noſtra.“

Num. 42. ENGELBURGIS.

Iſtam prioribus ſubtimide *ſororem* iungo, ſola nixus pictura haut ſatis idonea. In *Monaſterio inferiori Ratisbonæ*, hodie principali, duodecim exſtant tabulæ maiores, ubi ſanctimonialium illuſtrium, quas nunc *Canonicas* dicunt, a tempore fundationis hucusque nomina, ſtemmata, & inſignia picta cernuntur. Has inter in tabula ſignata O. P. occurrit ENGLBURG *Gräfin von Pogen* an. 1185 cum ſcuto gentilitio hodiernorum comitum de Arcu, nempe tribus arcubus nigris in campo cæruleo, ut amicus reſcripſit. Vid. PARICIUS *Nachricht von Regensburg Editio an.* 1753.

Parentem eius *certum* indicare non valeo; quia tamen exploratum eſt, plures ALBERTO I. filias fuiſſe (N. 34. A.) hinc & iſtam eidem tribuere fas ſit, eo præcipue, quod ætas utrique, patri ac filiæ, ſatis reſpondeat.

Interea mirari ſubit, in necrologio *Windbergenſi*, immo in pluribus *Ratisbonenſibus*, ab amico luſtratis, nullum huic ENGELBURGÆ locum eſſe.

Forte autem poſterior ætas certiora docebitur, ſi quando Documenta *Nidermünſtrenſia*, alta adhuc nocte preſſa, lucem videre contigerit, quod ex bono ſit hiſtoriæ patriæ, & ipſius principalis loci!

Num.

Digitized by Google

Num. 43. ALBERTUS III.

A) Hic vir; hic eſt, qui multa tulit, fecitque, & ambiguam nominis ſui famam poſteris reliquit. Multa in eodem peccat GANSERUS, ad chronographiæ calculos nuspiam advertens, hinc toties lapſus.

Ex AVENTINO, ſæpius eidem lecto & allegato, noſſe debuerat, ALBERTUM iſtum anno 1165 primam lucem aſpexiſſe. Sic enim ille ſcribit *p. m.* 658. „BERTHOLDUS - - ex LUITGARDA ALBERTUM tertium procreavit. Is ab reſtituta ſalute natus eſt anno 1165.“

B) Ne quis autem heic errorem ſuſpicetur, addo teſtimonium coævæ manus, in prægrandi volumine MS. fol. *Vocabularium ſcripturæ* dicto, in bibliotheca *Windbergenſi* a me repertum, ubi *fol.* 3. *b.* ſequentia exſtant:

„Anno Milleſimo centeſimo LXV. ab incarnatione chriſti menſe Martio perfectus eſt liber iſte. Iſte eſt annus trigeſimus IIII. GEBHARDO Abbati noſtro. Hoc in anno in vigilia beate MARGARETE virginis & mr. comiti PERTOLFO natus eſt filius ADELBERTUS. Hoc ſiquidem nomine adpellatus eſt pater PERTOLFI, avus videlicet pueri. Qui ſcilicet comes ADELBERTUS primus fundator exſtitit Eccle nre.“

C) Quomodo igitur ALBERTUS iſte *tertius*, ſcribente GANSERO *p.* 469. iam anno 1155 expugnavit *Spoletum*, poſt duo luſtra naſciturus.

NIKEL-

NIKELHUBERUM autem, quem *erroris* arguit GANSERUS ibidem, enormiter ipſe errans, translationem reliquiarum S. SABINI ex *Spoleto* ad tempus poſterius non male diſtuliſſe, infra ſuo ordine patebit.

D) De ALBERTO iſto acerbe conqueritur HERMANNUS Abbas in Cod. prob. N. II.) „ Hic (Bertholdus II.) genuit ADELBERTUM comitem ex LEUTKARDE. Iſte ADELBERTUS advocatus fuit eccleſie tempore VDALRICI & DITMARI abbatum. Hic fuit homo ferox & bellicoſus, & per hoc deſtructor Eccleſiarum & provincie exſtitit &c. "

Monaſterii *Oberaltachenſis* advocatiam hæreditariam pariter exercuiſſe, ex vol. XII. M. B. liquet.

E) Anno 1179 preſente Advocato comite de *Bogen* (Alberto iſto) in publico iudicio eius CHUNO II. Epiſcopus *Ratispon.* confirmavit concambium iam olim factum ſub CHUNONE I. (*Cod. prob. N. XXIII.*) ubi inter teſtes poſt comites *Rietenburgenſes* tertio loco ſubſcripſit ALBERTUS comes de *Bogen.*

Heic denuo criminatur GANSERUS, quod ALBERTO numerum ordinalem III. de meo ultroneo iudicio adiecerim, qui in utroque Codice MS. non occurrit. Et quoniam in traditionibus advocati aut non ſolebant poni inter teſtes, aut inter hos ſemper primi, hinc ipſi videtur, tertium teſtem hic aſſignatum eſſe ALBERTUM *quartum* tertii filium, & ideo comitibus de *Rietenburg* poſtpoſitum, quia valde adhuc iuvenis erat.

F) Mi-

Digitized by Google

F) Miſerandam criſin! quale enim iſtud piaculum, numerum *ordinalem*, uncinis, uti in meo MS. originali adhuc cernere licet, ab amanuenſi vel typotheta neglectis, incluſum, addere? Id quod GANSERUS, ſui immemor, centies facit, & hoc ipſo §. I. *n.* 12. ALBERTO eumdem numerum addit. Volebam hac additione obſequium præſtare lectori minus exercitato, cui perſonas æquivocas proclive eſt confundere, uti confundit GANSERUS, contradicendi libidine in transverſum actus.

G) Quo autem pacto ALBERTUS *quartus* anno 1179 teſtem agere potuit, vix in lumbis patris ſui exiſtens? Hic enim anno 1165 natus, (A. B.) anno 1179 decimum quartum ætatis annum compleverat, certe nullius filii parens, ſors neque maritus.

Hem! denuo ſpecimen Anachroniſmi *Ganſeriani*! Teſtem *non natum*!

Alius igitur ab ALBERTO III. teſtis heic intelligi nequit, ideo comitibus de *Rietenburg* poſtpoſitus, quia iſti ex parte Epiſcopi ſtabant, ille vero pro Monaſterio, cuius erat advocatus.

H) Permutationi inter OTTONEM *Bavariæ* Ducem & Monaſterium *Priſlingenſe* factæ, & ab Imperatore FRIDERICO I. in caſtro *Norimberc* an. 1181 confirmatæ, poſtremus teſtium ſubſcripſit idem ALBERTUS de *Bogen*, quem & GANSERUS non iam quartum, ſed *tertium* agnoſcit. (M. B. XIII. 187.)

In aliis quoque chartis, annis 1186 & 89. (ibidem *p.* 187. 191.) idem ALBERTUS memoratur teſtis, GANSERO iterum *tertius*.

Intra

Digitized by Google

I) Intra annos 1186, quo CONRADUS II. Ep. *Ratisbonenſis* electus fuerat, & 1194, WOLFRAMO Abbati *Oberaltachenſi* fatalem, univerſe *Bavarie* Principes in *Plœdlingen* ad condictam curiam venerunt, domnus quoque WOLFRAMUS eiusdem Monaſterii abbas eo veniens prefatam vineam (*Wartperg*) coram domino CONRADO (II.) *ratispon.* Ep. coramque advocato *bogenſi* comite, videlicet ALBERTO (tertio) in manum domini SIGEHARDI de *Eberspount* eccleſie ſue ſervandam delegari petiit - - & ſubſcriptis teſtibus confirmavit ALBERTUS (III.) comes de *Bogen.* ALBERTUS de *Ratispona* (urbis Præfectus). VDALRICUS Vicedominus. - SIGEHARDUS de *Eberspounte.* - - " (*Cod. prob. N. XXV.*) Heic ALBERTO iſti denuo numerum ordinalem III. addidi, non contradicente GANSERO, quo tamen tempore natus iam eſſe poterat ALBERTUS quartus.

Obiter heic notari meretur inſignis hallucinatio Cl. D. *Car. Theod. GEMEINERI* in der *Geſchichte des Herzogthums Baiern p.* 363. *n.* 1183. *& n.* 1313. ubi ALBERTUM urbis *Ratisponenſis* Præfectum, ſeu, ut ait, Burggrafium, cum æquivoco noſtro Comite palpabili errore confundit, qui tamen in hoc ipſo inſtrumento ſat clare ab illo diſtinguitur. Donatio enim fit per manum ALBERTI Præfecti coram ALBERTO Comite *Bogenſi*, advocato Monaſterii, & iſte inter teſtes primo loco ante Præfectum ſubſcribit, ut legenti evidens eſt. Inde autem ſequitur, iura quæpiam, quibus ſereniſſima domus Bavarica, dimiſſis nonnullis, hodiedum in civitate, nunc imperiali, fruitur, non ex hæreditate *Bogenſium* Comitum ad eam devoluta, uti autor venditat, ſed reliquias eſſe aviti patrimonialis dominii, quod eidem in hanc ſuam quondam municipalem Metropolin multa per ſæcula usque ad annum MCXXC. competebat.

Digitized by Google

K) Teſte inſtrumento ex archivo archiepiſcopali *Salzburgenſi* benevole communicato, *Friſaci* dato an. 1189 (*Cod. prob. N. XXVI.*) ALBERTUS noſter domino ADELBERTO *Salzburgenſi* archiepiſcopo obpignoravit predium ſuum *Gurkevelt* in *Carniolia* cum tota dominatura illa pro ſeptingentis marcis examinati argenti in pondere datis GOZWINI *Ratisponenſis* monetarii - - - Eodem anno *patavie* confirmata eſt convencio predicta - Vxor præfati comitis ibidem poſita confeſſa eſt, bona illa nec ſibi nec liberis ſuis a comite unquam fuiſſe collata. Ipſe comes iuravit, ſe eadem bona *potenti* manu archiepiſcopo obpignorare. -

Qua ex appendice ſimul conſtat, ALBERTUM hoc anno iam plures numeraſſe proles.

Quoniam in allegato inſtrumento terminus ſolutionis ponitur a natali domini in natalem; inde coniicere licet, principium anni ſumtum fuiſſe a nativitate domini, non a prima Ianuarii, ut hodie ſolemus: quæ obſervatio pro concilianda annorum diſcrepantia aliquando ſervire poterit.

L) Sub initium anni 1192 celebri conventui Ducum & Comitum noſter etiam interfuit cum aliis teſtibus, quos e Cod. MS. bibliothecæ cæſareæ recenſet *HANSIZIUS Germ. S. Tom. I. p.* 338. „Preſentibus LIUPOLDO duce *Auſtriæ*, BERTHOLDO duce *Meraniæ*, VLRICO duce *Carinthiæ*, LUDOVICO duce *Bavariæ*, CUNRADO comite de *Pilſtein*, RAPOTONE comite de *Ortenburch* & fratre ſuo HENRICO, ALBERTO comite de *Bogen*. Datum *Ratisponæ* IV. Idus Ianuarii.“

Eodem

Eodem anno, ut teſtis eſt autor ſynchronus Chronici *Reicherſpergenſis* apud LUDWIGIUM *Scriptor. Bamberg. II.* 345. non autem an. 1193, ut paſſim alii ſcribunt, Auguſto menſe poſt horribilem tempeſtatem II. Idus Auguſti exortam, ſubſecuta eſt ſtatim illa inaudita perturbatio & devaſtatio terræ, quam *Sigismundi CALLESII Annal. Auſtriæ II.* 106. ad fidem *Reicherſpergenſis*, quam meis dare verbis malim:

„ ALBERTUS de *Pogen*, clarum cætera nomen, ſed *Bavariæ* tunc funeſtum, cum *Ortenburgicis* fratribus RAPOTONE & HENRICO, de cœnobiorum tutela, ac nefcio quibus agrorum limitibus, iuribusque contendebat. ALBERTI cauſam BERTHOLDUS Dux *Meraniæ* amplexus eſt, & quos ſubſidio ſibi in perniciem patriæ vocaverat comes, *Bohemi. Ortenburgicos* fratres LUDOVICUS Dux *Bavariæ* adiutum ibat. Iamque ad tumultum ſpectabant omnia, cum Octobri menſe LEOPOLDUS Dux *Auſtriæ Styriæque* cum multo exercitu *Bavariam* perrumpens, agrum eum omnem, qui *Ortenburgicis* fratribus parebat, turbinis in morem pervolat. Id belli ſignum. LUDOVICUS Dux Bavariæ, qui tumultuarias raptim copias & ipſe contraxit, a *Bohemis* ALBERTI auxiliaribus victus, fugatus fuit: *Bavaria* omnis cædibus, incendiis, populationibus deformata: atque ubi ſemel diſcrimen recti perperamque facti confuſum eſt, direptis cœnobiis, templisque profanatis, in vaſa adeo ſacra, Sanctorumque reliquias ſacrilegæ manus iectæ: nec ante finis infelicium turbarum, quam Cæſar lamentabili omnium ordinum queſtu fatigatus, tumultus autores ad ponenda arma, & reddendam turbatæ pacis rationem pro imperio adegiſſet, comitiis eam ob rem ad VIII. Idus Decembris *Ratisbonam* indictis. Sententia in ALBERTUM de *Bogen* ſeditionis facem & autorem lata, ſolum ut verteret, patriaque ex-

torris in *Apuliam* abiret.“ Poſtea tamen, ut ſubdit Chronicon *Reicherſpergenſe*, in gratiam receptus eſt.

Ad eundem annum has turbas refert PULKAWA in *Chron.* Bohemiæ apud *DOBNERUM Monum. Hiſtor. Bohem. Tom. III. p.* 200. „ Anno Dom. MCXCII. *Przemysl* Dux Boemie, alias OTTOCARUS, nonnullas teutonie provincias vaſtavit incendiis & rapinis. “

Idem DOBNERUS in *Annalibus Hagecianis* P. VI. ad an. 1192 rem omnem fuſe perſequitur.

M) Diuturnum autem non fuiſſe exilium, ſed eum cito in gratiam receptum, vel ex eo conſtat, quod an. 1193 V. Kal. Aprilis teſtis ſubſcripſerit diplomati *Spiriæ* dato, quo Imperator Epiſcopo *Patavienſi* confirmat abbatiam Monialium B. V. in *Patavia*, apud *Hanſiz. Tom. I. p.* 340. *n.* 5.

Eodem anno XV. Kal. Iunii *Wurceburgi* aderat, quando Imp. HENRICUS VI. ampliſſimum *Tegernſeenſi* cœnobio privilegium largitus eſt: cuius teſtes erant poſt eccleſiaſticos, *Bertholdus Dux Meraniæ, comes Albertus de Pogen.*“ *M. B. VI.* 200.

N) Hinc capere nequeo, quomodo fragmentum *Windbergenſe* XIV. *p.* 107. reditum ALBERTI noſtri ad an. 1196 transferre potuerit. Ita ibi:

„ Anno Dom. MCXCVI. Imperatrix peperit filium, qui vocatus eſt FRIDERICUS, quod ut primum per ALBERTUM comitem de *Pogen* tunc in *Apulia* exiſtentem HEINRICO Imperatori innotuit, gratiam ſuam, qua tunc carebat, recipere promeruit.

meruit. Sed & OTTOCARO *Bohemo*, qui & PRIMÆVZEL, Cæſaris gratiam & ducatum priſtinum impetravit. Deſtitutus enim in curia *Wormaciæ* celebrata fuerat pro eo, quod contra Ducem LUDOVICUM in auxilium ALBERTI comitis *Bavariam* intraverit. Eo tempore per iam dictum comitem ALBERTUM ſanctum SABINUM Epiſcopum & Martyrem de *Apulia* recepimus in Patronum. "

O) Crediderim, hanc diſcrepantiam inde oriri, quod ſcriptores in anno natali FRIDERICI II. non conveniant, quibusdam ad an. 1195, aliis ad alium eum referentibus, uti videre eſt apud STRUVIUM in *corpore Hiſtoriæ germ. medii ævi*, & *PFEFFINGERUM* ad *VITRIARIUM* Tom I. in FRIDERICO II.

Quoniam igitur poſtremis anni 1195 diebus Imperatricem peperiſſe crediderunt; ideo per ALBERTUM noſtrum an. 1196 partus huius nuntium ad Imperatorem perlatum fuiſſe, inferebant.

P) Verior autem videtur illorum aſſertio, quos etiam ſequitur *l'Art de verifier les dates. p.* 445., qui Epocham nati FRIDERICI II. aſſignant ad an. 1194 & diem 26. Decemb.

Sic RICHARDUS de *S. Germano* ad an. 1194 apud citatum STRUVIUM *p.* 525. „ Tunc temporis in civitate Marchiæ Imperatrix filium peperit, nomine FRIDERICUM menſe Decembri in feſto S. STEPHANI. "

Anonymus Caſinenſis, qui annum inchoat a nativitate Chriſti, 25. Decemb. apud eundem STRUVIUM; „ CONSTANTIA Im-

Imperatrix ſub initium anni 1195 filium parit in Marchia anconitana. "

ALBERTUS *Stadenſis*, qui fors & ipſe a die 25. Decemb. annum orditur, apud KULPISIUM ſeu BOECLERUM *Scriptor. rer. germ. p. m.* 297.

„ Ann. Dom. 1195 natus eſt Imperatori HENRICO filius in valle *Spoletana*, in civitate *Aſis*, nocte quæ præcedit dormitionem *Ioannis Evangeliſtæ*, & baptizatus dictus eſt FRIDERICUS. "

Q) Cum igitur ALBERTUS noſter iam anno 1193 in media Germania præſens & libertati reſtitutus compareat; verosimile eſt, eum an. 1194 ſecundæ Imperatoris in *Apuliam* expeditionis (de qua GOTOFRIDUS *Colonienſis* ad hunc an. inter Scriptores Germ. FREHERI *Tom. I. p.* 359.) ſocium fuiſſe, lætum eidem partus nuncium tuliſſe, & affini ſuo OTTOCARO *Bohemiæ* Duci reſtitutionem in integrum obtinuiſſe. Qua quidem ratione differentes annorum calculi conciliari poſſe videntur.

R) In hac noſtra vicinia, propria Comitum *Bogenſium* ſede, haut perfunctorie perluſtrata, & documentis inde liberaliter communicatis, nullum hactenus inſtrumentum ALBERTI III. deprehendere licuit, etiamſi plura filiorum eius ALBERTI IV., & BERTHOLDI III. obvia ſint; donec tandem offenderem in aliquam membranam *Windbergenſem*, quæ licet annum MCCXXXIII præſeferat, & primo intuitu ALBERTO IV. eo tempore florenti tribuenda videatur, eidemque a GANSERO adiudicata fuerit; heic tamen opportunus locus eſt, ut eam ALBERTO III. vindicem.

Sum-

Summa eius hæc eſt (*Cod. prob. N. XXVIII.*) „ An. Incarn. MCCXXXIII. indict. XII. Ego ALBERTUS Comes de *Pogen* - - notum fieri volo donacionem a me factam Eccleſie - - in *Windeberge* ampliare fategi, abdicans iuri meo & *filiorum meorum* quod habui in hubis in *Nidernhermanſtorf*, quas dilectus amicus noſter HERMANNUS *Babenbergenſis* Epiſcopus, & famulus (familiaris) noſter WERNHERUS de *Weintztorff*, & cocus noſter KALHO de *Wintzer* S. M. libere donaverunt - - - Concedimus ex gratia & petitione predicti domini & amici noſtri - - Sub dilecti *filii noſtri* ſigillo. "

S) Priusquam in huius autographi illæſo BERTHOLDI ſigillo muniti, ante tria luſtra a me deſcripti, genuinum autorem inquiram, ceu *poſtulatum* præmittere liceat, in chartas non modo apographas, ſed autographas quoque, notariorum incuria aut præcipitantia, errores, præſertim quoad *data* & *numeros* non raro irrepſiſſe, quin ea propter fides ipſius membranæ vacillet; id quod nemo rei diplomaticæ tantisper peritus inficiabitur, quippe innumeris exemplis demonſtratum. Noviſſimum produxit illuſtriſſimus Princeps ad S. BLASII, *Martinus* GERBERTUS, notum eruditis nomen, in ſua *de Rudolfo Suevico* commentatione *pag.* 8. ubi teſtatur, exſtare hodiedum eiusdem RUDOLFI diploma autographum ſuis oculis inſpectum, omni ex parte integerrimum, ſigilloque munitum, cuius hoc eſt datum: „ Actum eſt autem anno dominice incarnacionis Mileſimo tercio anno regni eiusdem (Henrici) Imperatoris VIIII. II. non. maii feliciter amen. " Quæ regni Epocha cum anno 1063 poſt elapſum iam paſcha recte conciliatur; ut adeo defectus ſit notarum chronologicarum LX. negligentia ſcribæ.

Similis

Similis numerorum defectus occurrit in diplomate ARNOLFI Regis *Mon. boic. XI.* 434. ubi æræ D. CCC. VIII. addendi sunt LXXX. & legendum: anno Incarn. dom. D.CCC.LXXXVIIII.

Videatur post alios in compendio D. de VAINES *Dictionnaire raisonné de Diplomatique* V. *Anachronisme* - V. *Dates p.* 372. *Erreurs dans les Dates.*

Hoc ipsum instrumentum, de quo nunc disceptatur, etiamsi annus recte positus foret, certissimum tamen errorem continet, dum anno 1233 iungitur indictio XII., ubi ponenda fuerat VI.

T) Momenta autem, quæ me pene cogunt, ut istam membranam ALBERTI III. esse censeam, hæc sunt.

I. Integro ALBERTI IV. vitæ curriculo nullus *Babenbergæ* sedit Episcopus HERMANNUS, uti e serie illorum apud HOFMANNUM patet. At vero ab anno 1172 - 77 HERMANNUS Episcopus synchronus erat, ALBERTO III. *dilecti amici* elogio ab eodem compellatus. Iste autem comes an. 1165 natus, (A. B.) anno 1172 quo HERMANNUS Episcopatum adiit, septennis, & an. 1177 quo eundem per obitum dimisit, duodennis erat, certe nondum pater ullius filii, neque maritus, quia necdum pubes.

V) II. Convenit inter patrios scriptores, ALBERTUM IV. ob uxoris sterilitatem sine prole decessisse, ut suo loco patebit, & GANSERUS quoque fatetur, *legitimo* filio fuisse destitutum. *p.* 481.

In ista autem traditione non modo diserta *filiorum*, quos ALBERTUS III. certe genuit, sed expressa BERTHOLDI sit mentio,

Digitized by Google

tio, cuius etiam ſigillo equeſtri pater utitur, ordinario ſuo tunc forte deſtitutus, aut ideo filii ſigillum adhibens, ut eum ad paternæ donationis confirmationem hoc pacto adſtringeret.

W) Inane eſt ergo effugium, immo atrox calumnia, ALBERTI IV. de Monaſterio *Oberaltachenſi* quam optime meriti manibus impacta, dum ei GANSERUS adulterinum filium adfingit, hac ſolum ratione ductus, quod ALBERTUS IV. ipſemet publice lamentetur ſuper ſua delicta, & in alio inſtrumento expreſſe poſuerit clauſulam, *ſi ſine legitima prole obierit;* quæ ſuperflua fuiſſet, niſi *illegitimam* habuiſſet.

X) Ergo *illegitimum* filium habuit? Vah! temerariam illationem! Meminiſſe debuerat cenſor, Eccleſiarum deprædationes, incendia, ſacrorum ſpolia &c. inter maxima tunc crimina reputata fuiſſe, quorum ſe reum publice edixit Comes ALBERTUS IV., quin inde inferre fas ſit, etiam adulterii flagitio fuiſſe inquinatum.

Quare autem comes iſte compunctus decimas omnium bonorum Eccleſiæ *Windbergenſi* an. 1238 liberaliter donans (*Cod. prob. N. L.*) id ſe facere proteſtatur ad ſuam ac dilecti domini & fratris (ſui uterini) illuſtris palatini comitis *Rheni* ducis *Bavarie*, omniumque parentum ſuorum in carne viventium felicitatem perpetuam & ſalutem, in remedium quoque omnium defunctorum parentum, nec non miniſterialium ſuorum, & aliorum dilectorum, quorum corpora in cimeterio predicte Eccleſie, & alias diem noviſſimum exſpectantia requieſcant: „ Qui alibi recordatus fratrum ſuorum BERTHOLDI & LUIPOLDI, ne verbulo quidem unquam meminit filiorum ſuorum, niſi quia nullos omnino habuit; quorum tamen fit mentio in diplomate,

Digitized by Google

de cuius æra nunc disceptatur. Inde autem oritur argumentum:

Y) III. In hac membrana controverſa donator renuntiat iuri ſuo & *filiorum ſuorum*, quod habuit in hubis. - - - - An & ſpuriis, extra thorum legitimum natis, ius competebat in bona paterna, quibus, utpote conditionem matris ſequuturis, alimenta ſolum debebantur?

Z) IV. Aeque incredibile eſt, patrem, virum Principem primæ nobilitatis, adeo pudorem omnem exuiſſe, ut in publico inſtrumento, ad omnes inſpectores directo, filiorum ſuorum ex adulterio genitorum claram mentionem facere, & BERTHOLDUM *dilectum filium ſuum* adpellare, eiusque ſigillo uti voluerit.

Aa) V. Iſtud quoque a communi more abludit, & neſcio an nullum in patria noſtra exſtet exemplum, quod filius ſpurius, præſertim ex thoro damnato editus, paternam dignitatem *Comitis*, & nomen gentilitium de *Bogen* ſibi arrogare præſumſerit. Plerumque enim Principum & Illuſtrium filii ab aliquo prædio paterno adpellationem ſortiuntur, aut maternum nomen eisdem tribuitur, ac domini de N. dicuntur.

Immo ne filiis quidem *legitimis*, ſed ex impare matrimonio ad morgenaticam contracto genitis permittitur paternam dignitatem efferre, uti habemus exemplum in Comitibus de *Wartenberg*, qui etſi a *Ferdinando Bavariæ* Duce deſcenderent, quia tamen matrem ſortiti erant *Annam Petenpeckiam*, inferioris reſpectu mariti fortunæ fœminam, *Bavariæ* Duces nuspiam dicebantur.

Bb) VI.

Digitized by Google

Bb) VI. Plura iam proſtant ALBERTI IV. inſtrumenta, annis 1232 & 33 ſignata, in quibus conſtanter meminit ſui propoſiti transfretandi ad ſepulcrum domini, vel contra *Boruſſos*, tunc iuſideles.

Sic in charta Monaſterio *Metenſi* data an. 1232 (*Cod. prob. N. XLIV.*) in *altera* eiusdem anni pro Monaſterio *Oberaltaich* (*Ibidem N. XLV.*) in *tertia* pro Mon. *Alderſpacenſi* an. 1233. „ Si contingat nos non reverti &c. *M. B. V.* 372. *N. XVII.*) in *quarta* pro Mon. *Nideralteich* eiusdem anni (*Cod. prob. N. XLVI.*) in *quinta* pro Mon. *Windberg* dicti anni (*Loc. cit. XLVII.*) denique in *ſexta*, quæ nunc primum prodit, pro Minoritis *Ratisponenſibus* (*Cod. prob. N. XLIX.*)

Eccur in hac ſola membrana, de qua nunc agitur, tam notabilis circumſtantia prætermittitur, niſi quod ad præſentem annum, & ad eamdem perſonam non pertineat, ſed ad eius patrem ALBERTUM III?

Cc) VII. Ex inſtrumento *Nideraltacenſibus* an. 1233 dato, quo ALBERTUS IV. donationem prædiorum in *Pebrach* confirmat, ſat clare colligitur, illum eo anno non modo legitima, ſed omni prorſus prole caruiſſe; ait enim: „ Promittens & conteſtans, quod predicta ſine meo gravamine retinebunt, & *quocumque modo ſine prole deceſſero*, predictam donationem de *Pebrach* & *Girſtal* per me legitime factam ipſius eccleſie in perpetuum cedere uſui ac poteſtati. “

Dd) Quoniam igitur certo conſtat, ALBERTO tertio tres fuiſſe filios legitimo thoro natos, & hos inter BERTHOLDum III, ſecundo genitum: ex adverſo autores concorditer teſtantur,

ſtantur, ALBERTUM quartum ob uxoris ſterilitatem improlem obiiſſe; iſtam cumprimis rationem ſufficere arbitrabar, ut hanc donationem, *Windbergenſibus* factam, ad ALBERTUM III. referrem, in numeros æræ errorem irrepſiſſe iudicarem, hunoque ita emendandum cenſerem, ut loco alterius C. ſubſtituatur L., & poſt ultimum X. addatur XI. Inde autem oritur annus MCLXXXXIIII. cui omnino reſpondet indictio XII. & per omnia congruit ALBERTO III. patri BERTHOLDI III. tunc quidem iuvenis, forte decennis, equo tamen inſidentis, cuiusmodi exempla plura proſtant apud HEINECCIUM *de ſigillis P. I. cap. X. n. XXV. p.* 127.

Ee) Modo iuvat ratiunculas excutere, quibus GANSERUS evincere conatur, datum huius membranæ recte eſſe poſitum, & ALBERTO IV. non III. competere.

I. Hæc membrana, ait, autographa eſt, & tam ipſe Comes traditor, quam donatarii *Windbergenſes* certo curaturi fuiſſent, ut error tam inſignis in documento originali corrigeretur.

Reſp. Eſt omnino autentica; an ideo immunis ab omni errore? Quare autem nemo curavit, ut expuncto HERMANNO ſubſtitueretur ECBERTUS, tunc *Bambergæ* ſedens? Cur nemo emendavit Indictionem XII. certo falſam, ſubſtituendo ſextam, illi anno propriam? Quid multis? Errorem non unum heic irrepſiſſe, ipſe GANSERUS diffiteri nequit.

Citius autem erratur in *numeris*, quam in *perſona*; facile enim accidere potuit, ut notarius loco L pingeret C longiuſculum, in apice nimis incurvatum, & feſtinanter ſcribendo

Digitized by Google

do omitteret XI. Leviſſimus hic error eſt, bono dormitanti *Homero* condonandus. At ignorare *dilecti amici* nomen, adulterinos donatori filios palam affingere, quis iſtud concoquere valebit?

Ff) II. ALBERTUS, obſervante GANSERO, in hoc documento profitetur, ſe donationem a ſe factam Eccleſiæ *Windbergenſi ampliare* ſategiſſe: nullam autem ALBERTI III. exhiberi poſſe. Econtra ALBERTUS IV. eodem anno MCCXXXIII. eidem donationem fecerat. An & heic unum C. redundat?

Reſp. Heic nihil redundat, nec ſanus quispiam iſtud inſtrumentum vocabit in dubium, eoquod omnes circumſtantiæ ALBERTO IV. congruant. An autem propterea in documento litigioſo nullus error deprehenditur? Quæ iſta ſequela? Nec ille, nec ego, ſingula vidimus inſtrumenta *Windebergenſia*, de quo nullo iure publice queritur, quippe ad inveſtigandum huius Eccleſiæ archivum a nemine vocatus, nec miſſus. Latet ibi forte quædam traditio ALBERTI III. aut muribus in prædam ceſſit, aut donatio viva voce coram teſtibus per aures attractis facta, in litteras redacta nunquam fuit. Nemo hactenus vidit diploma fundationis ALBERTI I. An ideo nihil omnino *Windbergenſibus* tribuit, cum certum ſit ex N. 30. E.) illum donationes ante factas, in conſecratione altarium an. 1142. coram magna multitudine fidelium renovaſſe.

Gg) III. Donator in hac charta ait, ſe renunciare iuri in hubis, quas *cocus ſuus Kalho de Wintzer* dederat. Iſte autem non erat cocus ALBERTI III. quia in donatione BERTHOLDI III., filii ALBERTI tertii (*M. B. XIV.* 31.) teſtis legitur,

Cal-

Digitized by Google

Caldelhoe de *Wincere*, ſine adiecto elogio *Coci*. Igitur demum ALBERTI IV. cocus effectus fuit, concludente GANSERO.

Hoc ratiocinium focum olens nullo reſponſo dignarer, niſi ex ipſa fuligine illuſtris denuo anachroniſmus reſplendeſceret. In hac traditione circa an. 1155 facta, cui tamen errore typi præfigitur an. 1165, memoratur HARTUICUS II. Ep. *Ratispon.* uno an. ante ALBERTUM III. natum, nempe an. 1164 defunctus. Teſtis occurrit DIETRICUS Abbas *Oberalt.* † 1159. Vtrique coævus fingitur BERTHOLDUS III. poſt quatuor demum luſtra naſciturus.

Igitur de BERTHOLDO II. heic ſermo eſt, an. 1168 defuncto, & de CADELHOHO de *Wintzer*, alterius CADEHOHI, qui ALBERTI IV. non *cocus*, ſed miniſterialis, Magiſter coquinæ erat, parente.

Hh) Iſte CADELHOHUS de *Wintzer* medio ſæculo XII. ſæpe teſtis occurrit, Comitibus proximus, & ipſe complacitator. Sic *M. B. XIII.* 99. „Quod ſuſcepit Comes ALBERTUS (*primus*) eiusdem Monaſterii (*Priſling*) Advocatus - - Huius rei teſtes ſunt PERTHOLT filius ipſius Comitis. *Chadolt de Winzer.* Actum in *Bogen* an. MCXL. Indict. III. menſe Auguſto.“

Ibidem p. 60 „Fridericus (*tertius*) Advocatus *Ratispon.* (circa an. 1147) tradidit in manus PERTHOLDI (II.) Comitis - - Teſtis primus CHADELOH de *Winzere*.“

In traditionibus *Oberalt.* legere etiam poterat *p.* 39. *N.* 42. „Noverint - - qualiter CHADOLT de *Winzera* tradidit predium

Digitized by Google

dium - - Teſtes - CHADELOCH de *Winzere* & *filius eius* CHAD. "

In inſtrumento ALBERTI IV. Com. de *Bogen* (*Cod. prob. N. XXXVIII.*) iterum inter teſtes certe nobiles memorantur, HEINRICUS de *Pfölingen*, CHALHOHUS de *Winzer*, ALBERTUS de *Nuzperch* &c.

Idem CHALHOHUS in *Alderſpacenſibus M. B. V.* 370. ut miniſterialis Eccleſiæ *Bamberg* occurrit: „EKKEBERTUS Ep. - - Notum ſit, - - quod miniſterialis noſter KALHOHUS ſcil. de *Wintzer.* "

Ii) IV. *ro renunciare iuri filiorum ſuorum* GANSERUS exponit de ſpuriis, quorum plures habere *potuit* ALBERTUS IV., qui donationem ſuo tempore irritare voluiſſent; aut, quia ſpes erat, illum adhuc legitimos obtenturum, cui iam *ſpurius* erat.

Reſp. Quæ iſta conſecutio? Vir illuſtris unum filium *ſpurium* habuiſſe temerarie fingitur: ergo plures habere *potuit*! De *potentia* non dubitatur: unum vero, aut plures habuiſſe, non ſubponi, ſed probari debuiſſet, præſertim cum parens de *pluribus* loquatur, qui utique *legitimi* præſumi debent. Qui autem ex uxore *ſterili* ulla proles ſperari potuit?

Kk) Quod porro addit GANSERUS *p.* 483. in ſigillo BERTHOLDI, quo Pater ALBERTUS utitur, non *Rhombos*, qui in ſigillis ALBERTI IV. & BERTHOLDI II. conſpicui ſunt, ſed *arcum* adparere, & aliam huius diverſitatis rationem dari non poſſe,

Digitized by Google

poſſe, quam quod iſte BERTHOLDUS illegitimus ALBERTI IV. filius fuerit; modicam illius heraldicæ artis notitiam prodit. Nam

Reſp. Diverſitas inſignium in ſcutis eiusdem familiæ, immo eiusdem Principis, ſigillorum autentiæ non obeſt, cum ſciamus, veteres illa ætate inſignia non raro mutaſſe, quin, ſi diligentiſſimo D. GATTERERO *Element. artis diplomat. p.* 312. §. 345. fin. fides, „ adhuc ſæculo XIV. immo ſerius, unius eiusdemque gentis homines variis ſæpe ac diverſis imaginibus clypeos gentilitios condecorare conſueviſſe. "

FRIDERICUS & ASCUINUS, germani fratres, diverſa ſcuta exhibent in marmore ſepulcrali *Oberaltacenſi.* Tab. III.

LUDOVICUS I. Bavariæ Dux nunc *trabibus* transverſis (*Sparren*) nunc *Leone* uti conſuevit, licet ſigillum paternum *Aquilam* referat. An ideo filius ſpurius?

Quid? quod in ſigillo huius ALBERTI III. nuper detecto, etſi non nihil detrito, probabiliſſimum cenſeatur, eundem *arcum* erectum cum chorda ſculptum eſſe, qui in ſcuto filii manifeſte adparet. Potius ex inverſo inferre licet, BERTHOLDUM iſtum ALBERTI III. filium fuiſſe, eoquod eodem, cum paterno, ſigillo uſus fuerit. Si enim ſpurius exſtitiſſet, paterno ſcuto ſignum aliquod diſcretivum, v. g. *Rhomboiden*, *Trabem transverſam*, aliudve addere debuiſſet. Vid. Gercken *Anmerkungen über die Sigel N. II. p.* 75. *ſeqq.*

Ll) Vlterius progreditur cenſor *Berolinenſis* (*Allgemeine deutſche Bibliothek LXIX. Band. II. Stück. p.* 503. *ſeqq.* dum hanc

Digitized by Google

hanc membranam volumini XIV. *M. Boic.* inſerta non modo utrique ALBERTO, patri ac filio, Comitibus de *Bogen* abiudicat, ſed inſuper una cum ſigillo adpenſo, primo quidem *aperte falſam*, denique vehementer *ſuſpectam* ex tripode pronuntiat.

At quibus demum rationum momentis? Iſtis ſane leviſſimis:

I. *Forma*, ait, *& ſtylus falſarium protit.*

Reſp. Facile hoc dicitur: at unde probatur? Quid enim adeo inſolitum, ut membrana, illæſo ſigillo munita, tamquam *aperte falſa* reiiciatur? Hucusque nullum ALBERTI III. inſtrumentum lucem viderat, unde formæ aut ſtyli diſcrepantiam cenſor eruere potuiſſet.

Mm) An diſplicet formula, ✠ *In nomine domini?*

Hæc frequenter occurrit in chartis filiorum eius. *M. B. XI.* 190. 191. *XII.* 123.

An, quod poſt invocationem in principio ſtatim ponatur æra cum indictione, quæ ordinarie locum ad finem obtinet?

Nec iſtud infrequens eſt, præſertim in traditionibus, prius viva voce factis, deinceps in ſcripturam redactis, cuiusmodi iſta fuiſſe videtur. Inſuper in pluribus *Hungariæ* Regum diplomatis hæc forma occurrit, e. g. apud D. *Stephanum KATONA Hiſtoriæ criticæ Regum Hungariæ Tom. III. p.* 14. ubi diplomatis hoc eſt initium: „Anno ab incarn. d. n. I. Ch.

MLXXII. indictione VII. regnante glorioso *Croatiæ Dalmatiæque* Rege &c. "

Idem fere adparet in bulla HONORII II. de anno 1126, cui insertum legitur instrumentum restaurationis Monasterii *Oberalteich*, cuius hoc initium: „In nomine &c. - - Anno ab Incarnatione - Indictione III. II. Id. Decembr. (*Cod. prob. N. XI.*) Quod quidem instrumentum in *Bavaria* conceptum, *Romæ* super altare S. *Petri* veteri more positum, & a Pontifice confirmatum fuit.

Nn) II. *Annus Incarnationis erroneus est, & illo tempore HERMANNUS non erat Episcopus Bambergensis.*

Resp. Ob hunc ipsum geminum errorem, non a censore, sed ab editore animadversum, secus vix observandum, ista membrana non congruit ALBERTO quarto; an ideo aperte falsa? Adversantur huic crisi rei diplomaticæ periti omnes (S. hoc Num.)

Oo) III. *Testium nomina sunt plane incognita.*

Resp. In instrumentis Comitum *Bogensium* per vol. XI. XII. XIII. XIV. *Mon. Boic.* sparsis, notissima sunt, nec poterant censori esse ignota, si vel solos NN. XXIV. & XXV. vol. XIV. legere placuisset.

Pp) IV. *Sigillum filii pendet e diplomate paterno. Inversus ordo melius quadrasset.*

Resp.

Resp. Non iam inquiritur, quid fieri debuisset, postquam de facto constat, eiusque ratio dari valet. Vtut enim istud a more communi abludat, non ideo tamen instrumentum illico *falsum* aut *suspectum* reddit. Contigit non raro, ut donator, proprio sigillo tunc destitutus, alieno uteretur; cur non & sigillo filii, tunc obportune præsente, uti licuerit? Prostant exempla innumera; unum huc faciens subpeditabo.

ALBERTI huius tertii filii, post obitum patris ante divisam hæreditatem in communione viventes, in instrumento nunc prodeunte anno 1202 (*Cod. prob. N. XXIX.*) utebantur sigillo patris *pariter omnes*. Quid inde? An ideo instrumentum suspectum, aut non competebat illis ius sigilli proprii, quo BERTHOLDUS vivo patre iam usus erat an. 1194?

Qq) V. *Sigillum quoque falsum est, quia non RHOMBI in eo adparent, sed ARCUS.*

Resp. Viditne censor sigillum quodpiam ALBERTI III. cum *Rhombis*, aut *Arcu?* Quæ eidem videre contigit, filiorum sunt, a quorum sigillis ad paternum non semper tuto concluditur, præsertim, quod illo tempore non fuerint constanter & uniformiter servata, sciamusque, geminos fratres diversis scutis usos fuisse. (Kk.)

Exemplo sit hic ipse BERTHOLDUS, cuius insigne an. 1194 *Arcus* erat, quo relicto an. 1209 *Rhombos* assumsit. *Tab. II. n. 4. n. 5.*

Rationem vero huius mutationis quis divinaverit?.

Digitized by Google

Huiusmodi ſigna tunc arbitraria erant, ſtabatque pro ratione voluntas.

Aſſerebat nuperrime D. EINZINGER ab *Einzing*, LUDOVICUM I. *Bav.* Ducem poſt nuptias cum LUDMILLA horum Comitum matre contractas eisdem tamquam gubernatoribus *Bavariam inferiorem* (cuius nomen ante an. 1255 non occurrit) adminiſtrandam, & pro ſigillo officii ſui *Rhombos boicos* conceſſiſſe: cuius aſſerti, ſine teſte, ſine tabulis prolati falſitatem ſingulari ſchediaſmate confutavi, & iam prius invicte oſtendi, *Bogenſes* Comites, diu ante *Bavariæ* Duces hisce Rhombis uſos fuiſſe, qui demum poſt an. 1242 una cum univerſa eorum hæreditate ad eos pervenerunt, ad hunc usque diem in ſcuto *boico* conſpicui, in nullo antiquiore eorum ſigillo unquam viſi.

An ASCUINUS, iſtorum Comitum abavus, *Rhombis*, qui in marmore ſepulcrali *Tab. III.* eidem tribuuntur, iam uſus fuerit, affirmare non auſim, eoquod nullum eius ſigillum conſpexerim: neque tamen inficiari velim. Forte enim tempore abbatis IOANNIS *Vogelii*, qui iſtud marmor excidi fecit, reliquum adhuc erat eius aliquod ſcutum, ſculptum, pictumve, ſepulcro eiusdem in monte *Bogen* primo adpoſitum, ad cuius aut ſigillorum normam effigies iſta formata fuerit. Ex ſolo enim abbatis ingenio *Rhombos* iſtos, in ſigillis ſuperſtites, confictos fuiſſe, perſuaderi mihi non patior.

Rr) VI. *Arcus in ſigillo, tamquam figura loquens (armes parlantes) de anno* 1194 *aliquid oppido rarum foret.*

Reſp.

Reſp. Raritas, ſeu infrequentia, ſigillum prorſus illæſum non ideo *ſuſpectum* reddit. Vnicum hactenus in omni *Bavaria* atque vicinia, tot inter ſigilla, adparuit *equeſtre* iuvenis huius BERTHOLDI; neque tamen ideo a cenſore reprobatur. Rariſſimum ſit, an propterea falſum?

Vnicum pariter excuſum proſtat ſigillum OTTONIS Com. palat. de *Witelspach* cum *aquila*. Rarum & iſtud, nec tamen quispiam ei litem movit. Immo hæc ipſa *aquila* videtur quodammmodo *loquens* officium vexilliferi aquilæ imperialis, quo ille apud Imperatorem FRIDERICUM I. functus erat.

Calceus ille rubeis corrigiis ligatus (*Buntſchuch*) quem in expeditione *hieroſolymitana* pro vexillo adhibuit ECKEHARDUS Comes *Schyrenſis*, & poſteri, reiecto calceo, eiusdem ſolis corrigiis rubris (*Sparren*) usque ad an. 1242 uti conſueverunt, nonne & ipſe *ſcutum* quodammodo *loquens* erat? (*Nachtrag zum Witelspachiſchen Wappen p.* 33.)

Propitia fortuna obtigit mihi delineatio ſigilli huius ALBERTI III. ex inſtrumento filiorum hæredum de an. 1202 pendentis (*Tab. II. n.* 1.) de quo tamen dolendum, ſcutum pectorale adeo obſoletum, ut ſatis diſcerni nequeat, *Rhombine*, an *Arcus* ibi ſculpti fuerint? Si tamen cum illo BERTHOLDI filii (*Tab. II. n.* 4.) comparetur, ut ovum ovo ſimillimum eſt, & vix dubio locus, quin *Arcum* exhibere debeat. Si enim *Rhombos* contineret, iſti etiam in vexillo adparerent, uti in ſigillis filiorum (*Tab. II.*)

Sit igitur ſigillum *Bertholdinum* rarum, immo rariſſimum; quid inde? Sequitur hoc unum, non eſſe præcipitanda iudicia.

Digitized by Google

cia. Vt enim multa, quæ hactenus latuerant, posterior ætas detexit, & præproperas opiniones correxit; ita & sequens porro plura manifestabit, quemadmodum monent Duumviri clarissimi *Christian Heinr. ECKHARD introduct. in rem diplomaticam Præfation. p.* 5. *& D. Philipp. Wilhelm. GERCKEN, Anmerkungen über die Siegel zum Nuzen der Diplomatik*, in præfatione & passim, quo censor ablegari se patiatur.

Si igitur genuinum est istud diploma, utpote quod ALBERTO III. quoad omnes temporis, personarumque circumstantias congruit, inde iterum sequitur, Comitem nostrum diu ante an. 1196 ab exilio revocatum, & secunda vice cum Imperatore in *Apuliam* fuisse profectum.

Ss) Controversiam ALBERTI nostri cum WOLFERO Ep. *Patavienſi* de servis & ancillis Imperator an. 1196 *Moguntiæ* II. Non. Iunii ita diremit, ut ex æquo dividant. HANSIZ. I. *p.* 341. *n.* 7.

Ibidem an. 1197 die 31 Maii ALBERTUS testem agebat Imperatoris, teste manuscripto ab amico communicato.

Eodem anno denuo in orientem expeditio suscepta fuit; cruce signatis etiam ALBERTUM nostrum adiungit AVENTINUS *p.* 626. *n.* 10. Verum interveniente Imperatoris obitu, rebusque in *Palæstina* compositis, de quibus HANSIZ *loc. cit. p.* 343. *seqq.* & CALLES *Annal. Austriæ II. p.* 142. *seqq.* reversus noster cum prædicto WOLFERO Ep. *Patavienſi*, *Ortenburgicis* fratribus RAPOTONI & HENRICO bellum indixit, castella eorum expugnavit, teste AVENTINO *l c. n.* 14. quibus turbis statim subiungit ALBERTI mortem his verbis:

AL-

Digitized by Google

ALBERTUS a *Bogen* fato concedit, tres filios ſuperſtites reliquit LUITPOLDUM ſacerdotem, BERTHOLDUM, ALBERTUM.-

Tt) De eo ſcribit HERMANNUS abbas in *codice* ſæpe allegato: „Plures etiam idem Comes, ſicut in litteris querimonialibus abbatum invenitur, malicias exercuit, quæ melius reticentur. Attamen moriens anno dom. MCXCVIII. filiis ſuis Liupoldo clerico, PERTHOLDO & ALBERTO, quos genuerat ex LUDMILLA, reliquit comitatum plenum divitiis & honore.“ Eundem annum aſſignat in *Annalibus*, quibus etiam adſtipulatur AVENTINUS *p.* 658. *n.* 18. „Ex LAODEMIA Bohema uxore ſuſcepit tres filios LUITPOLDUM ſacerdotem, BERCHTOLDUM III. & ALBERTUM IIII. cum vixiſſet annos tres atque triginta.“ Scil. ab anno 1165. ad an. 1198.

At vero necrologium *Windbergenſe* vol. XIV. aliter numerat: „XIIII. Kal. Ian. an. dom. MCXCVII. ob. ALBERTUS Comes advocatus noſter. Iſte attulit nobis ſanctum SABINUM patronum noſtrum.“ De qua annorum diſcrepantia videantur dicta ſub BERTHOLDO II. (N. 38. K.)

Num. 44. LUDMILLA, VXOR ALBERTI III.

A) Celebratiſſima hæc matrona, vero nomine LODOMIA dicta, quo ſe ipſam compellat in diplomate ſuæ fundationis *Seligenthalenſis*, & quod pariter in eius ſigillo *Tab. II.* exprimitur, ALBERTO noſtro primum circa annum 1184, ſecundo autem LUDOVICO I. *Bavariæ* Duci nupta, ex *Boiohemia* originem traxit, uti ſcriptores *boici* omnes conveniunt, in eo diſcordes, quo patre genita ſit, aliquibus cum ARENPECKIO *Chron. boiar. col.* 257 WLADISLAUM REGEM, aliis cum

SUNT-

SUNTHEMIO *in familia Ducum Bavar. apud OEFELE II. p.* 513., quem ſequitur GANSERUS, OTTOCARUM primum, ſeu PRIMIZLAUM aſſignantibus, aut cum ANDREA *Ratisponenſi* eam e ducatu *Schweidnizenſi* repetentibus. Hodie autem exploratum eſt, & GANSERUS noſſe debuerat, filiam fuiſſe FRIDERICI ex Duce Regis *Bohemiæ*, & ELISABETHÆ *hungaricæ*.

Huc digitum intendit ALBERICUS *trium fontium in Chron.* ad an. 1238 apud LEIBNITIUM *acceſſion. hiſtor. Tom. II. p.* 568. „Hic OTTO (*illuſtris*) fuit de matre ALBERTI *Begnonarii* (Hoc eſt, Comitis de *Bogen* vidua) Regis *Hungariæ* nepte.“

B) Propius hoc ſchema illuſtrat *narratio Altahenſis de quorumdam Ducum Bavariæ genealogia*, apud eundem LEIBNITIUM *ſcriptor. Brunſvicenſ. Tom. II.* 21. „Hæc eſt origo OTTONIS Ducis ex matre. BELA (III.) Rex *Vngariæ* pater ANDREÆ Regis, patris ELISABETHÆ & BELÆ (IV.) Regis habuit duas ſorores, quarum unam (HELENAM) duxit LUIPOLDUS Dux *Auſtriæ*, & genuit ex ea FRIDERICUM & LIUPOLDUM, & iſte LIUPOLDUS genuit HENRICUM & FRIDERICUM, qui ambo ſine filiis deceſſerunt. Alteram (ELISABETHAM) duxit FRIDERICUS Dux *Boemiæ*, frater OTOCHARI Regis *Boemiæ*, & genuit ex ea LUDMILLAM, quam duxit ALBERTUS Comes de *Bogen*, & genuit ex ea tres filios: LIUPOLDUM clericum, & BERTHOLDUM, & ALBERTUM. Mortuo autem eo, dictam LUDMILLAM duxit LUDOVICUS Dux *Bavariæ*, & genuit ex ea OTTONEM inclitum palatinum Comitem *Rheni* & Ducem *Bavariæ*. Nota, quod

Digitized by Google

quod OTOKARO Rex *Bohemiæ* habuit tres fratres, ALBERTUM, qui ex *Ztrahowa* (Strahov) eligitur in Archiepiſcopum *Salzaburgenſem*, & HENRICUM Marchionem *Moraviæ* (potius *Suatopluckum*) & FRIDERICUM Ducem, patrem LUDMILLÆ Duciſſæ. "

Iuvat iſtam genealogiam in adiecta tabula H. cum ſuis probationibus exhibere, præſertim quod ſereniſſima domus PALATINO-BOICA, hodie feliciter regnans, ex regia iſta Principe originem trahat.

Probationes ad tabulam H.

a) GEYSA II. Rex HUNGARIÆ.

Huius hiſtoriam & fata texere, non eſt præſentis inſtituti, & legi facile poſſunt apud ſcriptores *Hungaros*, præſertim Cl. *Stephanum KATONA in hiſtoria critica Regum Hungariæ Tom. III.* Fuiſſe autem genitorem ſequentium liberorum, mox patebit.

b) EUPHROSINA, uxor GEYSÆ II. Regis.

Iſtud matronæ nomen, eamque MIROSLAI *Ruthenorum* Ducis filiam, GEYSÆ circa annum 1147 nuptam, pluribus comprobat citatus KATONA *p.* 560. cui etiam conſonant autores *de l'art de verifier les Dates p.* 490. de GEYSA II. loquentes: „ Il avait epouſé, ſuivant BONFINIUS, la fille de *Miroslaw* Duc de *Ruſſie*, dont il eut entr'autres Enfans - - ELISABETH femme de FREDERIC Duc de Boheme. "

c) STEPHANUS III. d) BELA III.)

De utroque hæc tradit Cl. *Georg.* BRAY in *Annal. Regum Hungariæ Tom. I. p.* 147. „ Aeſtate proxima an. 1161. pridie Kalend. Iunii, poſtquam (Geyſa II.) annos regnaſſet viginti, menſes tres, dies quindecim, exſtinctus, ac magna omnium comploratione *Albæ regiæ* ſepultus eſt, pater plurium liberorum: ex quibus BELA & STEPHANUS regno paterno deinceps potiti.“ Subſcribit pariter KATONA *loc. cit. p.* 742. *ſeq. & Carolus Franc.* PALMA *Notitia rerum hungaricarum Tom. I. p.* 503. *edit. tertiæ.*

e) HELENA.

Iſtam præter ſcriptores *Hungaros*, iam allegatos, novimus ex ORTILONIS *notis poſterioribus* apud HANTHALER in *faſtis campililienſibus Tom. I. in appendice* ad an. 1195. „ Reliquit LEOPOLDUS ſextus, dictus *virtuoſus*, duos filios, FRIDERICUM & LUIPOLDUM ſeptimum, præter filiam AGNETEM, ex coniuge ſua HELENA, GEIZÆ ſecundi Regis *Hungariæ* filia, cum qua nuptias celebraverat anno MCLXXIII. FRIDERICUS primogenitus natus anno ſequenti VII. Kalend. Ianuarii . . . LUIPOLDUS natus Idibus Octobris an. MCLXXVI. biennio minor.“

Obitum huius matronæ chronicon *Auſtrale* & *Neoburgenſe* ponunt ad an. 1199. „ *Helena Duciſſa Auſtriæ obiit.*“

Necrologium *Clauſtro - Neoburgenſe* addit: „ *VIII. Kalend. Ianuar. Helena Duciſſa Auſtriæ.*“

f) ELISA-

Digitized by Google

f) ELISABETHA.

Chronographus *Zazavienſis* ad an. 1157 apud Cl. DOBNER *Monum. Hiſtor. Bohem. Tom. I. p. 47. not. U.*) refert, DANIELEM Epiſcopum Pragenſem cum FRIDERICO abbate *Paſtiolopontenſi*, aliisque proceribus, profectos ad *Hungariam*, ut WLADISLAI filio FRIDERICO ſponſam Regis *Hungariæ* filiam deducerent.

Nomen ipſa prodit diplomati mariti ſui FRIDERICI de anno 1183 prima teſtis ſubſcribens apud DOBNERUM *Mon. Tom. IV. p.* 248. ELISABETH *Duciſſa.* In diplomate HENRICI Epiſcopi *Pragenſis* de an. 1186 *loc. cit. p.* 249. Eccleſiam quoque - - a Duce FRIDERICO & uxore Duciſſa ELISABETH conſtructam &c. "

Apud Cl. KATONA *loc. cit. p.* 560. ex SCHIERIO de *Reginis Hungariæ* legitur excerptum: *Ego* ELISABETH, Ducis Bohemie FRIDERICI uxor, ſequens *veſtigia EVROSINE matris mee.*

Chronographus *Siloenſis* ad an. 1174 apud Cl. DOBNER *Tom. I. p.* 83. de WLATISLAO II. Rege Bohemiæ agens ſcribit: „ Ipſe transtulit ſe licet infirmum in predium uxoris ſuæ (*ſecundæ*) quod habebat in Teutonia valde bonum, nomine *Mer*, ubi cum ea & cum Domina coniuge FRIDERICI ELISABETHA conſiſtens miſericordiæ Dei exſpectavit eventum. "

Annum, diemque obitus matronæ iſtius notat necrologium *Seligenthalenſe* MS. „IIII. Kal. Octob. Frau Frau *Eliſabeth* ein Königin in Behoeim. 1203. "

Digitized by Google

g) HULICHA, ſeu HAILCA.

Id nomen ſorori ELISABETHÆ ſcriptores *Hungari* citati imponunt. De utraque chronographus *Siloenſis* ad an. 1170 apud DOBNER *Tom. I. p* 81. „SWATOPLUC, filius Regis WLADISLAI, frater FRIDERICI zelo ductus &c. - unde pater eius graviter indignatus, quem capere non potuit, patria pepulit & usque in *Hungariam* fugavit; inde namque ambo Germani, FRIDERICUS ſcilicet, & SWATOPLUC duas ſorores, filias Regis *Hungariæ* duxerant, unde & illuc potius, quam alio, fugit, qui recuperata terra, nec non & gratia patris, in Teutonia poſtea peregre mortuus eſt.“ De eodem, ſubpreſſo tamen nomine, ſcribit VINCENTIUS canonicus *Pragenſis* in Chronico apud DOBNERUM *loc. cit. p.* 73. „Anno dom. incarn. MCLXIV. Vngari filium Regis DARIÆ (*Geiſæ*) parvulum ſibi Regem conſtituunt, & Regem *Bohemiæ* WLATISLAUM rogant, ut eis veniat auxilio, quod eis Rex promittit fideliter, & ad maiorem inter ſe confirmandam concordiam, alteram filiam Reginæ filio ſuo SUATOPLUC ſumit in coniugem, & plurimis ſuis inter ſe datis muneribus ad propria redeunt.“

Aliis non nihil verbis ſingula repetit PULKAWA in *Chron. Bohem.* ad eundem annum apud DOBNERUM *Tom. III. p.* 186. niſi quod Regem, ſponſæ patrem, DEUTHAM, ſponſam vero ODALAM adpellet.

Ex iſtis autem VINCENTII verbis pronum eſt colligere, ELISABETHAM, citius FRIDERICO iunctam, ſeniorem fuiſſe.

Eandem HULICHAM LUDOVICUS I. Bav. Dux *cognatam* ſuam adpellat in *Mon. Vnderſtorf.* P. II. M. B. XIV, *p.* 141.

Digitized by Google

141. „Annuente & petente *cognata* ſua HAILCA quondam Duciſſa *Bohemiæ* “ Cuius *cognationis*, verius *affinitatis* ratio ex hac ipſa tabula patet, cum iſta HAILCA uxoris ſuæ LUDMILLÆ matertera fuerit.

Vna cum exule ſuo marito in *Bavaria* defuncta fuiſſe videtur, cuius memoria legitur in necrologio *Vnderſtorfenſi p.* 169. „Idus Auguſti HÆLICA Duciſſa poemie.“

h) WLADISLAUS II. *Rex Bohemiæ.*

Quæ huius perſonam, & geſta ſpectant, huc proprie non pertinent, in hiſtoria *Bohemiæ* relegenda, quamvis non nullæ in iſtis etiam probationes occurrant: de uxore & liberis ſolum heic agitur. Singulare quidpiam de eodem commemorat necrologium *Windbergenſe* M. B. XIV. 91. „XV. Kal. Febr. WLATIZLAUS Dux *Boemie.* Iſte propria expenſa deſtinavit ad nos Epiſcopum *Moravie*, qui & dedicavit Monaſterium noſtrum.“ Vid. ibidem *p.* 16. *ſeq.* Eundem obitus diem & annum 1167 notavit PULKAWA in *Chronico Bohem.* apud DOBNERUM *Tom. III. p.* 190.

i) GERTRUDIS *prima uxor* WLADISLAI Regis.

Excerptum *Richardinum* de poſteris S. LEOPOLDI Marchionis *Auſtriæ* apud HANTHALER in *faſtis Campililienſibus Tom. I. p.* 1311. „GERTRUDIS naſcitur VII. Kal. Martii an. MCXIX. nupta WLADISLAO Duci Boemiæ, deinde Regi an. MCXL.

De

De illius obitu ſequentia refert VINCENTIUS in *Chron. Bohem.* apud DOBNERUM *Tom. I.* 41. „Eodem anno (1151) domina GERTRUDIS Duciſſa ipſam ſuam regalem genealogiam morum honeſtate exſuperans II. Non. Auguſti viam univerſæ carnis ingreditur, & in eodem montis *Syon* (Strahov) Monaſterio, ſicut optaverat, ſepelitur.“

Necrologium *Windbergenſe p.* 102. ponit diem ſequentem „Nonis Auguſti GERDRUDIS Duciſſa *boemie.*“

De liberis ex hoc thoro procreatis paullo poſt redibit ſermo.

k) IUDITH, ſeu CÆCILIA, *ſecunda uxor* WLADISLAI Regis.

VINCENTIUS *Pragenſis* canonicus lit. i) allegatus hunc in modum pergit: „Anno MCLIII. predictus Dux WLADISLAUS conſilio Epiſcopi ſui DANIELIS & aliorum terræ ſuæ Principum, dominam IUDITHAM, ſpecie & decore quaſi humanas formas ſuperantem, ſororem domini LUDOVICI (quarti) de *Thuringia* Landgravii nobiliſſimam & honeſtiſſimam, literis & latino eloquio, quod maxime nobilium domicellarum exornat decorem, ſibi iungit matrimonio.“

Autor hiſtoriæ *de Landgrafiis Thuringiæ* apud PISTORIUM STRUVII *Script. rer. germ. Tom. I. p.* 1313 eam adpellat *Caeciliam.* „Item LUDOVICUS (III.) genuit filiam CÆCILIAM, quæ duxit Ducem *Bohemiæ.*“

Igitur aut binominis fuit, aut *Bohemi*, quod ipſis frequens erat, *Cæciliæ* nomen in illud IUDITHÆ commutarunt. Huius genealogicum ſchema exhibet *tabula ſpecialis ſignata I.* N. 44. k.)

1) FRI-

Digitized by Google

l) FRIDERICUS WLADISLAI *ex* GERTRUDE *filius primogenitus.*

VINCENTIUS PRAGENSIS citatus p. 41. ad an. 1151 ſcribit: „Dux autem WLADISLAUS, ſicut divinæ diſpoſitioni placuit, ſua orbatus coniuge (*Gertrude*) filium ſuum ADALBERTUM in monte *Syon* (*Strahov*) filiam ſuam AGNETEM in *Doxſam* ſacris litteris & ſanctæ converſationi erudiendam tribuit. Seniores autem filios FRIDERICUM & SWATOPLUK militiæ & patrio ducatui deputat; qui utique, domino id diſponente, unusquisque in ſuo ordine de die in diem melius & melius proficere coeperunt.

Reliqua eorum geſta huius fori non ſunt.

Chronographus *Siloenſis* apud ſæpe laudatum DOBNERUM I. 12. „Anno incarn. dom. MCLXXXIX. mortuus eſt FRIDERICUS VIII. Kal. April. (cui conſonat necrologium *Windbergenſe*) & Pragæ apud S. VITUM ſepultus.

m) SWATOPLUK.

Cum FRIDERICI germanus dicatur g) eandem GERTRUDEM matrem ſalutaverit neceſſe eſt, quod etiam facile colligitur ex mox dictis l).

n) ADALBERUS Archiep. *Salzburgenſis.*

Iisdem parentibus genitum, ex nunc dictis patet. Cum iſto Archipræſule, *conſanguineo* ſuo, contractum quemdam circa prædium *Gurkfeld* in *Carniola* ſitum inierant ALBERTUS III. Comes de *Bogen*, & eius filii tres, de quo mentio facta

fuit

Digitized by Google

fuit ſuis locis, & inſtrumenta hactenus inedita proſtant in *Codice probationum* N. XXVI. & N. XXIX.) Reliqua eius acta apud HANSIZIUM *Germ. ſacræ Tom. II.* legere eſt.

o) AGNES.

Dictum de ea fuit ſub lit. l).

p) PRIMIZLAUS, ſeu OTTOCARUS I.

Ex altero WLADISLAI cum IUDITHA thoro hunc prodiiſſe, inde coniicio, quod apud VINCENTIUM l) inter reliquas prioris coniugii proles, nulla eius fiat mentio. Firmatur hæc coniectura inde maxime, quod LUDOVICUS & HERMANNUS, Landgravii *Thuringiæ*, ex LUDOVICO IV. IUDITHÆ germano fratre geniti, *conſobrini* dicantur OTHOCARI primi ab autore *hiſtoriæ de Landgraviis Thuringiæ cap.* 27.) apud PISTORIUM *p.* 1318. (vid. k.) „FRIDERICO Imperatore mortuo, filius eius HENRICUS ſucceſſit in imperio, qui expulit de *Bohemia* OTTOKARUM Ducem *Boemiæ*, *conſobrinum* LUDOVICI & HERMANNI Landgraviorum. „Dubium omne, ſiquod ſupereſſet, tollit PULKAWA in *Chron. Bohem.* apud DOBNERUM *Tom. III.* 191. „Ex eadem IUDITHA duos genuit filios PRZMYSL & WLADISLAUM Rex ſecundus inclitus WLADISLAUS." Vide *tabulam genealogicam Iudithæ* ad lit. k.)

q) RICHEZA, PRIMIZLAI germana ſoror.

Ob VINCENTII *Pragenſis* l) ſilentium hanc quoque WLADISLAI ex IUDITHA filiam cenſeo, & quia ſecus neptis cum nepote matrimonio iuncta fuiſſet, quod quidem, ut eo tempore inter Principes non inſolitum, ita tamen ſine ratione non facile adſtruendum.

Conſtat

Digitized by Google

Conſtat autem ex Scriptoribus *Auſtriacis*, HENRICUM Ducem in *Medling*, HENRICI *Iaſomirgotti*, GERTRUDIS Germani, filium, iſtam RICHEZAM duxiſſe uxorem.

ARENPECKIUS in *Chron. Auſtr.* apud Hieron. PEZIUM *Tom. I.* 1205. *ſeq.* „HENRICUS de *Medling* ſenior venerabilis, animoſus Princeps HENRICI dicti *Iachſomergott*, primi Ducis *Auſtriæ* ſecundus filius, LEOPOLDI *virtuoſi* frater, habitavit in caſtro *Medling*. - - Huic uxor erat REYTZA filia Regis *Bohemiæ*, ex qua genuit HENRICUM de *Medling* iuniorem.“

Chronicon *Zwetlenſe* ad an. 1177. „HENRICUS Dux *Auſtriæ* - obiit, cui LEOPOLDUS filius eius maior ſucceſſit: HENRICUS frater ipſius filiam WAZLAI Regis Boemorum duxit uxorem.“

Annus, diesque obitus huius matronæ latent: ſepulta tamen legitur in Monaſterio S. CRUCIS apud ARENPECKIUM *loc. cit.* „Dux ſenior HENRICUS migravit ab hoc ſeculo an. 1233, & domina REITZA coniux eius uno in tumulo in capitulo S. Crucis ſunt ſepulti.“

r) LUDMILLA.

Sæpe mirabar, nullam apud Scriptores *Bohemos*, quos quidem conſulere licuit, usque ad noviſſimum Cl. DOBNERUM, Annalium *Hageciauorum* interpretem & emendatorem, qui P. VI. *p.* 585 & 604. ex anonymo *Altahenſi* B.) leviter eam attingit, inveniri mentionem, cum tamen WENCESLAUS IV. *Bohemiæ* Rex in litteris conventionis datis in campis apud *Egram* an. dom. 1291. VIII. Idus Octobris, apud OEFELIUM II. 116. a.

Digitized by Google

fateatur, ſe cum kariſſimo fratre ſuo domino LUDOVICO (*ſevero*) illuſtri Comite palatino *Rheni* Duce *Bavariæ* duplici *conſanguinitatis* & *affinitatis* vinculo coniunctum eſſe, atque etiam OTTOKARUS III. WENCESLAI huius pater HENRICUM, LUDOVICI germanum, *conſanguineum* ſuum ſalutaverit (M. B. XI. 249.) Datum apud *Pizkam* exiſtente ibidem nobiscum kariſſimo *conſanguineo* noſtro domino HENRICO illuſtri palatino Comite Reni Duce Bavarie an. d. 1270. III. Id. Octob. "

Qui quidem ſanguinis nexus nonniſi per LUDMILLAM aviam a WLADISLAO IV. Rege *Bohemiæ* derivari valet, ut videre eſt in hac tabula h. r. t. u. x.)

Affinitas inde orta eſt, quod WENCESLAUS, & LUDOVICUS duas ſorores, RUDOLFI I. Imp. filias, prior IUDITHAM, alter MALTHILDEN connubio ſibi copulaverint.

Quo anno primas cum ALBERTO III. Comite de *Bogen* nuptias contraxerit, nuſpiam adnotatum inveni: crediderim id contigiſſe circa an. 1184, quo ſponſus an. 1165 natus, ætatem 18 annorum adtigerat.

Hisce nuptiis Comes noſter commodam cum OTTOCARO I. *Bohemiæ* Rege, coniugis ſuæ patruo, affinitatem contraxit, quam probe perſpectam habebat AVENTINUS *Annal. lib. VII. cap.* 2. §. 7. „ ALBERTUS curator templi (*Nideralteich*) cui nupta erat LAODEMIA *Boiema*, OTTOCARUM *Boiemiæ* Regulum, cui affinitate & confiniis proximus erat, ſocium ſibi aſciſcit &c. "

Primo

Primo hoc marito per obitum anno 1198 orbata, LUDMILLA vidua iuvenis, aliquot annis in ſoro ſuo *Bogen* morata, oculos LUDOVICI I. *Bavariæ* Ducis, quem auxilio OTTOCARI affinis ſui bello ſuperaverat ALBERTUS, in ſe adtraxit.

Quo autem lepido aſtu hunc Principem, pulcritudine eius aliisque dotibus captum, ab illicitis amplexibus ad nuptiales tædas induxerit, hunc in modum enarrat ARENPECKIUS in *Chron. Boiar.* apud *Bern.* PEZIUM *theſaur. T. III. P III. col.* 257. „ Ea tempeſtate (anno 1203) illuſtriſſima domina LUDMILLA, Comitiſſa in *Pogen* filia W. Regis Bohemiæ, ſed ſecundum fratrem ANDREAM de S. MAGNO *Ratisponenſi*, nata de ducatu *Schweidniz*, ſubtili aſtutia ſua LUDOVICUM Ducem, ut eam matrimonialiter duceret, cum tali facetia induxit: defuncto ſiquidem eius primo marito ALBERTO illuſtri Comite de *Pogen*, cum eſſet pulcra nimis, timens Deum, & moribus, ut aſſolet, clariſſima, dictus Dux ſepius eam viſitavit. Demum apud eam pro illicito amore dulcibus verbis, ut moris eſt, vehementer ſollicitavit, quod ipſa caute ac provide recuſavit. Attamen eidem certum diem, quo ad thalamum ſuum veniret, præfixit. Interim ipſa arte pictoria in velo ante lectum eius pendente, quo dormire ſolebat, tres milites depingi perpulcre fecit, & ipſo die præfixo alios tres vivos familiares ſuos milites ſub eodem velo abſcondit. Ingreſſus igitur Princeps putans eam ibi fore ſolam, more ſuo de illicito concubio inſtitit. Quæ ait: Si de præſenti ducitis me uxorem, data bona fide ſub teſtimonio iſtorum trium militum, faciam, quæ cupitis. Quod ille illico, parvipendens tres depictos milites, promiſit. At illa velum deponens, inquit: Sitis itaque vos ſtrenui milites teſtes huius rei, cui reſponderunt milites: Bene domina gratioſa audivimus. His auditis Dux perplexus cameram concito exivit,

ivit, nec in anno integro ad eam revertitur. Nimirum finito anno nuptias magnifice celebravit (anno 1204) & eam solemniter in facie ecclesiæ christiano more in uxorem duxit. „Idem factum rythmice expressum legere potest, cui lubet, *M. B. XII. p.* 92.

Sub idem tempus (circa an. 1204) ut AVENTINUS supra allegatus §. 23. ait, LUDOVICUS *Boiorum* Regulus LAODEMIAM fœminam cordatam atque pulcram in *Boiemia* ortam, duxit - - OTTOCARUS Boiemus hac affinitate delinitus &c. "

Primus, & quod sciam, unicus huius coniugii fructus erat OTTO *illustris Bavariæ* Dux, fator sereniſſimæ domus *Boico-Palatinæ* ad hanc diem felicissime, utinam æternum, regnantis.

Verum & isto marito, impia Sicarii manu an. 1231 peremto, orbata Princeps nostra, bis vidua, exequiis apud *Schyram* magnifice celebratis, & ipsa constanter adfuit, uti legere est *M. B. X.* 431. Viam universe carnis ingresso LUDOVICO Noricorum Duce, & apud nos sepulto presente reverendo Archiepiscopo EBERHARDO *Salzburgensi*, cum duōbus suffraganeis suis Episcopis videlicet *Chimsense* & *Sekovience*, nec non etiam Episcopis *Augusti.* S. & *Frisingensi* C. cum his, inquam, præsentibus post humationem tanti Principis, OTTO filius eius tradidit . . . . Testes sunt EBERHARDUS Archiep. *Salz.* cum Episcopis supra dictis. LAODOMIA Ducissa. AGNES Ducissa. "

Expleto luctu funebri piissima vidua sequente mox anno 1232 de patrimonialibus suis bonis in parochia *Chamba* ante silvam *Bohemicam* sitis construere & dotare cepit in suburbio

Landis-

Landishutano cœnobium ſanctimonialium Ciſtercienſis reformationis *Sälden* - & *Seligenthal* dictum, colonia e *Trebnicenſi* Parthenone, in hodierna *Sileſia* ſub principatu *Oelſenſi* adhuc florente, petita, ubi eo tempore S. HEDWIGIS, Comes *Andechſia*, HENRICI I. *barbati Sileſiæ* Ducis vidua, ſanctis operibus vacabat, eidemque AGNETEM, Comitem a *Preyſing* in *Grunbach* primam Abbatiſſam præfecit. Vid. HUNDIUS GEWOLDI in *Metropoli III.* 230. *nov. Edit.* & *Mon. Boic. XV.* quibus concordant HERMANNUS abbas *Altahenſ.* & STAINDELIUS in *Annal.* apud OEFELE ad annum citatum.

Cœnobio necdum conſummato, a filio & nepotibus perficiendo, ad meliorem vitam transiit anno 1240 ſuperſtite filio ALBERTO IV. & OTTONE Duce Bavariæ, ex utroque marito ſuſceptis.

Teſtatur id necrologium huius Parthenonis: „Non. Aug. an. dom. M. CC. XL. Dna LUDEMIA Duciſſa fundatrix noſtra.“ Et necrologium *Windbergenſe* M. B. XIV. 102. „Non. Aug. LUDMILLA Duciſſa Bavarie.“ Compilatio chronologica apud OEFELIUM II. 337. „An. MCCXL. obiit Domina LUDMILLA filia Regis *Bohemiæ* & Duciſſa *Bavariæ* fundatrix *vallis felicis*, ſepulta ibidem.“

s) ANONYMA SOROR LUDMILLÆ.

De iſta FRIDERICI *Bohemiæ* Regis filia, eiusque nuptiis cum nepote MANUELIS *Comneni* Imp. CP. ſequentia ſcribit VINCENTIUS *Pragenſis* in Chronico l.) allegato *p.* 76. ad an. 1164. „Imperator (CP.) ampliorem amicitiam inter ſe & Regem *Boemiæ* confirmare volens, neptem eius, filiam domini

FRIDE-

FRIDERICI, nepoti ſuo in matrimonium quærit, quam Rex ex conſilio ſuorum ei ſe daturum promittit. - - Anno 1165 Rex WLADISLAUS neptem ſuam, filiam domini FRIDERICI filii ſui maximo Græcorum Imperatoris rogatu per Comitem *Sezimom*, dominæ noſtræ Reginæ ſummum camerarium . . . Nepoti eius in coniugem transmittit, qui expletis feliciter nuptiis, pluribus pretioſis donatus muneribus, incolumis gratia Dei ad propria revertitur &c. "

De hac deſponſatione plura legi poſſunt apud Cl. DOBNERUM *Annal. Hagecianorum P. VI. p.* 438. *ſeqq.* ubi etiam a BALBINO tab. V. *Przemyslaæ* ſtirpis ſponſæ Bohemicæ HELENÆ, ſponſo autem MANUELIS nepoti PETRI nomen, incertum, quo fonte, imponitur.

His igitur nuptiis ſororis ſuæ LUDMILLA noſtra ſplendidam cum aula cæſarea CP. affinitatem contraxit.

Etiſi quidem de Principe hac noſtra, eiusque nobiliſſima genealogia, quam ſcriptores *Bohemi* hactenus ſatis ieiune pertractarunt, dicta ſufficiant. Nunc ad filios eius primi thori, qui proprie huc pertinent, tranſitum facio.

Num. 45 ALBERTUS IV.

A) ALBERTUM tertium ex regia Principe LUDMILLA coniuge ſua tres reliquiſſe ſuperſtites filios, clarum eſt ex N. 42. Mm.) „ Qui, ut ſcribit HERMANNUS abbas (*in Cod. prob. N. II.*) cum inter ſe primum & poſtea cum aliis vicinis ſuis Epiſcopis & Comitibus diſcordarent, in tantam rabiem & malitiam excreverunt, ut provinciam comitatus ſui inhabitabilem

facerent

facerent fere totam, & domnus POPPO abbas noſter cum monachis & familia propter defectum, locum quaſi deſolatum relinquere, & predia eccleſie meliora obligare vel vendere cogeretur.“

B) Easdem moleſtias, rerumque iacturam perpeſſi quoque Monachi *Oberaltacenſes*, apoſtolicam ſedem, cui tunc præerat INNOCENTIUS III. querelis ſuis fatigarunt, unde ad Epiſcopum, præpoſitum *Ratisbonenſes*, & abbatem de *Pruel* reſcripta venerunt dehortatoria & comminatoria huius tenoris: „Dilecti filii abbas & conventus S. PETRI in *Altach* ſua nobis conqueſtione monſtrarunt, quod nobiles viri BERCHTOLDUS & ADALBERTUS, filii quondam ALBERTI Comitis de *Pogen Rat.* dioc. occaſione advocaciæ, quam in eorum eccleſia ſibi vendicant, defenſionem, quam ex illo ſibi deberent officio, in perſecutionem durillimam pervertentes ipſi & miniſteriales ſui eiusdem dioceſis homines eiusdem eccleſiæ usque adeo gravibus moleſtiis inquietant, ut rebus propriis denudati ad aliorum ſe transferre dominia compellantur. Poſſeſſiones quoque, quas prædicta conceſſione Pontificum, liberalitate Principum & aliorum donacione fidelium eſt adepta, dicti nobiles & alii ad eam inopiam redegerunt, ut fratribus in eadem eccleſia memorata degentibus vix poſſit ex eis procurari victus tenuis & veſtitus, ac in multis aliis iidem nobiles & alii exiſtentes ipſi eccleſiæ iniurioſi pariter & moleſti, perſonas altaris obſequio deputatas vulnerare interdum & ſpoliare propriis rebus non formident &c.“ An. 1207. (*Cod. prob. N. XXXI.*)

C) Primo poſt obitum patris quadriennio videntur iſti tres germani comitatum & prædia ſua indiviſa in communione ſub matris tutela pacifice gubernaſſe, quod colligo ex inſtrumento

to *anecdoto* (*Cod. prob. N. XXIX.*) „ Nos ALBERTUS, BERCHTOLDUS, LUPOLDUS, fratres & Comites de *Bogen.* Notum facimus - - quod cum pater noſter Comes ALBERTUS de *Pogen* inſtante ſibi neceſſitate, *Gurkvelde* caſtrum & poſſeſſiones eidem adtinentes dno & conſanguineo noſtro ALBERTO venerabili *Salzburg.* eccleſie archiepo pro 800 marcis argenti *Friſacenſis* ponderis obligaſſet loco pignoris - - ſed quia idem dus & conſanguineus noſter ob dilectionem patris noſtri, & matris noſtre peticionem, quæ ſibi *conſanguinitatis* linea attinebat (erat quippe hic Archiepiſcopus, *patruus* LUDMILLÆ) ſolucioni aliquamdiu ſuperſedit - - cum autem idem dns noſter ALBERTUS *Salzburg.* AEp. & pater noſter Comes ALBERTUS pecunia non ſoluta deceſſiſſent, & dus EBERHARDUS *Brixinenſis* Epc. ſucceſſiſſet, nos quoque paternam hæreditatem intraſſemus - - ad hanc compoſitionis formam de noſtrorum fidelium & aliorum prudentum conſilio convenimus cum eodem AEpc. EBERHARDO, - - quod ſepe dictum caſtrum *Gurkvelde* - - omni iure quo poſſedimus a progenitoribus noſtris in proprietatem tradidimus eccleſie *Salzburgenſi*, ab ea in feudo poſtmodum recipientes - - Acta ſunt hec apud *ſolium in Eccleſia Ste Marie* anno MCCII. In argumentum itaque & memoriam huius facti preſens privilegium conſcribi & ſigillo patris noſtri, quo tunc temporis omnes pariter utebamur, iuſſimus roborari. “

D) Ex iſto documento ulterius colligo, ALBERTUM primo loco heic poſitum, etiam primogenitum, hocque nomen ob patris ſui & proavunculi ADALBERTI, AE. *Salzburgenſis*, qui avi materni germanus erat, memoriam ac venerationem fortitum fuiſſe; etiamſi alias plerumque LUIPOLDUS primo & ALBERTUS poſtremo loco memoretur: N. 4a. Mm.) Ille forte propter clericatus honorem,

norem, quo iam an. 1201 inſignitus erat, ut ſuo loco dicetur. Vtique autem ipſi fratres ordinem inter ſe melius, quam exteri perſpectum habuerint. Quæ igitur ad iſtum ALBERTUM ſingulariter pertinent, nunc proſequar.

E) Poſtquam mater LUDMILLA anno 1204 ad alteras nuptias cum LUDOVICO Duce *Bavariæ* transierat, videtur ceſſaſſe bonorum communio inter fratres *Bogenſes*, prius de familia herciſcunda litigantes, & totam hæreditatis paternæ maſſam in tres partes fuiſſe diviſam, triente cuilibet pro numero fratrum per ſortem attributo. Sumo iſtud ex inſtrumento ALBERTI, qui huiusmodi diſtributionis meminit (*Cod. prob. N. XXX.*) „ Aguoſcat - - quod ego ALBERTUS Comes de *Bogen* cum quodam tempore rerum kariſtia in provincia noſtra nimis invaluiſſet, domnum POPPONEM abbatem, qui tunc *Altachenſi* (*inferiori*) Monaſterio præeſſe videbatur, in frumento tantum & vino tum mutuo acceptis, tum violenter illi abbati amplius ducentis libris damnificavi. Poſthac frequentes illius querelas non paſſus, quibus onerare & prodere me domino meo Regi & Duci non deſivit, rerum ſuarum dampna conſultis mee familie honeſtioribus digno reſtaurationis impendio compenſare diſpoſui, & preſentibus mediantibusque terre Baronibus ante placitum, quod habiturus erat Dux LODEWICUS in *Strubingen*, tres curtes de patrimoniis meis *que in ſortem mihi prevenerant, quando poſſeſſionum noſtrarum facta eſt diviſio inter me & fratres meos* - - Acta ſunt hec an. MCC. VII. Indictione X. concurrentibus VII. exiſtentibus.“

Harum *concurrentium* nec HUNDIUS, nec editor iſtius voluminis ſenſum perſpexerat; qui tamen ſat clarus eſt legenti *l'art de verifier les dates p. XXVI. §. XVII.* quod heic in tranſitu obſervare, & lectorem eo remittere volui.

F) HUNDIUS in *Metrop. III.* 488. primæ, & 338. ſecundæ *Edit.* ad hunc an. 1207 ſequentia obſervat. „ Caſtrum *Windeuperch* pertinuit aliquando ad Duces *Meraniæ*. OTTO Dux vendidit MANEGOLDO Epiſcopo *Patavienſi*, una cum quodam comitatu a *Regii* fluminis ponte usque ad *Illcenſem* fluviolum - - pro 1800 marcis, quod confirmat PHILIPPUS Rom. Rex an. 1207 orta deinde diſſenſione inter Epiſcopum *Patavienſem* & ALBERTUM Com. a *Pogen* ultea partibus ob comitiam *Windebergen* &c. - - de quo recurret ſermo infra ad an. 1228.

Idem in *ſtemmatographia I.* 31. latine redditus ait: „OTTO Dux *Meraniæ* ad *Atheſin*, vendidit Epiſcopo MANEGOLDO *Patavienſi*, cognato ſuo, cum quo illi & aliis bene convenerat, caſtrum *Windenberg*, & comitatum, qui a ponte *Regen* prope *Ratisponam* usque ad fluvium *Ilz* protenditur pro 1800 marcis argenti, ſub confirmatione PHILIPPI Regis an. 1207. "

G) Quodnam iſtud ſit caſtrum *Windbergenſe*, & quis comitatus ab OTTONE Duce *Meraniæ* venditus, nemo hactenus, quod ſciam, de induſtria inquiſivit. Quoniam vero ad geſta ALBERTI, de quo nunc ago, aliquantulum pertinet, operæ pretium reor, eius ſitum nunc inveſtigare. Prius autem prætermittendum cenſeo privilegium PHILIPPI Regis de an. 1207 apud HUNDIUM GEWOLDI & HANSIZIUM I. 351.

„ PHILIPPUS - - Ad notitiam - qualiter conſtitutis in preſentia noſtra dilecto fideli noſtro MANEGOLDO *Patavienſi* Epiſcopo, & OTTONE Duce *Meraniæ* ipſe Dux pro feudo F. *riderici* de *Bileſtein*, Eccleſiæ *Patavienſi* tunc vacante, & pro quadam ſumma pecuniæ, videlicet mille octingentis marcis, caſtrum *Windeberde* (non *Windberg*) cum miniſterialibus omni-

omnibus, cum omnibus quoque poſſeſſionibus - - & demum cum univerſis pertinentiis ſuis Eccleſiæ *Patavienſi* per manus noſtras in perpetuam proprietatem contradidit.“ Hæc de caſtro *Windeberde*, perperam cum *Windbergenſi* comitatu confuſo. Pergit PHILIPPI diploma:

„ Comitatum etiam quemdam, qui durat a ponte, qui *Regenbrugge* (non *Regensburg*) dicitur, usque ad fluvium, qui *Ildſe* nuncupatur & a fluvio *Danubii* usque ad terminum *Boemiæ*, quem memoratus Dux poteſtate & iure tenebat imperii, in manus noſtras reſignavit, & nos eundem comitatum nobis libere reſignatum ſtatim *Patavienſi* perpetuo libere & abſolute poſſidendum contulimus - - Teſtes - - Acta ſunt hæc an. dom. MCCVII. - - “.

H) De comitatu & caſtro *Windbergenſi* ſermo heic eſſe omnino nequit, utpote quod eius loci dominus ALBERTUS I. primum de hoc loco, deinceps a *Bogen* dictus, anno 1142 in cœnobium *Præmonſtratenſe* commutaverat N. 30. E.) & ubi Comitibus *Andecenſibus* ius aliquod nunquam competierat, quorum & in hac vicinia nec veſtigium, nec nomen ullibi deprehendere eſt.

I) HUNDIUS in *ſtemmatographia I.* 126. ex AVENTINO memorat, VDALRICUM de *Windtperg* inter Comites *Formbacenſes*, uxorem MATHILDEN, & filium CONRADUM, ceu fundatores Monaſterii *Varmbacenſis*; fatetur autem ſe ignorare, quale iſtud ſit *Windberg*.

Angelus RUMPLERUS abbas *Formbacenſis* in hiſtoria fundationis ſui Monaſterii apud *Bern.* PEZIUM *theſauri anecdotor.*

Tom. I. P. III. p. 482. inter fundatores ſeu benefactores ſui Monaſterii etiam numerat WOLFGANGUM - HERMANNUM Comites de *Windberg*.

In monumentis eiusdem cœnobii M. B. vol. IV, *p.* 13. circ. an. 1096. „ Bone memorie dominus OUDALRICUS de *Windeperge* frater domini HERMANNI *p.* 21. " Felicis memorie Comes CHONRADUS de *Ratilinberge* dedit Eccleſie *Formbacenſi* per manum patrui ſui Comitis HERMANNI de *Windeberge* - Sed quia idem dominus HERMANNUS morte preventus per ſe hanc traditionem efficere non potuit, coniux eius venerabilis Comitiſſa HEDWIG cum filio ſuo HERIMANNO - - tradidit etiam partem Eccleſie S. MARTINI cum poſſeſſionibus, quas in eodem loco predicti Comites VLRICUS, HERMANNUS, CONRADUS habuerunt circ. an. 1122."

Item p. 23. circ. an. 1130. „Domina HADEWIC Comitiſſa de *Windeberge*. "

K) Igitur in confiniis *Formbacenſibus*, circa *Oenum*, caſtrum iſtud *Windberg*, verius *Windeberde*, inveſtigandum eſt. Conſtat enim peritis, & iam alias a me obſervatum fuit, illuſtres, prælertim plurium prædiorum dominos, medio ævo non idem ſemper gentilitium nomen commune retinuiſſe, ſed ab aliquo ex hæreditate paterna, aut per dotem adquiſito, nomen ſibi aſſumſiſſe. Sic in traditione præcedente I. Comes CHONRADUS de *Ratilinperge*, duo HERMANNI de *Windb erg* ſeſe adpellant; etiamſi ſinguli ad idem ſtemma *Formbacenſium* & *Neoburgenſium* indubie pertineant.

L) Iam

L) Iam & ſupra (N. 31. B.) adverti, duo caſtra *Windbergenſia*, & duas familias inter ſe oppido diverſas, inde nominatas, eſſe diſtinguendas, & N. 39. D.) oſtendi BERTHOLDO III. *Andecenſi*, *Hiſtriæ* Marchioni & *Meraniæ* Duci, alteram coniugem obtigiſſe CHUNIGUNDEN, EKKBERTI III. *Formbacenſium* Comitum ultimi, ac improlis ſororem; hincque non inmerito mihi inferre videor, iſtam CHUNEGUNDEN caſtrum *Windeberde* BERTHOLDO marito loco dotis attuliſſe, quod ei etiam in transactione cum OTTOCARO *Styrienſi*, unacum comitatu *Neoburgico - Schärdingenſi* confirmatum fuit, quodque OTTO I. *Meraniæ* Dux BERTHOLDI filius & hæres MANEGOLDO Epiſcopo *Patavienſi* vendidit; præſertim cum in hodierno comitatu *Wernſteinenſi*, cis & trans Oenum ſito, cum dominio *Neoburgenſi* unito, ad eccleſiam epiſcopalem *Patavienſem* pertinente adhuc ſuperſit villa ſex ædibus conſtans, ad dexteram Oeni ripam in via regia *Schardingam* inter & *Paſſaviam* ſita, *Windberg*, ſeu *Widenberg* dicta, quin tamen caſtri alicuius ibi quondam conſtructi veſtigia invenire ſit: Quod in frequentibus Comitum *Ortenburgenſium* cum Epiſcopis *Patavienſibus*, aliisque vicinis, diffidationibus, rixis, & incendiis facile exuſtum, everſum, nec unquam reſtauratum fuit; ſolo nomine glebæ conſtanter inhærente. *)

*) Forte hodiernum *Wernſtein*, e regione caſtri *Neoburg* trans Oenum ſitum, antiquato caſtro *Windeberde* ſucceſſit aut mutatum nomen accepit.

De alio quodam caſtro Principatus *Paſſavienſis*, cui nomen *Windberg* foret, nulla ibidem exſtat notitia, ut litteris illuc datis, & inde receptis, humaniſſime edoctus fui.

M) Quoad alterum comitatum & verſus ſilvam *Bohemicam* ſitum, cuius limites HUNDIUS nimium, nempe ab *Illiſſo* usque

Ratis-

Digitized by Google

Ratisponam, ubi *Regen* fluvius *Danubio* miſcetur, protendit, hactenus etiam nemo ſollicitus fuit. Facem in his tenebris aliquam præbet Codex MS. Decani *Patavienſis*, *Burkardi* KREBSII a GEWOLDO editus *Metrop. II. p. m.* 403. ubi inter acerbas declamationes adverſus ARNOLFUM I. *Boiariæ* Ducem, & HENRICUM S. Imperatorem queritur his verbis: „Item comitatum noſtrum cum poſſeſſionibus ab *Hiltſe* flumine usque ad flumen *Regen* (Henricus Imp.) donavit ſimiliter Eccleſiæ *Bambergenſi*.“

Videtur heic indigitari diſtrictus idem, deſcriptus ſupra a PHILIPPO Rege G. „Comitatus, qui durat a ponte *Regen* (non a Regensburg, uti HUNDIUS opinabatur, ſed ab oppido *Regen*, a cognomine fluvio, ubi pons eidem impoſitus eſt, adpellato, ut videre eſt in topographia *Finkiana*) usque ad fluvium, qui *Ildſe* (Ilz, Illiſſus) nuncupatur.“ Iſte igitur comitatus ab HENRICO S. Eccleſiæ *Bambergenſi* donatus, fors per modum ſubfeudi ab Epiſcopo quopiam *Bambergenſi*, quorum plures erant de familia *Andecenſi*, BERTHOLDO III., aut OTTONI filio, *Meraniæ* Ducibus, conceſſus fuit, quem hic denuo Imperatori PHILIPPO reſignavit pro alio ſibi feudo conferendo, quod FRIDERICI de *Pielſtein* erat, & tunc obportune vacabat.

N) De iſto comitatu, quem *Ilsgovve* adpellat, ſequentia ex diplomatibus *Paſſavienſibus* excerpſit AVENTINUS, apud OEFELE I. 713.

„FRIDERICUS Rom. Rex ſemper Auguſtus & Rex Siciliæ tradit VLRICO Epiſcopo *Bathavienſi* comitatum *Ilsgowe* reſignatum a Duce. Hunc comitatum LUDOVICUS palatinus Comes Rheni idem & Dux Boiariæ ex conceſſione Imperatorum iure hære-

Digitized by Google

hæreditario quæſitum poſſedit, tamen iure feudi ab Epiſcopo firmatur in ſolemni curia *Nurnberch* IX. Kal. Febr. MCCXVII. "

Idem AVENTINUS *loc. cit.* ad an 1220. „LUDOVICUS d. g. Palatinus Rheni Dux Bavariæ comitiam *Ilskowum* ab ipſa usque infra *Mechela* reſignat. Epiſcopo, & Epiſcopus dat quingentas Marchas - Teſtes - datum *Bozani* Non. Septemb. MCCXX. Indict. VIII." Orta deinde an. 1226 controverſia inter Epiſcopum *Patavienſem* & RAPOTONEM Com. pal. *Bavariæ* de caſtro *Rotinberch*, datis arbitris HENRICO Com. de *Ortenberch* & CHUNRADO de *Plain*, datus locus *Windberg* Epiſcopo, Rapotoni *Vilshoven*, RAPOTONI *Hilkersperg*, *Windberg* data MCCXXVI. AVENTINUS in *excerptis Paſſav.* apud OEFELE I. 714. a.

Videtur autem idem AVENTINUS *loc. cit. p.* 714. b. utrumque comitatum *Ilsgowe* cis- & *Windberg* trans *Danubium* & *Oenum* inter ſe confudiſſe, dum ſequentia excerpſit: „Nos LUDOVICUS Dux Boiorum & OTTO filius ſuus palatinus Comes Rheni confitemur, dum ALBERTUS Comes de *Pogen* iniuriatus Epiſcopo *Bathavienſi* ob comitiam *Windebergæ*, dum idem Epiſcopus iturus *Romam* in *Landaw* eſſet, Comes commonitus a Ducibus faſſus eſt ob amorem dilecti ſui *conſanguinei* GEBHARDI Epiſcopi *Bathavienſis*, vi ſe *Windberg* poſſediſſe nullo iure, cui Epiſcopus contulit in feudum *Sebach* & *Vtenhoven* dictæ comitiæ partem de novo contulit, ut cæteàa feuda non abalienaret Comes. Teſtes - - MCCXXVIII. Kal. Martii Landawe. "

Item ALBERTUS Comes de *Pogen* fatetur ſe comitiam *Windberg*, quæ protenditur ab *Vtelpach* usque *Ilsam* iuxta *Danu-*

Digitized by Google

Danubium, & ex alia parte ab *Ilsa* ad medium *pontem Regen* villae a ponte usque ad rivum *Vtelbach*, ubi influit in *Danubium* a *Regen* usque *Nemus Boemorum*, vi usurpasse, quamquam iudicio LUDOVICI Ducis *Boiariæ* in *Percheim*, *Steinenstrasse* addicta Ecclesiæ, propterea in *Landaw* admonitus a Duce, possedit antiquitus ab Ecclesia *Bathavienſi* castrum *Degenberch*. Supra in litteris LUDOVICI. *Landawe* MCCXXVI. Kal. Martii."

Excerptorum, seu fragmentorum loco integra si dedisset diplomata hic autor, aut illi edere vellent, qui possident, rectius quidpiam de istiusmodi rebus statui posset. Certe enim comitatus *Windberg* ad dexteram *Oeni* ripam situs cum *Ilsa* fluvio ad sinistram *Danubii* oram nihil commune habuit, neque locus *Sebach*, *Nideralteichio* vicinus, pars comitiæ *Windbergenſis* dici potuit.

O) Ex hoc diverticulo, lectori fors non iniucundo, ad institutum redeo.

Cum anno 1209 ex publico mandato romani Regis Augusti causa imperialis capessendæ benedictionis cum fratre suo BERTHOLDO aliisque Principibus ALBERTUS etiam noster *Romam* iter maturaret, *Altaham inferiorem* prius accessit, tertioque fratre LIUTPOLDO presente, & multorum *Bavariæ* nobilium presentia, quamdam compensationem faciente BERTHOLDO, fatetur uterque germanus, ab abbate POPPONE maximas & plurimas expensas pro cinguli militaris honore capessendi sibi & fratri suo largiter fuisse exhibitas. (*Cod. prob. N. XXXIII.*)

Prædictus abbas POPPO, Ecclesiæ suæ providus custos, & gravissimis molestiis mederi cupiens, sequentia scripto reliquit,

quæ

Digitized by Google

quæ iſtum ALBERTUM, eiusque fratrem BERTHOLDUM concernunt. (*Mon. boic. XI.* 181. *ſeq.*)

„Cum Eccleſia noſtra per advocatos noſtros, Comites videlicet de *Bogen* (videtur ergo uterque, quisque in ſuo diſtrictu, ius advocatiæ adminiſtraſſe) multis undique circumfuſa fleret periculis, rerum quoque gravibus indeſinenter doleret minis, Regem PHILIPPUM accedens - - cauſam illi deiectionis noſtræ & doloris flebiliter expoſui. Cuius atque (itaque) curiam multis impenſis inſequendo, laboris & periculorum noſtrorum miſertus, tribulationes noſtras & gravamina ſcuto protectionis ſue, & autoritatis ſententia relevare ordinavit, & fluctuantes periculorum noſtrorum procellas iudiciali rigore ex parte temperavit.

Quo tandem (an. 1208) de medio ſublato, ſpei noſtre anchora in profundo deperiit, quia acriores in nos tyrannos & ſeviores, predictos Comites mors Regis ſuſcitavit. Verumtamen deo eccleſie ſue Imperatorem OTTONEM providente, ipſum longo itinere & impenſis fatigatus, & *Longobardiam* profectus, in *Alexandria* inveni, cui omnem tenorem cauſe noſtre, preſente Duce *Bawarie* (Ludovico) multisque terre noſtre Baronibus lacrimoſe recitavi. Et quidem generales querelas noſtras imperialis maieſtas pio affectu ſuſcipiens, totam cauſam rigore iuſticie terminandam Duci *Bawarie* delegavit - - Qua commiſſione ſuſcepta dum prefatus Dux in civitate *Ratispon.* celebrem poſtea curiam ageret, cauſa noſtra coram Principibus & primatibus terre noſtre, ipſis advocatis adſtantibus ſolempniter innotuit, & diu ventilatum, quid per ſententiam de nobis commiſſum haberet, divulgavit, ſigillum

Digitized by

etiam cum litteris Imperatoris eisdem defenſoribus noſtris imperiali authoritate in propatulo tradidit.

Nulla tamen compoſitione ibidem admiſſa - - ipſe Dux noſter ad ſubſequens placitum, quod acturus erat in *Pledlingen*, agende compoſicionis rationem diſtulit.

Interea legatus noſter de Imperatore reverſus, ſecundum preceptum prioris ſententie ferens, quatenus cauſam noſtram debito fine terminaret, precipiendo mandavit.

Tandem in audientia Principum hanc compoſitionis conditionem obtentu maiorum admiſimus, ut nihil a proximo feſto *Michaëlis* usque ad triennium per omnem advocatiam iuris exercerent, preter ſtatutum ius - - Igitur ob huius facti ratam & intemeratam confirmationem Comes BERTOLDUS patrimonia ſua in *Tencelle* - cum attinentiis in manus palatini RAPOTONIS delegavit. Similiter Comes ALBERTUS patrimonia ſua ſcil. *Vrku* - & in *Riede* - in manus predicti palatini conſignavit &c. - Sub ſigillo Ducis LUDOVICI circ. an. 1209 vel 10.

P) Dum anno 1212 contentiones inter MANEGOLDUM Epiſcopum *Patavienſem*, & RAPOTONEM Comitem palatinum de *Ortenburg* exarſiſſent, clauſtra, Monaſteria, Eccleſiæ unacum omni provincia incendio devaſtarentur, & in auxilio Epiſcopi Comites de *Bogen* eſſent, tres fuiſſe occiſos ex Comitis ALBERTI provincialibus, qui ſua in miniſterium contulerant, teſtatur HERMANNUS abbas in *Annal.* ad hunc annum.

Hoc etiam anno defunctus ALTMANNUS de *Helmsperg* (*Hengersberg*) caſtrum ibidem ab ipſo ædificatum moriens reſigna-

Digitized by Google

ſignaverat Eccleſiæ *Altahenſi*, quod Monachi deſtruere volentes, prohibiti ſunt a Comitibus de *Bogen*, eodem HERMANNO abbate notante ad annum prædictum, qui tamen an. ſequente addit, idem caſtrum, data Comitibus de *Bogen* a domno abbate POPPONE pecunia, fuiſſe deſtructum.

Q) An. 1217 ANDREAS *Hungariæ* Rex, LEOPOLDUS Dux *Auſtriæ*, OTTO Dux *Meraniæ*, ECCEBERTUS Epiſcopus *Babenbergenſis*, Nobiles & Comites cum valida manu transfretaverunt ad ſuccurſum terræ ſanctæ. HERMAN. abb. *loc. cit.*

ALBERTUM quoque noſtrum cum fratre ſuo BERTHOLDO eidem expeditioni interfuiſſe, ipſus teſtatur, cum in charta *Nideraltacenſibus* data infra ad an. 1222 alleganda, tum in alia pro Monaſterio *Oberalt.*, cui & bona hactenus iniuſte poſſeſſa reſtituit, & tertiam partem fori ſui *Bogen* contulit, quippe tunc in obſequium crucifixi ad transmarinas partes proficiſci volens (*Cod. prob. N. XXXIV.*) de cuius membranæ dato poſteriore paullo poſt redibit ſermo. Heic ſolum obſervo, eam in Codice *Oberalt.* traditionum, *rubro* dicto, ad hunc an. 1217 referri, etſi originale annum 1220 præſeferat. Et omnino credibile eſt, donationem hoc anno, viva voce factam, poſt eius ex *Oriente* reditum ſcripto firmatam fuiſſe.

R) ALBERTUM noſtrum, qui anno 1218 Germano ſuo apud *Damiatam* morienti adſtiterat, hoc anno in advocatia noſtri Monaſterii ſucceſſiſſe, ſcribit GANSERUS *pag.* 478. *n.* 5. provocans ad *Mon. boic. XII.* 119. & 66. manifeſto iterum errore. Res ita ſe habet. Nobilis fœmina ALHEIDIS, ſoror dni BERTHOLDI in *Mittervels*, tradiderat quædam predia in *Crizenchirchen* cum aſſenſu Comitis PERHTOLDI (non de *Bogen*, ſed

Digitized by Google

ſui Germani æquivoci). Contigit enim hæc donatio ſub abbate WOLFRAMO ab an. 1184-1194, quo tempore BERTHOLDUS III. de *Bogen*, forte natus, nondum tamen ephebis exceſſerat, patre ALBERTO III. an. 1165 in lucem edito.

Eadem illuſtris, iam WERIGANDO de *Runtingen* nupta, priori donationi addidit Eccleſiam in *Crizenchirchen*, ſub abbate WOLFRAMO, coram Comite ALBERTO (tertio) ipſius loci advocato *p.* 66. Vtramque donationem iam morti vicina renovat an. 1221 domino ALBERTO (quarto) Comite de *Bogen* ſolo ſuperſtite filio Comitis ALBERTI (tertii) prememorati - *p.* 119. Nulla heic mentio BERTHOLDI III., cui ſucceſſerit ALBERTUS frater (*Cod. prob. N. XXVII. N. XXXVI.*). Opinabatur GANSERUS, BERTHOLDUM fuiſſe primogenitum, & in ius advocatiæ ſolum ſucceſſiſſe. At meminiſſe debuerat, plures eiusdem Eccleſiæ ſimul ac ſemel exſtitiſſe advocatos pro varietate prædiorum, quæ in eorum diſtrictu ſita erant: quemadmodum hodie Monaſteriorum, aliorumque bona & ſubditi diverſis præfecturis ſubſunt, quæ ipſæ præfecturæ, ſeu iudicia provincialia ad normam fere veterum comitatuum inſtitutæ, & iisdem prope limitibus circumſcriptæ ſunt. E. g. *Naternberg*, *Leonsperg*, *Kirchberg &c.*

Quod ſi hoc unum ſibi velit GANSERUS, ALBERTUM noſtrum in iisdem diſtrictibus, quos ex hæreditate Germani improlis adquiſiverat, eidem etiam in iure advocatiæ iisdem annexo ſucceſſiſſe, id ei non negaverim; debuerat autem hoc clarius dicere; iam enim vivo fratre poſt factam diviſionem in bona Eccleſiaſticorum, diſtrictui ſeu foro ſuo ſubdita, advocatiam indubie exercuit.

S) Anno

S) Anno 1220 FRIDERICUS II. Romanorum Rex electus ab HONORIO Papa *Romæ* ſolemniter coronatur, Duce *Bavariæ*, aliisque Priucipibus & viris nobilibus preſentibus. HERMANNUS abbas in *Annal.* id quod 22. Novembris factum ſcribit HANSIZ. I. *p.* 366. Voverat quidem Imperator coronatus expeditionem in *Orientem.* At ille, animatis licet ceteris, in *Sicilia* hæſit, quocum LUDOVICUS Dux, & VLRICUS Epiſcopus *Patavienſis* comitantes, anno 1221 menſe Martio e *Sicilia* ſolventes, ſecundis ventis cum ingenti exercitu *Damiatæ* adpulere.

ALBERTUM noſtrum romano itineri, & expeditioni ſacræ interfuiſſe, colligo ex eius membrana *Nideraltacenſibus* an. 1225 data, ubi ait: „Ego ALBERTUS Comes de *Pogen* cum ex mandato ſereniſſimi Imperatoris in *Apuliam* iter arripere procurarem (*Cod. prob. N. XXXIX.*) quod nonniſi de hoc itinere, *Romam* pro coronatione, & *Siciliam* pro expeditione an. 1220 ſuſcipiendo, intelligi poſſe videtur.

Accedit, quod idem Comes traditionem tertiæ partis fori ſui *Bogen* Monaſterio *Oberalt.* an. 1217 viva voce factam, eodem anno 1220 die 25. Martii data charta firmaverit, cum in obſequium crucifixi ad transmarinas partes proficiſci vellet. (*Cod. prob. N. XXXV.*) „Actum & datum in *Naterberc* an. dom. MCCXX. Indictione VIII. octavo Kal. Aprilis.“ Sicque emendandus error typi, qui in vol. XII. *p.* 119. irrepſit.

AVENTINUS *Annal.* 658. *n.* 19. ponit annum 1221, quo, ſaltem Martio menſe, noſter nondum redierat, aut AVENTINUS orditur annum a 25. Martii.

T) De

T) De infausto huius expeditionis, quam post HANSIZIUM cit. copiose describit *Sigismundus CALLES Annal. Austriæ II.* 223. *seqq.*, eventu hæc compendio notavit HERMANNUS abb. ad an. 1221. „*Damiata* civitas, quæ portus *Aethiopiæ* (lege, *portus* & *Ioppe*) dicitur, multo labore & sanguine ac fudore christianorum (an. 1218) acquisita, heu heu! exigentibus peccatis hominum divina permissione seductis in quamdam insulam christianis, aquis & exercitu Saracenorum circumvallatis, quibusdam submersis, aliisque occisis, tandem sub quadam forma compositionis cum multa strage hominum ab utraque parte facta, coactis christianis, Saracenis per manus christianorum reddita est. Vbi aderant LUDOVICUS Dux *Bawariæ*, VLRICUS *Patavienſis* Episcopus & alii quam plures nobiles & ignobiles, quorum non erat numerus, qui fugam arripientes vix evaserunt.“

Rediisse autem & Comitem nostrum, probat charta eiusdem *San-Nicolaitanis* an. 1221 data, qua illis immunitatem a mutis & vectigalibus tam per terram, quam per aquam in suo districtu pro se & successoribus perpetuo relaxat. (M. B. IV. 330.)

Probat hoc etiam repetita donatio Ecclesiæ *Crizenchirchen* ab ADELHEIDE, nata de *Mitterfels*, nupta de *Runting* Monasterio *Oberalteich* facta an. 1221 (*Cod. prob. N. XXXVI.*) utpote quæ fideli tuitioni ipsius advocati in loco *Bogen* eam Ecclesiam commendavit.

V) Anno 1222 idem Comes noster admodum compunctus, sequens tradidit instrumentum Monasterio *Nideraltacenſi*; quod pro circumstantiarum notitia, magna sui parte heic inseri meretur.

„In

„In nomine - - Ego ALBERTUS Comes de *Bogen* confiteor & proteſtor, quod cum domnus POPPO venerabilis abbas eccle S. *Mauricii* in *Altaha*, cuius ius advocatie me contingit, nobiles viros RAPOTONEM & HENRICUM Comites de *Ortenberch*, HADMARUM & RAPOTONEM fratres de *Ahuſen*, fratresque de *Halſe* ALRAMUS & ALBERTUS pro gravibus dampnis ab ipſis ſibi & ſue Eccleſie illatis apud ſedem apoſtolicam & imperialem celſitudinem fatigaret, ipſique ob invidiam mei predicte eccleſie ſatisfacere non curarent, aſſerentes de prediis ſuis numquam aliquid ſe velle conferre Monaſterio ſepedicto, niſi promitterem ac publice proteſtarer, quod numquam de prediis eisdem nulla iura expoſcerem advocati, nec in primis abbatem vel monaſterium predictum occaſione aliqua moleſtarem, ad inſtanciam peticionis ſue ac fratrum ſuorum, & ne talis concordie ac pietatis ego fierem impedimentum, ſupraſcripta ſervare firmiter propoſui - - cum igitur alias in Deum & S. *Mauricium* eiusdem eccleſie patronum me conſtet multiformiter deliquiſſe, in hoc ſaltem anime mee providere volens, talem facio proteſtationem, quod eadem predia - - ſine omni utilitate defendere volo propter Deum, hoc adiiciens, ut ſi in primis per me vel per iudices meos eccleſia fuerit aliqualiter moleſtata, dominus abbas & fratres eligendi ſibi ſuper eisdem alium advocatum liberam habeant poteſtatem - - Actum in *Pledling* an. M. CC. XX. II. Teſtes - (*Cod. prob. N. XXXVII.*)

W) Eodem anno fatetur, ſe Germano ſuo BERTHOLDO apud *Damiatam* morienti (an. 1218) preſente LUIPOLDO Duce *Auſtriæ* multisque aliis, fideliter promiſiſſe, quod bona in *Enepruckе Altahenſi* Monaſterio ab eodem (an. 1217) collata, defendere vellet ſine omni queſtu propter Deum, quam fidem

tunc

Digitized by Google

tunc datam hoc inſtrumento exſolvit ſexto Kal. Septemb. (*Cod. prob. N. XXXVIII.*)

X) Anno 1225 in ipſo Monaſterio *Altahæ* inferioris conſtitutus, multiplicia damna eidem illata compenſaturus, ſequentia de ſe publice confitetur: „ Ego ALBERTUS Comes de *Pogen* cum ex mandato ſereniſſimi Imperatoris FRIDERICI in *Apuliam* iter arripere procurarem (an. 1220 coronationi eiusdem interfuturus: male ergo GANSERUS iſtud iter ad hunc annum refert) enormitatem exceſſuum meorum, quorum infinitatem nulli hominum explicare habilis fui, quibus in Deum & *Altahenſe* Monaſterium me reum eſſe cognovi, digna penſacione conſiderans, apud predictum monaſterium copiam mei exhibui, & pro pura coram Deo peccaminum meorum remiſſione, ac memorate iam eccleſie abſoluta reconciliacione, bona, que ex morte fratris mei LUIPOLDI hereditaria ſucceſſione ad me defluxerunt, nulli contradictioni obnoxia, immo a genitoribus & avis ſive proavis meis ſucceſſiva hereditate, iuſto titulo, bona fide a me poſſeſſa, domno POOPONE eiusdem loci reverendo abbate aſſiſtente, qui tunc etiam ob mee dilectionis prerogativam, ſeu peticionis inſtantiam, in LXXIIII. libris apud creditores me abſolvit, quique in omni famulatu benevolum ſe ac favorabilem mihi exhibuit, quem quoque pro tantis beneficiis mihi collatis fideliter nullo adhuc rerum beneficio, nulla donatione honeſtaveram, cui infinita rerum diſpendia per me ſibi irrogata hactenus reſarcire neglexeram, preter duas curias - - quas in Romani Regis Auguſti OTTONIS expeditione iens ſecum (an. 1209) *Romam* pro XL libris Eccleſie perpetuo poſſidendas, quacumque vocatione mortis ex hac luce migrarem, contuleram, - - poteſtativa manu libera ac ſolempni donatione - - in perpetuum contuli . . . Datum an. MCCXXV.

Digitized by Google

MCCXXV. indictione XIII. Nonas Febr. Amen. " (*Cod. prob. XXXIX.*)

Y) Eodem anno, loco, & die monaſterio *Oberalt.* renovavit donationem tertiæ partis fori ſui *Bogen* iam an. 1217 & 20 factam (Q. S.) quæ hæreditarie contingebat fratrem ſuum LIUPOLDUM, & reſtitutionem bonorum, hactenus a ſe violenter poſſeſſorum, & iniuſte occupatorum, ſeu detentorum, vel alienatorum. - - Factum eſt hoc in preſencia Abbatum domni POPPONIS & domni RUDIGERI (Metenſis) ante altare S. *Mauricii* in *Altaha.* - An. M. CC. XXV. indictione exiſtente XIII. regnante Friderico Imperatore ſecundo feliciter Amen. " (*Cod. prob. N. XLI.*)

Z) Prædicto anno, die, (quidni & loco?) monaſterio *Oberalt.* pro ſuorum venia delictorum, & ob eterne vite adeptionem contulit libera donatione ius patronatus trium eccleſiarum fundatarum in patrimoniis ſuis - *Haſelbach*, *Kuntzell*, *Leuzendorf*, ut quacunque vocatione, ſine ſucceſſione legitime prolis rebus humanis exemptus fuerit, ſupraſate Eccleſie pro iure patronatus integre reſpiciant prenominatum monaſterium. - Factum an. MCC. XXV. indictione exiſtente XIII. (errore typi poſita fuit VIII.) Teſtes - datum Non. Februarii regnante Friderico Romanorum Imperatore ſecundo feliciter. Amen " (*Cod. prob. N. XL.*)

Ait quidem donator in principio: „Cum eſſem in procinctu conſtitutus in *Apuliam* ad Imperatorem": cuius tamen itineris hoc anno illuc ſuſcepti nullum alicubi apparet veſtigium. Igitur referendum eſt ad ann. 1220, quo FRIDERICUM pro ſuſcipienda corona imperiali cum LUDOVICO Duce ſecutus

eſt, & ante quod ſuſceptum iter, ſecutamque expeditionem in *Palæſtinam*, unde ſe forte rediturum deſperabat, hanc ipſam donationem iuris patronatus viva voce fecerit, hoc anno ſcripto renovatam, & firmatam. (S)

Aa) Anno ſequente 1226 teſte HERMANNO abbate in *Annal.* guerra gravis inter RAPOTONEM Comitem palatinum *Bavariæ* & Comitem (noſtrum) de *Pogen* orta eſt, in qua quam plures Eccleſiæ ſunt deſtructæ & ſpoliatæ, & prædia Monaſterii in *inferiori Altach* incendio ſunt deſtructa, & RAPOTO Comes palatinus Bavariæ civitatem (caſtrum urbi ſimile) in *Lichtenwerde*, quam Comes ALBERTUS de *Pogen* prope Monaſterium *Altah* erexerat, incendio penitus devaſtavit." Diſcordiæ huius cauſſam in vetera odia utriusque potentis familiæ reiicit ADELZREITERUS *Annal. P. I. lib. XXIII. n. XXVII.*

Bb) Anno 1228, uti notavit HOFMANNUS *Annal. Bamberg. col.* 154. „ECBERTUS Epiſcopus *Babenberg.* Eccleſiæ feuda, quæ inter *Pataviam* & *Ratisponam* ex utroque *Danubii* latere in *Bavaria* ſita erant, & poſt defunctum ALBERTUM III. *Bogiorum* Comitem, Eccleſiæ beneficiarium, ALBERTUS eius filius, cum fratre BERTHOLDO, per vim invaſerat & ab Eccleſia averterat, eorum pretio perſoluto (*ſed a quo, & cui?*) recuperavit & LUDOVICUM Comitem palatinum Rheni, & OTHONEM eius filium feudali ſacramento ſibi adſtrictos, de iisdem inveſtivit." Videatur etiam ATTENKOFER *kurzgefaſste Geſchichte von Baiern Beylagen N. III. p.* 161. Litteras LUDOVICI reverſales, quarum mentionem facit HOFMANNUS, legere eſt poſt GEWOLDUM & TOLNERUM vol. XI. *Mon. boic. p.* 199. & XII. 374. ubi tamen

Digitized by Google

men nomina teſtium non eodem ordine recenſentur. (*Cod. prob. N. XLIII.*)

Eodem anno 1228 fratribus in *Oſterhoven* remiſit & indulſit ius, quod habebat in rebus ipſorum, que ducuntur per comitatum ſuum in *Yſara*, tam in viis, quam in pontibus, tam in aſcenſu, quam in deſcenſu, ita quod nihil ſolvant officiatis ſuis. (*Cod. prob. N. XLII.*)

Anno 1230 ALBERTUS noſter caſtrum *Flinsperch* (hodie *Flinsbach*) erexit. HERMANNUS abb. in *Annal.* & *Chron. Auguſtenſe ad h. an.*

Anno 1231 primus teſtis ſubſcribit diplomati, quo OTTO illuſtris *Bavariæ* Dux *Alderſpacenſibus* donat decimas in *Landaw* & *Tekendorf.* (*Mon. boic. V. p.* 371.

Cc) GREGORIUS huius nominis Papa nonus, anno Pontificatus ſui quinto, hoc eſt 1232, litteris *Reate* datis, Comitem noſtrum exhortatur, immo in remiſſionem peccaminum iniungit, ut ſigno crucis aſſumpto unacum militibus *Teutonicis* contra perfidiam *Prutenorum* ad defenſionem fidelium in partibus *Pruſciæ* domino militantium, viriliter accingatur. IIII. Kal. Febr. „ Videtur his monitis papalibus morem geſſiſſe noſter. Nam ab eodem Pontifice anno eodem novas obtinuit litteras *Reate* datas XIIII. Kal. Martii, quibus bona eius in B. PETRI & Papæ protectionem ſuſcipiuntur, eoquod zelo fidei ac devotionis accenſus, vivificæ crucis aſſumpto ſignaculo propoſuerit iter arripere in ſubſidium fidelium in *Pruſciæ* confinio poſitorum. Vtrumque diploma exſtat. *Mon. boic. vol. XIV. p.* 43. 45.

 Dd) Iſtud

Dd) Iſtud autem propoſitum contra infideles *Poruſſos* militandi, qua ratione & occaſione, neſcio, Comes noſter in aliud commutavit, nimirum transfretandi ad ſepulcrum domini, quod expreſſit binis diplomatis, priore monaſterio *Oberalt.*, altero *Metenſibus* dato: In illo ait: „Ego ALBERTUS Comes de *Pogen* conſtitutus in propoſito & procinctu itineris transfretandi ad ſepulchrum domini Dei noſtri, patronatum & omne ius, quod libera & quieta poſſeſſione in tribus habebam eccleſiis, *Haſelbach*, *Chuncelle* & *Leuzendorf*, pro remedio & ſalute anime mee libera & firma donacione contuli monaſterio ſci PETRI in *Altah ſuperiore*, ſi ſine herede de uxore mea legitime genito moriens migravero ex hac vita - Datum in caſtro *Naternberch* an. dom. MCC. XXXII. Indict. quinta VIII. Kalen. April. in annuntiatione beate virginis.“ *Cod. prob. N. XLV.*) In iſto pro *Metenſibus* ait: „Ego ALBERTUS Comes de *Bogen* cum in procinctu eſſem transfretandi ad ſepulchrum domini noſtri Ieſu Chriſti ob meorum veniam delictorum & celeſtis premii retributionem donavi *Metimenſi* Monaſterio duas curias in *Venebach* ab omni contradictione abſolutas - - Acta ſunt hec apud caſtrum *Naternberch* an. MCC. XXXII. Indict. V.“ *(Cod. prob. N. XLIV.)*

Ee) Sed nec iſtud propoſitum hoc anno exſecutus fuit, quod monſtrant eiusdem diplomata, anno ſequente data. In priore pro *Alderſpacenſibus* ait: „ALBERTUS Dei gratia Comes de *Bogen* - - cum per nos *Alderſpacenſi* Eccleſie dampna ſint illata (forte in bello cum *Ortenburgenſibus* an. 1226 geſto) noſtre ſaluti & honeſtati ſuper hoc volentes ſalubriter providere, conſtituimus predicte Eccleſie & fratribus ibidem Deo ſervientibus, ſi contigerit nos non revérti, pro reſtitutione dampnorum, que eis per nos, ut prediximus, ſunt illata, & pro ſalute ac reme-

Digitized by Google

remedio anime noſtre, duas curias de propriis bonis noſtris, que ſite ſunt in *Domlingin* - - acta ſunt hec in *Landau* an. dom. MCCXXX. V. Kalend. Martii - - " (*M. B. V. p.* 372.)

In *altero*, ubi prioris transfretationis propoſitum renovat, *Windbergenſi* Monaſterio confert duas Eccleſias parochiales, in *Viehta*, & alteram in terra *Bohemorum*, quæ dicitur *Schutenhoven* cum villa adiacente *Podmuckel*. VIII. Kal. April. an. MCCXXXIII. (*Cod. prob. N. XLVII.*)

In *tertio*, facta denuo mentione de propoſito viſitandi ſepulcrum Domini, repetit donationem prædiorum in *Pebrach* monaſterio *Nideraltacenſi* factam. Datum *Naternberch* an. dom. MCCXXXIII. Non. Kalendas Aprilis. (M. B. XI. *p.* 200. *ſeq.* (*Cod. prob. N. XLVI.*)

In *quarto* & *quinto* confirmat monaſterio *Oſterhovienſi* quoddam vitalitium, MARQUARDO, ſuo *Mareſchalco*, quem etiam *diſpenſatorem* & magiſtrum piſtorum adpellat, in *Entau* conceſſum. Dat. in *Naternberch* Kal. Iulii MCCXXXIII. (*Cod. prob. N. XLVIII.*)

Supereſt & *ſextum*, *anecdotum*, fratribus minoribus conventualibus *Ratisponenſibus* datum. „Ego ALBERTUS Comes de *Bogen* voto crucis aſſumpto in viam peregrinationis transmarinæ me præparans, curiam meam in civitate *Ratisbonenſi* in latere capellæ ſancti SALVATORIS ſitam cum omnibus - - cum conſenſu matris meæ nobilis Duciſſæ viduæ LUDMIÆ nec non & fratris noſtri OTTONIS illuſtris Ducis *Bawariæ* - - ſuper altare eiusdem capellæ - in remedium peccatorum meorum libere delegavi - facta eſt autem hæc mea donatio anno MCC

Digitized by Google

MCC tricesimo tertio. in die S. SILVESTRI in campo quodam iuxta *Bogen* - publicata est autem per me ipsum in locis plurimis. Primo in *superiori Stouffe* in die *circumcisionis domini* coram matre mea predicta, dein in *Ratisbona* in octava S. STEPHANI - - denique in octava beati IOANNIS Evangelistæ in *Ahbach* coram fratre nostro Duce præfato - - (*Cod. prob. N. XLIX.*)

Ex dato diplomatis, eiusque publicatione, suspicari licet, Comitem nostrum annum inchoasse, non a primo *Ianuarii*, quod hodie solemus, sed a *nativitate* Domini, vel *annuntiatione* B. V. eoquod ultima *Decembris*, & tres primæ *Ianuarii* dies ad eundem annum XXXIII. referantur. Inde autem ulterius colligo, integro hoc anno currente illum extra patriam pedem non movisse, in proposito tamen constanter perseverasse.

Ff) At quoniam anno sequente 34 nullum in boicis documentis vestigium deprehenditur; credere fas est, eum promissis stetisse, & propositum transfretandi iter adgressum fuisse, forte cum FRIDERICO Imperatore, qui teste *Ioanne* STAINDELIO apud OEFELE I. *p.* 563. b. hoc anno in *Syriam* transiens, cum maximo *Aegypti* Principe, quem *Soldanum* nominant, conventiones fecit - postque consentiente *Soldano Ierosolymam* ingressus in ea urbe coronatur. Quare dum HERMANNUS Abbas in *Annal.* ad an. MCCXXXV. scribit: „ALBERTUS Comes de *Pogen* transfretat apud *Venetias*, capitur, hoc anno adtulit sanctam crucem ad *Altah Sperins*: " videtur tria facta confundere, & ad eundem annum figere, quæ diversis contigere. Clarius non nihil loquitur chronicon *Augustense* apud FREHERUM, & STAINDELIUS citatus: „ALBERTUS Comes de *Bogen* transfretavit, & apud *Venetias* capti-

captivatur.“ A quonam autem apud *Venetias* captus fuerit, neuter vel verbo indicat. Crediderim, id factum a piratis, qui illis temporibus mare mediterraneum admodum infestabant. Scribit enim GODEFRIDUS *Colonienſis* apud FREHERUM *Tom. I. p.* 398. ad an. 1232. „FRIDERICUS II. Imp. apud *Aquilegiam* paſcha celebrat - - circa aſcenſionem in *Apuliam* regreditur navali itinere: in via plurimos piratas capit, quos vinculis mancipat.“ Poterat huiusmodi piratarum cohors etiam hoc anno 1234 inſidias Comiti noſtro ſtruxiſſe. Qua autem arte, & cuius ope libertatem denuo conſequutus fuerit, cum nullibi legam, liceat coniecturæ non prorſus improbabili tantiſper indulgere.

Gg) Si ille anno 1234 Imperatorem in *Syriam* comitatus, aut ſequutus, hacque occaſione a Barbaris captus fuit; facile inter puncta conventionis (Ff) etiam iſtud fuerit, ut captivi, & hos inter ALBERTUS nobilis Princeps, redderentur priſtinæ libertati. Hanc igitur adeptus, & anno 1235 reverſus, ac voti forſan facti de S. CRUCE monaſterio *Oberalt.* tradenda, ſi liber evaſerit, memor, eam hoc anno adtulit. Meretur enim non nullam attentionem, quod tam chronicon *Auguſtenſe*, quam HERMANNUS Abbas, & *Ioan.* STAINDELIUS captivitati Comitis immediate ſubiungant, eum hoc anno adtuliſſe ſanctam CRUCEM ad *Altah ſuperius.*

Hh) De iſta CRUCE obportunus heic agendi locus.

Præcipuum hoc ſacrarii *Oberalt.* cymelium eſt inſignis portio ligni S. CRUCIS, cuius ſimilem in Germania ſe non vidiſſe teſtantur, quibus plurimas videre licuit. Namque longitudo eius novem, latitudo ſeſqui, profunditas unius digiti

Mona-

Digitized by Google

Monacenſis eſt. Lignum transverſum eiusdem dimenſionis ſex cum dimidio digitos in longum complectitur.

In vetuſta deſignatione reliquiarum, quæ populi devotioni quotannis monſtrari ſolebant, hoc etiam legitur: „Vltimo oſtendetur S. CRUX in magna portione, quam monaſterio noſtro ALBERTUS Comes *iunior* (quartus) de *Pogen*, qui eandem portionem ligni S. CRUCIS ex *Roma*, una cum magna parte aliarum reliquiarum attulit, quæ a SERGIO Papa inventa, tandem per ignem & aquam adprobata fuit, ita quod nulla ſit de eodem ligno ambiguitas; nam in ignem proiectum a Papa reſiliit, in Tyberim vero proiectum contra aquam natavit. Moderniis etiam temporibus ſæpe probatum fuit, per communem oſtenſionem eiusdem, ubi aliquando a certis perſonis videri non potuit, quod quidem miraculum pluribus claret. Ergo ſpeciali devotione a Chriſti fidelibus digne venerandum. "

Ii) Alia deſcriptio reliquiarum ita habet: „Vltimo oſtendetur lignum S. CRUCIS, cum brevi exhortatione de dignitate ipſius, de inventore, ac apportatione ſeu dotatione, quo monaſterium noſtrum illuſtris Comes ALBERTUS *iunior* de *Bogen* dotavit. "

Præterito ſæculo ſupererant duæ tabulæ pictæ, an. 1380 comparatæ, quarum una exhibebat S. PETRUM Apoſtolum monaſterii huius patronum, pontificali amictu ornatum in nubibus ſedentem, coram eo autem FRIDERICUM I. & ASCUINUM eius fratrem, quorum ille monaſterium a ſe reſtauratum, hic autem eccleſias *Bogen* & *Aitterhofen* eidem cœnobio collatas manibus portantes quaſi offerre videbantur, quemadmodum

dum fere in marmore eorum ſepulcrali conſpiciuntur. Medius inter utrumque ALBERTUS IV. genuflexus eandem S. ligni portionem præſentabat. In altera viſebatur FRIDERICUS II. coram HONORIO P. II. genuflexus cœnobium, cuius fuerat advocatus, eiusdem tuitioni commendans, & ALBERTUS IV. flectens coram SERGIO I. Papa, eandem crucem manibus tenens, addita ſchedula: *Me partem tantam confirmet SERGIUS ſanctam*, & altera: „Offero (heic tabula fracta fuerat, & quædam deficiunt) *hanc crucem Principi PETRO.*“

Kk) Ne quis legens SERGIUM primum P., ingentem heic anachroniſmum ſuſpicetur, obſervare neceſſum eſt, maiores noſtros haut ita rudes fuiſſe, ut crederent, SERGIUM I. ALBERTO IV. fuiſſe coævum; ſed hoc unum volebant inſinuare, hanc S. ligni portionem a SERGIO Papa *Romæ* inventam, poſt ſecula demum prædicto Comiti ob fidele ſervitium in expeditione ſacra exhibitum ab HONORIO dono datam fuiſſe. Hinc ALBERTUS SERGIUM quaſi implorat, velit teſtari, hanc ipſam CRUCEM, ab HONORIO ſibi conceſſam, eandem eſſe, quam ipſe primus repererit, id quod commemorat ANASTASIUS *Bibliothecarius* in vita SERGII primi: „Hic beatiſſimus vir in ſacrario beati PETRI Apoſtoli capſam argenteam, in angulo obſcuriſſimo iacentem, & ex nigredine transannoſitatis, nec ſi argentea eſſet apparentem, Deo ei revelante reperit. Oratione itaque facta ſigillum expreſſum abſtulit, locellum aperuit, in quo interius plumaceum ex holoſerico ſuperpoſitum (quod *Stauracis* dicitur) invenit, eoque ablato inferius CRUCEM diverſis & pretioſis lapidibus perornatam inſpexit, de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clauſæ erant miræ magnitudinis & inæſtimabilis pulcritudinis, portionem ſalutiferi ligni CRUCIS dominicæ invenit.“

Digitized by Google

Ll) Hanc igitur crucem a SERGIO inventam, ab HONORIO III. Comiti, ab hoc autem monaſterio *Oberalt.* donatam maiores illius, continua traditione edocti, conſtanter ſibi perſuaſum habebant, & poſteris reliquerunt.

Quoniam vero inſolita portionis huius magnitudo non nullis ſuſpecta videbatur, & de authentia eiusdem dubitari cœperat; factum eſt, eadem traditione perhibente, ut, quo tempore *probationes* reliquiarum *vulgares* uſitatiſſimæ erant, hanc & iſta inſignis portio experiri deberet. Timentes autem Monachi, ne ſi integram portionem *Romam* mitterent, papali iudicio & probationi ſubmittendam, illa forte integra non amplius rediret, partem aliquam adhuc ſatis inſignem inter verticale & transverſum lignum mediam inde ſepararunt, probationem ſubituram. De hac ergo parte intelligenda videtur deſignatio Hh) quod a Papa (neſcio, quo) in ignem proiecta reſilierit, & in Tyberim proiecta contra aquam nataverit. Hæc ipſa autem portio in hanc usque diem a maiore ſeparata exiſtit, aureis laminis incluſa, & gemmis ornata, præcipuum ſacrarii iſtius cymelium, cum maior, digno & ipſa ornatu a BENEDICTO abb. an. 1700 veſtita, per æſtatem in Eccleſia *Bogenbergenſi* frequentiſſimi populi confluentis veneracioni ac devotioni exponi ſoleat.

Quod de *probatione vulgari* per ignem & aquam, nunc dudum abolita, dictum eſt, neminem hiſtoriæ peritum morabitur, & lector ſe remitti patiatur ad celſiſſimi Principis & Abbatis ad S. *Blaſium* MARTINI GERBERTI diſſertationem eruditiſſimam de *Rudolfo Rhinfeldenſi* Anti-Cæſare *p.* 141. ubi de huiusmodi probationibus varia congeſſit, quam etiam ſubiit

por-

portio S. CRUCIS, eidem Eccleſiæ ab ADELHEYDE, RUDOLFI filia & LADISLAI *Hungariæ* Regis coniuge dono ſubmiſſa.

Mm) A primo S. CRUCIS huius adventu, annalibus publicis commemorato, conſtantes eadem & inſignes experta eſt cultores, quos inter primo loco numerandus SIGISMUNDUS Imperator, de quo anonymus chronici ANDREÆ *Ratisbonenſis* MS. interpolator ſequentia refert: „Anno partus intemerate virginis MARIE MCCCCXXX. ſabbato poſt feſtum S. EGIDII (2. Sept.) Imperator SIGISMUNDUS venit cauſſa devotionis ad montem beate Virginis in *Bogen* una cum HAINRICO Duce de *Lantzhuet*, & FRIDERICO *Burgravio Nurnbergenſi*, nec non nobili viro de ROSENBERG, Bohemus natione. Quibus revertentibus ad civitatem *Straubing* circa horam veſperorum venerabilis abbas IACOBUS *Altahe ſuperioris* cum conventu ſuo obviavit proceſſionaliter cum reliquiis extra portam ſuperiorem eiusdem monaſterii, cantantes reſponſorium: *Sicut fui cum Moyſe, ita &c.* Abbas autem portans lignum ſancte Crucis, quod porrexit Imperatori in curru ſedenti, quod ipſe devotiſſime adorans peracta autem oratione profectus eſt verſus civitatem *Straubing* non intrans monaſterium ſupradictum.“

„Item feria quarta poſt feſtum EGIDII (6. Sept.) predictus SIGISMUNDUS Imperator iterum venit ad monaſterium noſtrum, ſcilicet *Altach ſuperius*, cum ſolempni comitatu *Vngarorum*, *Turcorum*, *Alemannorum*, *Bohemorum*, diverſarumque nationum, ob devotionem ſancte Crucis, que ibidem reliquialiter habetur in magna portione. Qui cimiterium laycorum intravit usque ad ianuas Eccleſie, que clauſe erant, ignoran-

rante abbate & conventu, quibus tamen ſtatim intimatur. Qui confeſtim aperientes ei - Imperator autem portabatur usque ad medium chori, quia ire non poterat. Cui cuſtos Eccleſie nomine IOHANNES, poſtea Abbas, porrexit ſanctam crucem, cum qua ſe muniens diligenterque inſpiciens, orando interim Pſalmum *Miſerere mei Deus &c.* & videns eam minus ornatam dixit cuſtodi IOHANNI, quem putabat eſſe abbatem, quod ipſemet eam obducere ſive ornare vellet auro argentoque ſecundum imperialem munificentiam & dignitatem ſalutifere crucis. Abbas autem, qui ſtetit retro cuſtodem IOHANNEM, conſiderans verba Imperatoris, timuit, ne forte theſaurus raperetur a monaſterio. Recedente igitur Imperatore ſtatim miſit pro aurifabro nomine CONRADO de *Straubing*, qui comparens, & modulum, vulgariter ein *Muſter*, accipiens ſancte Crucis ſecundum longitudinem, latitudinem & ſpiſſitudinem, & poſt hunc modum laminas argenteas fecit iſto opere, ſicut hodie cernitur, cum imaginibus Evangeliſtarum, quibus paratis venit Magiſter CONRADUS aurifaber, & obducens ſanctam Crucem mediantibus cyrothecis, ne tangeret eam nudis manibus, adiuvante eum fratre IOHANNE cuſtode, qui ſimiliter utebatur cyrothecis, & ſic perficiebatur opus &c. Erat enim ſancta CRUX antea ornata & obducta cum laminis argenteis tenuiſſimis per Papam HONORIUM ſecundum (leg. *tertium*) que lamine erant ligno ſancto annexe cum gunffis argenteis minutiſſimis, quorum foramina apparent, que a ſimplicibus hominibus putantur eſſe foramina vermium. " Hactenus *MS. Oberalt.*

Nn) ALBERTUS pius, h. n. tertius *Bavariæ* Dux binis diplomatibus monaſterio eidem conceſſis (*M. B. XII.* 246. *ſeqq.*) ait, ibidem S. PETRUM, & S. CRUCEM quieſcere, eius-

eiusque ſereniſſima coniux ANNA e domo *Brunſuicenſi*, teſtibus actis MS. prædicti IOANNIS, ex cuſtode abbatis, munificam ſe exhibuit: „Ob honorem S. Crucis illuſtris femina conthoralis illuſtriſſimi Principis noſtri ALBERTI dedit nobis unam caſulam ſamantinam roſei coloris & etiam duas dalmatias, & etiam cappam choralem eiusdem materiei (mihi, qui hæc ſcribo, adhuc viſas) & duo cuſſina ad ſanctam CRUCEM (quæ tunc pede carebat) unum ſamantinum rubrum & unum viride damaſcenum.“

Hactenus de memoranda S. Crucis portione, quam ALBERTO Comiti in acceptis refert poſteritas, & religioſe cuſtodit. Nunc ad reliqua eiusdem geſta recenſenda pergo.

Oo) Redux igitur & pecuniis egens, cum *Altahenſi* abbate POPPONE tractavit, promiſitque, ſe per annum integrum nihil a monaſterio exacturum, ſi centum talenta eidem traderentur, in quod tandem, licet ægerrime, conſenſit EKKBERTUS Epiſcopus *Babenbergenſis*, eo tempore ſcil. an. 1236 *Pataviæ* commoratus, & ab abbate ſollicitatus. (*M. B. XI.* 203.)

Pp) Hæc inter FRIDERICUS *Bellicoſus*, *Auſtriæ* Dux *Babinbergicæ* ſtirpis ultimus, cum vicinos omnes bellis laceſſeret, & Imperatoris mandata parvipenderet, ab eodem *Vienna* eiectus, *Neoſtadium* ſe recepit. Imperatore autem, cum civitatem *Viennenſem* ECBERTO prænominato Epiſcopo, ſtrenuo militi commendaſſet, *Ratisbonam* ad paſcalia celebranda reverſo, & Epiſcopo paullo poſt defuncto, FRIDERICUS animoſior factus, cum auxilio Comitis noſtri ALBERTI *Neoſtadio* egreſſus, in campo *Stainvelt*, nobilem de adverſariis ſuis victoriam obtinuit, teſte HERMANNO ad an. 1237. STRENPECK

PECK *Chron. Auſtr. H. PEZ. I.* 1215. de quo copioſe legendus *Sigismundus CALLES Annal. Auſtriæ Tom. II. p.* 307. *ſeqq.*

Qq) Rebus in *Auſtria* tandem compoſitis ad forum ſuum *Bogen* reverſus noſter ibidem anno 1238 monaſterio *Windbergenſi* omnium bonorum ſuorum decimas liberaliter tranſcripſit, idque, quod bene obſervandum, ad ſuam & dilecti domini fratris ſui (*uterini*) Ducis *Bavarie*, omniumque parentum, propinquorum (ſuorum) in carne viventium felicitatem perpetuam & ſalutem, in remedium quoque omnium defunctorum parentum ſuorum, nec non miniſterialium ſuorum, & aliorum dilectorum, quorum corpora in cimiterio predicte eccleſie & alias diem noviſſimum exſpectantia requieſcunt: (*Cod. diplom. N. L.*) nulla prorſus liberorum facta mentione, quos utique, ſi habuiſſet, haut foret præterminſſurus, cùm & miniſterialium ſuorum meminerit.

Hæc ſunt arma & facta viri illuſtris, cum bona, tum mala, quæ ſcripto nobis relicta ſunt. Fatis conceſſit anno 1242, & lineæ huic *Aſcuinianæ* finem impoſuit, quippe nulla prole beatus.

Annum diemque 20, non 13. Ian. ut GANSERI interpres, ſervarunt HERMANNUS abb. (*M. B. XI.* 23.) Item in *Annal.* ad eundem annum.

„ Anno itaque dni M. CC. XLII. moritur predictus ALBERTUS Comes de *Pogen* ſine herede XVIII. Kalend. Februarii, cui ſuccedit in advocatia huius Eccleſie OTTO Comes palatinus *Rheni* Dux *Bawarie*, cuius ſtudio totus comitatus in optatam pacem & neceſſariam reformatur. “

Necro-

Necrologium *Windbergenſe* (*M. B. XIV.* 91.) „XIIII. Kal. Febr. ALBERTUS iunior Comes advocatus loci huius obit. MCCXLII.“

Necrologium *Seligenthal* (*M. B. XV.* 548.) „XII. Kal. Ian. Herr ALBERTUS von Bogen.“

Ita quoque Chronicon brevè MS. *Mulſtatenſe*. „A. d. MCCXLII. Comes ALBERTUS de *Bogen* obiit.“

Quo iure OTTO Dux Bavariæ *Bogenſium* Comitum hæreditatem adierit, excluſa linea ſeniore FRIDERICI ſuperſtite, infra disquirendi locus erit.

Num. 46. REICHIZA, uxor ALBERTI IV.

A) Hoc nomine eam compellat HERMANNUS abbas in *Cod. prob. N. II.* AVENTINUS autem *Annal. VII. cap. 6. n. 19.* RICHISSAM, quod idem cum *Richenza*, ſeu *Reuza*. Prior eam ſterilem fuiſſe refert, fatenturque omnes, nulla ex iſto coniugio prole ſuſcepta, hæreditatem ad fratrem uterinum perveniſſe.

Calumniam adulterii, cuius GANSERUS eius maritum ALBERTUM incuſare non dubitavit, BERTHOLDUM IV *Nothum* eidem affingendo, iam ſupra (N. 43. S. ſeq.) abſterſi.

Supereſt, ut in genus huius matronæ inquiram.

E Comitibus de *Dillingen* eam ſcripſi in *tab. II. volumini XII. Mon. boic. p. 22.* adiecta, cuius nunc ratio reddenda.

B) Ano-

Digitized by Google

B) Anonymus *Altahenſis* (N. 44 B.) de filiabus OTTONIS M. primi ex *Schyrenſibus* poſtliminio *Bav.* Ducis agens, ſcribit: „Tertiam duxit HENRICUS Comes de *Pleien*---Quintam duxit ADALBERTUS Comes de *Dilingen*, & genuit ex ea RICHIZAM, uxorem ALBERTI Comitis de *Pogen*, & uxorem RAPOTONIS Comitis palatini Bavariæ.

C) Si de RAPOTONE II. loquatur autor, manifeſte fallitur; MATHILDIS enim huius uxor, OTTONIS non neptis, ſed immediata filia erat. Si autem de RAPOTONE III. tunc iſta prætenſa RICHIZÆ ſoror, prima eius uxor, & cito defuncta fuerit, neceſſe eſt, quoniam ADELHEIDIS, *Burggravia Nurnbergenſis*, marito ſuperſtes erat. (*Hiſtoriſche Abhandlungen der baieriſchen Akademie vol. VI.* 223. *ſeq.*) Fuiſſet inſuper conſobrina mariti: quod tamen illa ætate non infrequens.

D) In recenſendis hisce filiabus *anonymum* prædictum tantiſper ceſpitaſſe, alibi obſervavi: non ideo tamen ubique & conſtanter hallucinatum exiſtimo. Quid igitur obſtat, quo minus credamus, RICHIZAM noſtram filiam fuiſſe ALBERTI *Dillingenſis*, & OTTONIS M. ex filia anonyma neptem?

E) Hinc autem divinare licet, cur ALBERTUS IV. GEBHARDUM Epiſcopum *Patavienſem*, e Comitibus de *Plagen* oriundum, HENRICI nepotem, dilectum ſuum *conſanguineum* ſalutaverit. (N. 45. M.)

In proprio quidem, & ſtricto ſenſu id accipi nequit; eoquod nullus ſanguinis nexus a communi aliquo ſtipite *Bogenſes* inter atque *Playenſes* oſtendi valeat.

Igitur

Digitized by Google

Igitur latiore & vulgari loquendi modo pro quacumque demum propinquitate *το conſanguineus* intelligendum. Adparet autem ex adiecta *tabula K.* GEBEHARDUM Epiſcopum ALBERTO IV. tertio gradu fuiſſe *affinem*, ſpectato computo eccleſiaſtico.

F) An noſtra RICHEZA, poſt mariti obitum, ſuperſtes fuerit, neſcio, crediderim tamen, eoquod illa, utpote ſterilis, prius defuncta, alteri fors fœcundo connubio locum feciſſet. Quando & ubi tumulum invenerit, non liquet. In Necrol. *Windberg.* legitur: „ XII. Kal. Iulii REIHZI comitiſſa. " Quod de noſtra intelligo; cum enim eius maritus, fundatoris cœnobii pronepos, in illud admodum fuerit beneficus, facile etiam uxoris memoriam meruit.

Num. 47. BERTHOLDUS III.

A) De iſto indubitato ALBERTI III. filio altero non nulla commemorat GANSERUS *p.* 474. quæ ad eius avum BERTHOLDUM II. referenda ſunt.

Sic in traditionibus *Alderſpacenſibus M. B. vol. V. p.* 316. *& ſeq.* quibus an. circa 1170 inſcribitur, occurrit BERTHOLDUS Comes a *Bogen*, non modo primus teſtis, ſed etiam iudex, quo tempore ALBERTUS III. eius parens, quinquennis erit. Legendum itaque: ante an. 1168 BERTHOLDO II. fatalem.

Iterum ibidem circa an. 1180 *pag.* 329. N. L. fit traditio per manus Comitis BERTHOLDI de *Bogen*, vix in cunis vagientis, quia pater eius tunc agebat annum ætatis XV. Hinc & iſta æra coniecturalis in aliud tempus transferenda, quæ alterutri BERTHOLDO, avo, aut nepoti congruat.

Digitized by Google

B) Qui in traditionibus *Oberaltacenſibus* ibidem allegatis legitur BERTHOLDUS, tertius quidem, & hic noſter eſt, ſed male a GANSERO ſub nomine *pueri Comitis de Bogen* intelligitur, utpote quod de germano eiusdem LEOPOLDO exponendum eſſe, infra N. 49. commonſtrabo.

Quæ BERTHOLDUM iſtum *tertium* propius adtinent, turbas nimirum varias atque diſcordias cum inter ſe primum, tum cum vicinis Comitibus atque Epiſcopis concitatas, ortasque adverſum eos querelas, quæ ei cum germano ſuo communes erant, iam ſupra N. 45. expoſui, nec heic repetere velim.

C) Priusquam ad expeditionem ſacram pro recuperanda *Hieroſolyma* ſuſcipiendam anno 1217 ſe accingeret, donationem iam olim *Nideraltacenſibus* factam confirmavit. (N. 45. Q.) Eademque occaſione etiam monaſterio *Oberalteich* quædam prædia delegavit, immo reſtituit, ut patet ex codice traditionum *M. B. XII. p.* 74. *n.* 112. „Noverit - - quod Comes BERTHOLDUS de *Bogen* profecturus *Ieroſolymam &c.* (*Cod. prob. N. XXXIV.*)

D) Hæc ipſa autem expeditio, quam copioſe deſcribit *Sigiſmundus CALLES. Annal. Auſtriæ Tom. II. p.* 201. *ſeqq.*, cui cum germano ſuo interfuit noſter, eidem fatalis fuit, prout ad an. 1218 narrat HERMANNUS abbas in *Annal.* verbis ſequentibus: „Chriſtiani in transmarinis partibus *Cæſaream* & Turrim *Stratonis* reædificant, inde poſt multas deprædationes ad munitionem montis *Thabor* accedentes viriliter duabus vicibus impugnarunt, quam munitionem poſtea ipſi *Saraceni* timore chriſtianorum deſtructam reliquerunt, deinde coadunato exercitu chriſtianorum civitatem *Damiatam* obſidione cingunt,

Digitized by Google

gunt, & turrim munitiſſimam in medio fluminis ſitam, & catenam fluminis LV. pedes habentem, viriliter occupaverunt, ubi tantum milites electi XL. inter quos erat Comes de *Bogen* (BERTHOLDUS) cum aliis fracto inſtrumento in flumine præcipitati ſunt. Hæc ad an. 1218 in quem conſpirant necrologia, *Windbergenſe*: „II. Idus Auguſti PERTHOLDUS Comes MCC XVIII.“ & *Oberaltacenſe*: „II. Id. Auguſti PERTHOLDUS Comes de *Pogen* MCCXVIII.“ & Chronicon MS. *Mulſtadenſe*: „A. d. MCCXVIII. BERTHOLDUS Comes de *Pogen* obiit, & *Straubingen* conſtruitur.“

E) Deiſto BERTHOLDO ſcribit *BUCELINUS Germaniæ ſtemmatographicæ Tom. III. P. II. Litt. A a a. 2. pag. 3.* „BERTHOLDUS Comes ob res fortiter geſtas locum prope *Benacum* meruit, & caſtrum *Arch* exſtruxit.“ Eidem quoque filium tribuit BERTHOLDUM, qui caſtrum *Arcu* plurimum muniverit.“ Parum iſta verosimilia, & ſine auctore dicta; ſi enim BERTHOLDO iſti filius fuiſſet, certe ALBERTO IV. Patruo ſuo absque liberis defuncto præ uterino fratre OTTONE *Bavariæ* Duce ceu agnatus proximus in bona avita ſucceſſiſſet.

Probabiliorem caſtri *Arcuani* originem ſupra N. 19.) detexiſſe mihi videor.

F) Supereſt, ut ad fidem meam liberandam de ſigillis a noſtro uſitatis heic agam.

Illud de annis 1209 & 1217 conſpicere eſt vol XI. *M. B. tab. III. n.* 24. equeſtre, ubi *Rhombi*, quos hodie *boicos* dicimus, in ſcuto pectorali & vexillo manifeſte adparent, ſimillimum ei, quod & germanus frater ALBERTUS frequenter adhibuit.

Alterum vero, quod parens ALBERTUS III. pro firmando diplomate *Windbergenſibus* anno MC94. dato, eidem ſupra vindicato, adhibuit, itidem equeſtre eſt, ſed præ illo non vna ex ratione memorabile (*Tab. II. ſigill. n.* 1.) cuiusmodi in *Bavaria*, quod quidem ſciam, haćtenus non comparuit. Exhibet BERTHOLDUM admodum iuvenem, equo inſidentem, qua lævam reſpicit, nudo capite, ſiniſtra clypeum cum *Arcu* erecto & chordâ, dextra vexillum tenentem, ſine lorica, ſine ſtapete, ſine ocreis & calcaribus, cum inſcriptione: ✠ COMES BERTHOLDUS DE BOGEN.

G) Equidem ſigilla non deſunt, apud HEINECCIUM *de ſigillis P. I. cap. X. n. XXV. p.* 127. ubi Principum filii iuvenes equeſtres viſuntur. Rariora tamen ſunt, & in patria noſtra nondum viſa, præſertim pro hac BERTHOLDI ætate, quam tunc agebat, a parente an. 1165 nato vix ante annum 1183 in lucem editus, adeoque an. 1194 XI. forte annorum.

Sed iſtud magis infrequens, quod BERTHOLDUS vivo parente, non modo proprio ſigillo inſtrućtus, ſed illo ipſo parens quoque uſus fuerit ad firmandam propriam donationem, cuiusmodi exemplum haćtenus videre mihi non contigit. Inde autem, ut obiter obſervem, egregie confutatur recentiorum quorumdam opinio apud Cl. D. *Philippum Wilh. GERKENIUM Anmerkungen über die Siegel zum Nutzen der Diplomatik* 8. *Aug. Vind.* 1781. *p.* 135: *ſeqq.* aſſerentium, Principum, Comitumque filiis, vivo patre, proprii ſigilli ius nullum fuiſſe. Immo ſigillum iſtud documento eſt, illos, etſi regiminis paterni nondum communionem adeptos, adeo huius iuris expertes non fuiſſe, ut ipſe parens agnoverit, illudque inſtrumento ſuo adponere non dubitaverit.

H) An

H) An autem, quod laudatus D. GERKENIUS porro obſervat, huiusmodi filii minores diverſum a paterno ſigillum, aut ſigno quopiam addito diſtinctum, neceſſario adhibere debuerint, ex iſto quidem diiudicari nequit, quoniam nullum hucusque ALBERTI III. ſigillum adparuit.

Illud, quod in archiepiſcopali archivo *Salisburgenſi* adſervatur, & cuius delineationem inde benevole communicatam accepi, tab. II. n. 1. ita comparatum eſt, atque detritum, ut *Rhombi*ne, an *Arcus* erectus ſculpti quondam ibidem fuerint, ſecure ſtatui nequeat. Si tamen coniecturis agendum, cum utrumque patris & filii ſigillum ut ovum ovo ſimillimum ſit, pro *Arcu* potius, quam pro *Rhombis* præſumtio foret, dubiamque Clar. GERKENII obſervationem redderet.

Num. 48. CHUNEGUNDIS, coniux BERTHOLDI III.

A) De BERTHOLDI huius coniugio nihil nobis omnino conſtaret, niſi *Excerpta* AVENTINI *ex actis ALBERTI Bohemi archidiaconi Patavienſis* apud illuſtrem OEFELIUM *Tom. I. p.* 793. *b.* uxoris meminiſſent, ſequentibus verbis: „BERTHOLDI Comitis de *Pogen* uxor KUNEGUNDA DIOTMARUM abbatem *inferioris Altah* excommunicavit, quod oraret pro FRIDERICO Imperatore &c. Actum *Chirchdorf.* V. Kal. Aug. MCCXLII.“

Idem nomen, neſcio unde acceptum, uxori tribuit *Aemilianus* HEMMAUER in *Chronico monaſterii Oberalt. p.* 96.

GANSERUS *p.* 483. pro ſua novandi libidine non iſti BERTHOLDO III., ſed quem fingit, ALBERTI IV. *ſpurio* filio BERTHOLDO *quarto* coniugem hanc tribuit, eoquod I. BERTHOL-

DUS

DUS III. iam anno 1218 obierit, hæc autem anno 1242 ſuperſtes fuerit: II. Quod non *vidua*, ſed *uxor* dicatur. Riſum teneatis amici! Anne inſolitum, fœminam iuvenem, poſt fata mariti præmatura, viginti duobus annis ſupereſſe? Aut ideo iam non *uxor* dici poterat, quia nunc *vidua*? Nempe uxor *relicta*, quemadmodum cœci vident, & claudi ambulant, & ſurdi audiunt. An ALBERTI IV. filius, ſi quis fuiſſet e thoro hoc nothus, dignitatem Comitis de *Bogen*, quæ noſtro heic tribuitur, ſortitus fuiſſet contra omnium ſæculorum morem? Verum de iſta calumnia ſupra ſatis actum in ALBERTO III.

B) Quid autem ſibi vult iſtud, quod fœmina dicatur *excommunicaſſe* Abbatem?

Niſi AVENTINUS feſtinanter excerpendo ceſpitaverit, crediderim, iſtam comitiſſam a partibus ſtetiſſe ALBERTI *Bohemi*, & ſententiam *excommunicationis* ab eodem, ut ille hac in re admodum erat præceps & frequens, contra abbatem prolatam repetiiſſe, & ab eius communione in gratiam ALBERTI ſe ſeparaſſe, quod *excommunicare* olim dictum fuiſſe, legere me memini.

Neque etiam rarum eſt, ut laici quoque huiusmodi *excommunicationis* fulmen in eos ſpargerent, qui donationes piis in locis a ſe factas infringere adtentarent: quæ tamen loquendi formulæ pro cenſura proprie dicta accipi non debent, ſed pro meris imprecationibus.

Quidquid ſit, id ſaltem conſtat, BERTHOLDUM noſtrum cœlibem haut obiiſſe, cuius relicta uxor poſt mortem ALBERTI IV. improlis leviri ſui ſpeciem quamdam iuris advocatitii

Digitized by Google

catitii contra *Altahenſes* intemperanter ſibi arrogare præſumſit.

Matronæ huius genus, ut cætera eius alia fata, aut facta, profundis involuta ſunt tenebris, nec ulla ſpes, eas diſſipatum aliquando iri, adfulget,

Num. 49. LEOPOLDUS.

A) Noviſſimus iſte ALBERTI III. & LUDMILLÆ filiorum fuiſſe videtur, etiamſi ante germanos ſuos primo plerumque loco efferri ſoleat, forte ob clericatus honorem, quo a teneris erat initiatus. Ita HERMANNUS Abbas in ſuo *codice M. B. XI. p.* 22. „ Attamen moriens (Albertus III.) filiis ſuis LUIPOLDO *clerico*, PERTHOLDO & ADELBERTO (IV.) quos genuerat ex LUDMILLA, reliquit comitatum plenum divitiis & honore.“ Eodem ordine recenſentur ab *anonymo Altahenſi* apud LEIBNITIUM *Script. Brunſuicenſ. Tom. II. p.* 21. „ FRIDERICUS Dux *Boemiæ* - - genuit ex ea LUDMILLAM, quam duxit ALBERTUS Comes de *Bogen*, & genuit ex ea tres filios LUIPOLDUM *clericum*, & BERTHOLDUM, & ALBERTUM Comites.“

B) In Codice traditionum *Admontenſium* apud *Bern. PEZIUM theſaur. anecdot. Tom. III. P. III. col.* 769. hæc legitur ſubſcriptio: „ Actum eſt hoc in ipſo loco *Admontenſi* anno incarn. dom. MCCI. indict. IIII. quinto Kal. ſeptb. coram teſtibus, quorum nomina ſunt hec: PUER COMES DE POGEN, VDALRICUS de *Tekindorf* - -“

Suſpicabar aliquando, in codice autographo forte ſcriptum fuiſſe *Per*, quæ litteræ initiales denotarent *Pertholdum* comitem

tem de *Bogen*, incuria autem amanuenſis, aut typothetæ poſitum fuiſſe *Puer*. At vero datis hac ſuper re ad reverendiſſimum D. MATTHÆUM Abbatem loci, fautorem meum ſingularem, litteris, & benevolo inde reſcripto an. 1769 edoctus fui, non modo in inſtrumento primigenio, ſubmiſſa etiam characterum forma *tab I. n. b.* diſtincte exſtare verba a PEZIO expreſſa: *Puer Comes de Pogen*, ſed etiam in perantiquo archivi *Admontenſis* indice legi - Teſtantibus, *puero Comite de Pogen.*

C) Inde autem novum mihi ſuboriebatur dubium, quis iſte foret PUER *Comes de Bogen*, diuque hæſitavi anceps, donec tandem poſt multam indaginem expertus ſum, *clericos* in minoribus conſtitutos, dictos non raro fuiſſe *Pueros*, quod exemplis iam comprobare, haut extra oleam fuerit. Apud MEICHELBECK H. F. *Tom. I. P. II. n.* 1328. ſub OTTONE I. an. 1158 defuncto exſtat traditio huius tenoris: „ Noverint - qualiter duo nobiles VDALRICH & frater eius ADALBERO de *Tannern* tradiderunt - - ea videlicet ratione, ut quamdiu ipſi vivant, reditus ex eodem predio (*Gieſenbach*) accipiant - - ac poſt mortem illorum HERRANDUS *diaconus*, & HERRANDUS *ſubdiaconus*, & poſt illos OTTO *puer*, ac deinde quilibet illorum conſanguineus, qui ſit de *congregatione canonicus* idem predium in beneficium accipiat, & in anniverſario illorum die congruum inde ſervicium fratribus exhibeat. “ En *Puerum canonicum*, nondum *ſubdiaconum*, forte *acolythum*!

In necrologio *Admontenſi* apud *Hieron. PEZ Scriptor. Auſtriæ Tom II. p* 200. legitur: „ REGINHALMUS *puer & canonicus Seccovienſis.* “

Inter

Inter teſtes clericos, qui diplomati fundationis monaſterii *Ciſtercienſis Landſtroſs* a BERNARDO Duce *Carinthiæ* factæ ſubſcripſerunt, legitur: „ *Nobilis puer de Owerſperch* “ h. e. *Auerſperg. Auſtriæ ſacræ Tom. IV. P. I. p.* 239.

D) *Chronographus Siloenſis* ad an. 1181. apud *Gelaſium* DOBNER *Monument. Hiſtor. Bohem. Tom. I. p.* 99. referens, quomodo Comes WILHELMUS ex iniuncta ſibi a Papa pœnitentia volens clauſtrum conſtruere, uſus fuerit conſilio & auxilio GOTSCHALCI Abbatis *Siloenſis*, ait: „ Qui in continenti concedit ei honeſtos de clauſtro ſuo viros, ſcilicet iſtos: MANDUVINUM *priorem* ſuum, & EBERHARDUM *presbyterum* cognatum eiusdem WILHALMI, & tertium *puerum*, nomine RICHWINUM, qui domos interim & manſionem conventus præpararent. “

Sed & ipſe chronographus *Siloenſis*, ſeriem vitæ ſui Abbatis GOTSCHALCI texens, de ſe ipſo loquitur *pag.* 108. „ Manſi apud eum *puer* ſeptem fere annis ante obitum ſuum “ Idem *puer pag.* 111. adpellat ſe *capellanum* eius, ac demum ad an. 1184. *pag.* 118. refert, quomodo ad *diaconatus* ordinem fuerit promotus.

Et cui demum eruditorum poteſt eſſe ignotus ludus ille *puerorum*, h. e. *clericorum* in Eccleſiis quibusdam cathedralibus, præſertim *Ratisbonenſi*, olim uſitatus, ut clerici iuniores atque ſcholares in feſto INNOCENTUM unum ex ſe Epiſcopum eligerent, cui & pontificalia inſignia tradebantur, illeque collectas & benedictiones legeret. Hunc ritum ex codice S. MARTINI *Turonenſis* deſcribit *Edmundus* MARTENE *de antiquis*

Eccleſiæ ritibus Tom. III. cap. XIII. n. XI. p. m. 39. & etiam *Bern.* de rubeis in *diſſertat. de vetuſtis liturgicis ritibus p.*295. *ſeq.*

Quoniam vero in huiusmodi puerilibus ſcenis exceſſus plurimos oriri contigit, cuiusmodi legere eſt M. B. XIII. 214. & Romanorum Pontificum, & ſynodorum canonibus coerceri debuerunt. Inter alia concilium *Salisburgenſe* an. 1274 apud CANISIUM BASNAGII *Tom. IV. p.* 90. ſtatuit: „Ad hæc quidam ludi noxii, quos vulgaris elocutio *Epiſcopatus puerorum* adpellat, in quibusdam Eccleſiis exercentur adeo inſolentes, quod non nunquam enormes culpæ & damna gravia ſubſequantur ex ipſis. Hos ludos in eccleſiis & a perſonis eccleſiaſticis (pueris) de cætero fieri prohibemus, niſi forte parvi XVI. annorum & infra fuerint, qui huiusmodi ludos exercent, quibus alii ſeniores ipſis nullatenus ſe immiſceant aut interſint.“

Verum iſte abuſus altiores radices egerat, quam ut tam facile abrogari poſſet. Teſtatur enim ARENPECKIUS in *Chron. Boiar. lib. V. cap.* 53. *col.* 356. apud *Bern. PEZIUM theſaur. Tom IV.* eum ad annum 1357 usque perduraſſe: „Poſt in die Innocentum *Reich* civis *Ratisponenſis* occidit Magiſtrum CONRADUM de *Prunovia*, canonicum cathedralis Eccleſiæ (Ratisbon.) cum ipſi equitarent cum ſuo *Epiſcopo*, ſcil. *puerorum*, quod FRIDERICUS Epiſcopus interdictum poſuit, & facta eſt diſcordia & lis magna inter clerum & cives, ita quod cives inter ſe ſtatuerunt, ut nullus ex eorum filiis ſeu ſcholaribus in *ſumma* & *veteri capella* ſcholas viſitare debuiſſet, quod ad aliquod tempus duravit. Tuncque ceſſavit ludus ille, quem vulgaris elocutio *Epiſcopatum puerorum* adpellat, qui cum magnis expenſis novorum canonicorum fiebat, decretumque ex tunc eſt, ut huiusmodi ſtatuta per novos canonicos ſolvenda ulterius

ad

ad fabricam & ſacrarium darentur pro ornamentorum Eccleſiæ augmento. Immo ſubſequentis ſæculi anno 35 & 47 in ſynodo *Eyſtetenſi* hic abuſus iterum proſcribitur *cap.* 51. de ſpectaculis in Eccleſiis non faciendis apud FALKENSTEIN *Cod. diplomat. Nordgov. II.* 70.

E) Hæc ex multis ſufficiant, ut lectori perſuaſum ſit, *pueri* nomine non venire ætate talem, ſed *clericum minorem.*

Itaque *puer Comes de Pogen* in codice *Admontenſi*, non eſt BERTHOLDUS, ut GANSERO viſum, ſed LEOPOLDUS, iam anno 1101. *clericus*, & forte canonicus Eccleſiæ cathedralis *Babenbergenſis*, unde in hanc usque diem Præpoſiti ad *veterem capellam Ratisbonæ* adſumuntur, quam dignitatem etiam LEOPOLDUS noſter, incertum quo anno, obtinuit, pueritiam certe egreſſus anno 1101 ætatis forte XVto.

F) GANSERUS *p.* 473. §. 3. *n.* 2. HUNDII in *Metropoli Tom. II. pag.* 7. *primæ edit.* hallucinatione deceptus, ſcribit, ALBERTUM Abbatem *Windbergenſem* POPPONI *Nideraltacenſium* præſuli quædam vendidiſſe, præſente advocato LEOPOLDO Comite; cum tamen uterque noſſe potuerit, toto huius Comitis & POPPONIS vitæ tempore nullum *Windbergæ* ſediſſe Abbatem, ALBERTI nomine compellatum.

Haut equidem diffiteri licet, in codice HERMANNI Abbatis toties allegato, *p.* 27. ſequentia legi: „ Vniverſis - - IOANNES Abbas de *Windberge* cum univerſitate - - notum facimus, quod nos propter vehementem eccleſie noſtre neceſſitatem - - - preſente tum temporis advocato noſtro Comite LIUPOLDO & BERCHTOLDO de *Stainberch*, aliisque miniſteria-

Digitized by Google

ſterialibus Comitis, quedam bona Eccleſie noſtre - - venerabili in Chriſto POPPONI abbati de *Altach* pro quadam ſumma argenti vendidimus.“ Præmittitur errore typi: *circ. an.* 1232, quo LEOPOLDUS dudum funus erat: hinc legendum: *circ. an.* 1212.

Videtur autem in hoc apographum mendum irrepſiſſe, & loco LEOPOLDI ſcribendum fuiſſe, ALBERTI, aut BERTHOLDI; cum LEOPOLDUS iam ab anno 1101 *clericus*, advocati munere fungi haut potuerit, ipſe potius in negotiis ſuis advocato uſurus. Ceſpitavit & HUNDIUS, pro IOANNE ALBERTUM ſcribens.

G) Acta huius LEOPOLDI ab anno 1202, quo cum germanis ſuis de prædio *Gurkfeld* cum Archiepiſcopo *Salzburg.* ad S. MARIAM *in Solio* (Maria Sal) transegit N. 45. C.) usque ad diem obitus in obſcuro ſunt. Fallitur inde GEWOLDUS ad HUNDII *Metrop. II.* 87. *nov. edit.* anno 1226 defunctum notans, nec minus fallitur GANSERUS, priorem emendare cupiens, *p.* 474. *&* 478 ibidem annum 1216 vel 1220 ſubſtituens, hac ratione ductus, quod in *codice tradit. Oberalt.* quem *rubrum* dicunt ad annum 1217 notetur, ALBERTUM IV. ante ſuam profectionem, in obſequium crucifixi hoc anno cum fratre BERTHOLDO ſuſceptam, tertiam partem fori ſui *Pogen*, quæ hæreditarie contingebat fratrem LIUPOLDUM, prædicto monaſterio delegaſſe. Inde autem conſequi exiſtimat, LEOPOLDUM tunc iam fuiſſe defunctum, quod ſecus de hæreditate viventis disponere non valuiſſet.

Lubens permitto, iſtam traditionem hoc anno 1217 viva voce factam, & ſub hac nota codici inſertam fuiſſe, quemadmodum BERTHOLDUS eodem anno bona iniuſte poſſeſſa eidem

mo-

monaſterio reſtituit. (N. 47.) Hinc autem LEOPOLDI obitus inferri non poteſt, cuius neque in hac traditione, neque in inſtrumento de anno 1220, ubi illa rata habetur, ulla fit mentio, quemadmodum tamen ALBERTUS IV. in alio pro *Nideraltacenſibus* de anno 1222 defuncti fratris ſui BERTHOLDI diſſerte meminit, & 1225 iisdem bona quædam largitur, quæ ex morte fratris ſui LIUPOLDI hæreditaria ſucceſſione ad eum defluxerant. (*Cod. prob. N. XXXIX.*)

H) Vero igitur mihi ſimile videtur, LIUTPOLDUM poſt anteceſſoris ſui GOTHEFRIDI obitum anno 1215 præpoſituram *veteris capellæ Ratisbonæ* adeptum, hanc tertiam fori ſui partem, quæ in hæreditatis paternæ diviſione ei in ſortem venerat, donatione inter vivos germano ſuo ALBERTO ceſſiſſe, qui cum neque an. 1220 mortem LEOPOLDI memoret, hinc merito infertur, eum anno demum ſequente vivere deſiiſſe, quem annum notat necrologium *Windbergenſe*, coæva manu ſcriptum: „VII. Id. Maii LIUPOLDUS canonicus & præpoſitus an. MCCXXI.“ Cui iunior manus recte ſubiungit: *Comes de Bogen.*

I) *Babenbergenſis* Eccleſiæ cathedralis canonicum fuiſſe, ſupra E hariolatus ſum, quam coniecturam firmat *Martinus HOFMANNUS Annal. Bamberg. lib. I. col* 56. *c.* „teſtatus, veterem B. V. capellam *Ratisbonæ* a S. Imperatore HENRICO Eccleſiæ iſti adiectam fuiſſe, vnde eam adhuc hodie reſpicit, & ex veteri inſtituto ſuum ex *Babenbergenſibus* canonicis præpoſitum habet.“ Quod hodierna etiam experientia comprobat.

ADPENDIX.

Hactenus originem & fata illuſtriſſimæ huius familiæ, eiusdemque ſuperſtitis hodie ſurculi Comitum ab ARCU, quantum

tum per documenta reperta licuit, operoſe ſatis perſequutus fui. Supereſt, ut porro I. de ipſo eorum nomine: II. de illorum latifundiis quondam poſſeſſis: III. de officialibus hæreditariis: IV de inſigniis eorum gentilitiis non nulla ſubiiciam, ac demum V. disquiram, cur poſt lineæ ASCUINIANÆ improlis defectum, ſuperſtite hærede maſculo lineæ *Fridericianæ*, ab *Arcu* dictæ, hac præterita, OTTO illuſtris *Bavariæ* Dux, ALBERTI poſtremi frater vterinus, pinguem eorum hæreditatem adierit, de quibus per totidem §§. ſenſa mea aperiam.

§. I. De nomine Comitum Bogenſium, eiusque derivatione.

A) Dudum, priusquam iſtorum Comitum nomen innotuit, aut in documentis legi potuit, octavo iam ſæculo, ſub ipſo *Agilolfingorum* Principum, VTILONIS-TASSILONISque ævo, in noſtra *Boiaria* quidam terrarum tractus occurrit, *Pogana* dictus, cui Comites iſti, tunc nondum exſiſtentes, nomen indere non poterant, ſed ab eo accipere.

In charta veterrima VROLFI abbatis *Nideraltacenſis*, quam HERMANNUS abbas non mutatis nominibus, vel latinitate, nec minuto vel addito numero litterarum iuſſit moderna ſcriptura per omnia transſcribi, ſequentia, prout huc faciunt, leguntur. (*M. B. XI.* 15. *ſeq.*)

„ In villa *Pogana* dedit PALDO cum licentia OTILONIS manſos IIII. & de vinea lornales III. & EINHARDUS atque SIGIPALDUS per comeatum TASSILONIS dederunt in *Pogana* locum qui vocatur *Hugipertingahofa* cum manſos XXVI. cum omni marcha ſua vineas cum cultoribus ſuis. "

P. 16.

Digitized by Google

P. 16. „Seruus dominicus nomen TAGADEO dedit unam aliusque ſeruus dominicus nomen ADALHRIH cum coniuge ſua dedit manſos III. ad *pogana* - - HEITO dominicus ſervus dedit unam manſem per comeatum TASSILONIS & LIVDPALD ſimulque & WALHMUNT dederunt colonias IIII. (ad *pogana*) & WICPALD dedit per comeatum TASSILONIS manſos II. ſunt namque colonias IIII. quod dederunt *Thomrih. Kundihlo. Otilo.* dominici homines per comeatum TASSILONIS (ad *pogana*).“

P. 18. „Et hoc quod ſupra memorare debuimus, nunc addere ſtuduimus, ut nichil exinde remaneret, quod quidem ſupra ſcriptis SIGIBALDUS & EINHARD uineas X. ad montem qui dicitur *Grinlo*, ſive ad *Gozboldeſberg* nec non *Welihhinberg*, id eſt, iuxta danubium, ipſas vineas pertinent ad *Clirisbach*, ſive ad *Pogana*.“

B) At unde huic diſtrictui nomen *Pogana*? Crediderim inde, quod inter duos fluvios, quorum unus *Pogana orientalis*, alter *occidentalis* dicebatur, & adhuc hodie nomen *die Bogen* retinent, eius pars aliqua, & ipſa Comitum ſedes ſita fuerit.

Firmat hanc coniecturam diploma CAROLI *craſſi* Monaſterio *Metenſi* anno 882 datum. *M. B. XI.* 431. ubi legitur: „Qualiter domnus anteceſſor noſter KAROLUS bone memorie ſereniſſimus Imperator, nec non etiam cariſſimus frater noſter HLUDOWICUS inclitus Rex quasdam res proprietatis illorum conſiſtentes in *Baioaria* conceſſerunt ad Monaſterium, quod vocatur *Metemum* - - id eſt, de fonte *orientalis Pogana* usque in *Echirichesbuoh*, deinde in *Vrcho*, & inde viſum (ſurſum)

Digitized by

ſum) iuxta *Reganum*, inde vero in Aſchach, inde vero in *Tuniesberg*, deinde in *Hornbere*, inde vero in fontem *occidentalis Pogana.*“

Pogana orientalis e ſeptentrione prope Monaſterium *Gotteszell* orta, extra mœnia occidua urbis *Deggendorf* Danubium influit, & ab APELLIO vol. V. *Comment. hiſtor. academ. boic.* 357. perperam ad villam *Pfoling* infra *Pogen* transfertur.

Pogana occidentalis itidem ab aquilone in *Elſpettenzell*, præpoſitura monaſterii *Oberaltach &c.* ſcaturiens, proxime oppidum *Bogen*, & imminentem eidem montem, Danubio miſcetur.

Quidquid igitur ſpatii hisce fluviis continetur, olim *Pogana* dicebatur, & hodiedum loci quidam occidentali *Poganæ* circa *Windberg* contigui, *in der Bogen* adpellantur.

C) *Pagi* nomen, quod APELLIO viſum, huic diſtrictui nullibi inditum deprehendi, etiamſi *comitatus*, *comitia*, *provincia*, dictus fuerit; eoquod hic terrarum tractus Comitum iſtorum dominio ſubditus fuerit.

Igitur ab hoc rivo, *occidentali* præſertim, qui ſerpentino quodam meatu, maxime in exitu ſuo, *Arcum* format, ipſi oppido, & eius quondam dominis, nomenclaturam tribuit, ut inde de *Bogen* dicerentur. Plerumque enim locis & adcolis nomen ab aquis adcrevit, ut notum eſt.

D) Primus quod ſciam, hanc adpellationem ſortitus eſt, aut ſibi ſumſit ASCUINUS apud HERMANNUM Abbatem (*Cod. prob.*

Digitized by Google

prob. N II.) „ ASCHWINUS Comes de *Pogen* - fuit advocatus eccleſie *Altahenſis.*“ Quod poſteris eiusdem usque ad tumulum inhæſit, & aliquoties etiam lineæ *Fridericianæ* tributum legitur, donec ALBERTUS abnepos, relicta ſede avita, prope lacum *Gardenſem* in confiniis *Tyrolis* & *Venetorum* novum a nomine ſuo caſtrum (*Arco dictum*) exſtruxit, cuius ſucceſſores & poſſeſſores ſe Comites *de & in Arcu* ſcribunt, cum addito: *de Bogen* dicti. Vid. N. 19. *ſeq.*

§. II. De prædiis eorum & latifundiis.

A) Præpotentes olim fuiſſe noſtros Comites, plurium prædiorum, caſtrorum, dynaſtiarum, immo integræ cuiusdam regionis dominos, pene in vulgus notum eſt. Iuvat tamen de iisdem paullo operoſius diſſerere.

AVENTINO teſte *Annal. VII. cap. 6. §. 13. p. 656.* totus ille tractus, qui *Ratisbonam* inter atque *Pataviam* a Danubio usque ad ſylvam bohemicam protenditur, ſpatium ſat amplum, illorum potentatui ſuberat. Sed ipſummet audiamus:

„ *Bogii* ſunt pagus, oppidum, arces, montes, flumina duo orientale atque occidentale *Boiariæ* ſeptentrionalis qua *Boiemiæ* conterminia in Hercyniæ ſaltu, unde ea regio *Boiorum* nomen ſortitur. Nam figurate communi vocabulo *Valda*, hoc eſt, ſylva, nempe Hercynia nuncupatur (hodie *der Wald*). Horum regulorum fuiſſe, quicquid ab hoſtiis *Regani* (*Regen*) Fluminis atque *Regiuoburgio* ad hoſtia *Iliſſi* (*Iltz*) *Bathaviam*que inter Danubium *Boiemiam*que interiacet, reperio. *Falkenſtein*, *Mitternfels*, *Windberg*, *Weiſſenſtein*, *Flinsberg*, *Naternberg*, *Bledling*: item in Boiemia *Schutenhofen*: in altera Danubii ripa *Iſenhofen* arcem atque vicum ad hoſtia *Iſaræ* poſſederunt.“

Digitized by

B) Singula heic recenſita facile probari poſſunt ex documentis, quæ hodiedum ſuperſunt, per decurſum paſſim allegatis, & in codice probationum relegendis: ubi tamen quæpiam obſervanda veniunt.

I. *Mitternfels.* Iſto in loco duo olim exiſtebant caſtra, quorum adhuc mentio fit in partitione terrarum Boiariæ inferioris inter STEPHANUM ex una, & ALBERTUM ac WILHELMUM Duces fratres ex altera parte de anno 1353, apud AETTENKOFER *Beylagen N. XLI. p.* 274. „Mitterfehls die zwo Veſſten und das Gericht und was darzu gehört.“

Prius quidem & princeps, mutata tantiſper facie, hodiedum ab electorali præfecto inhabitatum, Comitibus noſtris proprium fuiſſe videtur, & ad Duces ſucceſſores perveniſſe cum toto diſtrictu. Alterum, cuius adhuc viſuntur veſtigia, ſedes erat diſtinctæ familiæ, ab hoc ipſo loco de *Mitternfels* dictæ, quam ante Bogenſes Comites extinctam fuiſſe arbitror.

Nam in codice probationum N. XX. occurrit nobis femina ALHEIDIS, ſoror dni BERTHOLDI de *Miterfels* predia ſua in *Crizenchirhen* monaſterio *Oberalteich* delegans, cum aſſenſu Comitis BERTHOLDI (de Bogen).

In alia traditione ibidem N. XXVII. qua eccleſiam ſuam *Crizenchirchen* eidem monaſterio anno 1194 transſcribit, iam adpellatur ALHEIDIS de *Runtingen*, nempe interea *Werigardo* de *Runting* nupta.

Eadem, dum priores donationes ſub ALBERTO III. Comite de *Bogen* monaſterio factas renovat, profitetur ſe hoc facere domino

Digitized by Google

domino ALBERTO (quarto) Comite de *Bogen* ſolo ſuperſtite filio ALBERTI præmemorati an. 1221. (*Cod. prob. N. XXXVI.*)

Quod autem BERTHOLDUS ante dictus, ADELHEIDIS iſtius frater, alius a BERTHOLDO Comite de *Bogen* fuerit, evincit charta huius Comitis *Nideralteichenſibus* data an. 1209, (*Cod. prob. N. XXXII.*) cui teſtis ſubſcripſit BERTHOLDUS de *Mitternvels.*

C) II. *Naternberg* caſtrum, cum integra præfectura, & *Plaedling*, oppidum eidem ſubiectum, male ab AVENTINO Boiemiam inter atqne Danubium locatur, cum prius ad dexteram Danubii ripam in pago *Donagowe*, iſtud autem ad lævam Iſaræ, quæ infra *Naternberg* priori iungitur, exiſtat, ut in obvia mappa topographica videre eſt.

D) III. Præter poſſeſſiones ab AVENTINO (A) ſummatim recenſitas, ſuperſunt plures aliæ heic commemorandæ. HENRICUS III. Imperator HARTUICO, Comitum iſtorum auctori, anno 1054 ſex regales manſos in proprium donavit, duos in villa *Wolframesdorf* dicta, duos in *Lindam*, & duos in *Ratmaresreut* cum omni utilitate in pago *Northowe*, in comitatu HEINRICI ſitos. (*Cod. prob. N. I.*)

E) HARTUICI huius filio FRIDERICO I. HENRICUS IV. Imp. an. 1086 ob fidele ſervitium tradidit villas ſitas in Marchia, quæ vocatur *Camba*, ſic nominatas: *Grawat*, *Vurte*, *Mazelin*, *Tichanesdorf*, *Traſanesdorf*, *Buchperg*, *Sichowa*: idem forte, quod *Sicca*, ſeu *Schützenhofen*: vid. N. 13. G. H. (*Cod. prob. N. II.*)

Digitized by

F) Vltra Oenum quoque in' præfectura *Maurkirchen* BERTHOLDUS II. quemdam *comitatum* poſſedit, haut dubie a progenitoribus ſuis acceptum, uti patet ex dictis N. 38. C. *ſeq.*) ubi prædium *Rospach* ſitum fuiſſe dicitur.

Nec multum erravero, ſi Comites iſtos etiam in hodierna *Auſtria*, *Boiariæ* quondam portione, prædiorum, vinearumque divites fuiſſe dixero. Quod ex pluribus eorum donationibus de rebus ſuis in *Oriente* ſitis, ad diverſas Eccleſias factis, & per decurſum recenſitis, conſtat.

Tractus ille *Auſtriæ* borealis, *Boigreich* quondam dictus, ab iſtis Comitibus nomen traxiſſe videtur, etiamſi Cl. CALLESIUS *Annal. Auſtriæ I.* 2. id a *Boemis* derivare malit, quod minus veroſimile arbitror. Nam *Boigreich*, quaſi Boiorum regnum, ad *Bogenſes* propius, quam ad *Boemos* accedit. Vid. LAZIUS de *gent. migrat. p.* 283.

Alius terrarum tractus, vini non optimi ferax, *Wuchaw* ſupra *Cremſium* ad Danubium in eadem *Auſtria boreali*, a Ducibus *Bavariæ* multo tempore in communione poſſeſſus, tandem *Auſtriæ* principatui ceſſus, itidem ab iſtis Comitibus cum reliqua eorum hæreditate ad illos perveniſſe videtur.

G) Id certius ex N. 43. K. N. 45. C. *ſeq.*, caſtrum *Gurkfeld* ad *Savum* fluvium in *Carniolia* & confinibus *Croatiæ* cum omni dominicatura ſua & miniſterialibus, Comitum iſtorum proprium fuiſſe allodium, primo quidem Archiepiſcopo *Salzburgenſi* pro quadam pecuniæ ſumma obpignoratum, dehinc venditum, & in feudum ab eodem receptum, tandem integra linea ASCUINI ſine hærede extincta, eidem ſedi ceſſiſſe,

quo

quo illa & hodie adhuc fruitur. (*Nachrichten von Inwavia p. 367. Not. g.*)

Patet ex iſtis, quam multa horum Comitum fuerint latifundia per varias provincias, extra hodiernam quoque *Boiariam* diffuſa, ut ad eorum potentatum, Duci parem, concludere liceat.

H) Spectat huc etiam ius advocatiæ, quod illi pro diverſis Eccleſiis adminiſtrarunt.

Linea Fridericiana ſenior ſupremo hoc iure pro epiſcopali Eccleſia *Ratisbonenſi*, pro monaſterio *ſuperiori*, S. *Petri* conſecrati, Scotorum *Ratisbonæ*, *Oberaltachenſi*, *Mallerſtorfenſi* gaviſa fuit, non ſine largitionibus beneficis ad eas redundantibus, quod ſuis locis obſervavi.

Nec dubito, idem ius illos exercuiſſe in *monaſterium inferius*, utrumque hodie principale, id quod tunc demum ſecure affirmari poterit, quando eius documenta, alta nocte nunc preſſa, in lucem aliquando emerſerint.

Eodem advocati munere fungebatur linea *Aſcuiniana* pro cœnobiis *Altahæ* utriusque, *Priſlingenſi*, *Windbergenſi*, quod ex dictis patet. Neſcio, an ulla inter *Boios* illuſtris familia de tam multiplici Eccleſiarum advocatia gloriari unquam potuerit.

§. III. De officialibus eorum hæreditariis & infeudatis.

A) Ad potentatum iſtorum Comitum etiam facit, quod, cum re ipſa *Principes* fuerint, ſuos pariter officiales hæreditarios habuerint, ratione officii feudo quodam proviſos, quod

clare

Digitized by

clare colligitur ex charta ALBERTI IV. de anno 1207, ubi dicit, ſe *Dapiferum* ſuum ratione officii ſui de curte quadam infeudaſſe. (*Cod. prob. N. XXX.*)

De FRIDERICIS, cum vix ullum inſtrumentum præter traditiones *Oberaltacenſes* lucem hactenus viderit, iſtud adſertum comprobare nequeo; eſt autem longe certiſſimum de linea altera *Aſcuiniana*.

B) Ex inſtrumento BERTHOLDI II. de an. 1168 (*Cod. prob. N. XXII.*) conſtat, *Pincernam* habuiſſe *Erenfridum* de *Weziliſcelle*, Dapiferum autem *Heinricum* de *Hurginpach*.

In alia charta incerti anni occurrit *Gozpoldus diſpenſator* (*Spiſar*) dictus, forte triclinio præfectus. (*Cod. prob. N. XXI.*)

C) ALBERTUS III., cuius duo ſolum inſtrumenta videre mihi contigit, anno 1194 *Cocum* habuit *Kalhohum* de *Winzet*, qui, cum equeſtris ordinis fuerit, (N. 43. Hh.) coquinæ præfectus fuiſſe videtur, non lordidus cocus. (*Cod. prob. N. XXVIII.*)

D) In inſtrumentis ALBERTI IV. frequens fit mentio GEBHARDI *Marſchalci* de *Mennaha* (*Cod. prob. N. XXXV. ſeq.*). *Dapiferi* munere anno 1207 fungebatur CHONRADUS de *Peutzhofen* (*Cod. prob. N. XXX.*). Anno 1232 legitur WERNHARDUS *Dapifer* de *Otmaring*, HEINRICUS *Pincerna* (*Cod. prob. N. XLV.*) In alio inſtrumento eiusdem anni occurrunt HERTINGUS *Pincerna* & FRIDERICUS *Dapifer* (*Cod. prob. N. XLIV.*) niſi forte utrumque non *officii*, ſed *familiæ*, *Schenk*, & *Truchſeſs*, nomen fuerit, quemadmodum anno ſequente 1233 LUI-

TOLDUS

TOLDUS de *Awe*, *Pincerna*, qui erat *Schenck aus de Awe* apud HUNDIUM *ſtemmatographiæ P. I.* 325. & in necrologio *Seligenthalenſi* circa hoc tempus - Kal. Iul. FRIDERICUS *Truchſaetz*, forſan de *Ekkemül.*

Eodem anno 1233 invenio MARQUARDUM *Magiſtrum Piſtorum (Cod. prob. N XLVIII.)* qui ibidem *diſpenſator* adpellatur, de quo pariter dubitare licet, an officii nobilis genus fuerit, aut ſolum denotetur opificium eines *Bäckenmeiſters.* Hæc, nec plura de his reperire licuit.

§. IV. De gentilitiis horum Comitum inſigniis.

A) Cum nullum haćtenus neque HARTUICI I. totius familiæ progenitoris, neque trium FRIDERICORUM, aut ALBERTI, *Arcuanorum* ſatoris, ſigillum prodierit, certo etiam dicere nequeo, quibus armis linea hæc ſenior uſa fuerit. Vſam autem quibusdam fuiſſe ſibi propriis, & ab altera iuniore diverſis, dubium mihi quidem nullum eſt. Inſtrumentum ſolemnis monaſterii *Oberaltachenſis* inſtaurationis anno 1125 in patria confećtum, & *Romæ* anno ſequente ab HONORIO II. confirmatum (*Cod. prob. N. XI.*) ſigilli quondam adpreſſi, nunc autem avulſi, viſibilem adhuc & largam maculam præſefert, unde coniicere licet, equeſtre illud fuiſſe FRIDERICI II. tunc advocati, prole maſcula adhuc deſtituti, cui tamen ſperandæ, & ſubſequutæ ius advocatiæ ſtipulatum fuerat, in eius defećtu ad ALBERTUM de *Windberg* huiusque poſteros hæreditaria ſucceſſione transferendum, quod etiam contigit, poſtquam ALBERTUS FRIDERICI III. filius, relićta *Boiaria* ad *Tyrolis* & *Venetorum* fines migrans novæ *Arcuanorum* lineæ initium fecit.

B) Ecquod

Digitized by Google

B) Ecquod insignium genus in isto sigillo sculptum fuerit, nonnisi coniectura assequi liqet. Si mea suspicio, quam de priore HARTUICI I. coniuge HAZACHA e domo *Neoburgica* ad *Oenum* (N. 5. D.) derivata non fallit; facile crediderim, idem scutum, superiore parte squammatum, inferiore vacuum, familiae isti proprium, quod in marmore sepulcrali *Oberaltachensi* FRIDERICI I. adiectum cernitur (tab. III.) etiam in sigillo expressum fuisse, scilicet a patre HARTUICO, uxorio nomine unacum advocatia *Ratisbonensi* assumtum, & ad haeredes transmissum.

Namque in magno libro heraldico, *Weigeliano* quondam, nunc *Norimbergensi*, vel *Sibmacheriano* dicto, P. II. tab. 8. n. 6. item apud FALKENSTEIN *antiquit. Nordgavienf. Tom. I. tab. I.* idem scutum cum modica variatione *Neoburgensibus* Comitibus tribuitur.

Videtur mihi praeterea vero perquam simile, *Ioanni* abbati OA. qui marmor istud an. 1418 parari fecit, ob oculos adhuc positum, aut in memoria superfuisse sigillum FRIDERICI II., unde haec insignia marmori insculpi ad perpetuam memoriam voluit: aut certe in monte *Bogen*, ubi FRIDERICUS cum ASCUINO fratre primo sepulti, & inde ab abbate POPPONE ad monasterium translati fuerant, utriusque restauratoris insignia expressa fuerunt. Nec enim persuadere mihi valeo, FRIDERICI huius scutum mere ex ingenio luxuriante fuisse confictum, quando alterum ASCUINI, cum sigillis posterorum, quae hodie upersunt, tam exacte concordat.

C) Illustrissimi Comites *Arcuani*, lineae *Fridericianae* per ALBERTUM pronepotem propago, alio hodie scuto utuntur.

Illi quidem, qui in *Bavaria* florent, aquilam nigram bicipitem, corona Comitum tectam, in eius autem pectore tres arcus aureos in campo cæruleo exhibent, ut videre est heic *tabula II. n.* 9. idque ex concessione SIGISMUNDI Imperatoris Aug. de anno 1413 die 14. Septb. in civitate *Curiensi* facta, cuius synopsin legere est in *Austria* sacra *P. II. vol. IV. Append. diplomat. p.* 69. „Privilegium armorum seu gentilitatis insignium a SIGISMUNDO Imperatore Comiti *Vinciguerræ* donatum. "

Cur Comites itidem ab *Arcu*, quos *Salzburgenses* dicere liceat, prætermissa *aquila* aliud scuti genus exhibeant, quod ex *Sibmacheriano* subplemento VI. tab. 10. pariter in nostra *tab. II. n.* 11. cernere licet, divinare non ausim. Hoc unum scio, *Gerardum* de ROO in *Annalibus Austriæ* vernaculæ versionis *Augusti. Vind.* an. 1621. editis, Comitibus *Arcuanis* sui temporis, & SIBMACHERUM *subplemento II. tab.* 6. scutum tribuere, neutri hodierno per omnia satis, sed *Salzburgensium* magis conforme *p.* 481. uti tria inter se conferenti ad oculum patet. *Tabula nostra II. n.* 9. 10. 11.

Arcus quidem, situ & numero varii conspiciuntur ubique, *Rhombi* autem albo-cærulei, quos hodie *boicos* dicimus, ab ALBERTO IV. derivatos, nullibi, quod sine fundamento nuper asseruit D. EINZINGER ab *Einzing*, alia occasione confutatus.

D) Quod scuti genus usurpaverit ASCUINUS eiusque posteri, a *Windberg* & *Bogen* dicti, sigilli, alteriusve monumenti defectu dicere non habeo. Si lapis tumuli ALBERTO fundatori ASCUINI filio *Windbergæ* positus (*Mon. boic. XIV.*) competentem ætatem ferret, res dubio careret; ibi enim *Rete*

albo-cæruleum octo ſceptris liligeris, adinſtar ſcuti ducatus *Clivienſis*, obductum cernitur, iſtudque ab HUNDIO *ſtemmatographiæ I.* inter inſignia heraldica, *antiquus Bogenſium* clypeus, alter vero eidem ſubiunctus, cum tribus *arcubus*, *iunior* adpellatur.

Mihi autem aliter videtur; dum enim mecum perpendo, ASCUINUM lineæ huius auctorem, eiusque filium HARTUICUM II. in monumentis *Oberaltacenſibus* de *Zidlarin*, ſeu *Ceidlarn* ſcribi, inde mihi ſuſpicio oritur, utrumque caſtri *Zeitlarn* haut procul *Ratisbona* ad *Regani* fluminis ripam ſiti, quod iudicii & foreſtalci officii nomine præfecturæ *Pedepontanæ* hodie adiunctum eſt, poſſeſſorem fuiſſe, idemque ſcutum uſurpaſſe, quod in *libro magno heraldico P. II. tab. XI. n. 7.* apud FALKENSTEINIUM *antiqq. Nordgovienſ. Tom. I. tab. II.* item *Mon. boic. vol. III. tab. VIII. n.* 10. Comitibus de *Zeidlarn* in *Nordgovia* tribuitur; nec enim alius comitatus, *Zeidlarn* dictus, in maiore hoc pago *Nordgau* præter iſtum occurrit, etiamſi pluribus locis, ſed exiguis, nomen iſtud inhæreat.

Pagus alter, olim *Zidlarngev*, hodie *Wald* dictus, & ad *Alzam* fluvium in confiniis *Salzburgenſibus* ſitus, de quo HUNDIUS *ſtemmatograph. I.* 155. ab iſto comitatu in *Nordgovia* diverſiſſimus eſt.

E) De priore ad *Alzam* integro pago, ſed minore, coniecturam meam prodidi N. 2. R. nempe famoſum illum BABONEM, & quosdam eius poſteros (N. 23. *ſeq.*) eidem pago præfuiſſe, huiusque adeo me nondum pœnitet, ut porro hariolari audeam, ASCUINUM noſtrum ideo de *Cidlarn* dictum fuiſſe, quod ad memoriam illius pagi, alteri cuidam de ſua familia ceſſi,

ceſſi, caſtrum hoc *Ceidlarn* ad ripam *Regani* fluminis primus exſtruxerit, filioque HARTUICO, inde pariter cognominato, reliquerit; & huic ſuſpicioni tamdiu immorabor, donec quispiam alium loci huius auctorem oſtenderit.

Favet huic coniecturæ ipſum ſcutum *Cidlarienſe*, quod in campo albo *duas trabes rubras* exhibet adinſtar anguli acuti in vertice iunctas, ſeu, ut FALKENSTEINIUS *loc. cit. p.* 346. loquitur, *einen rothen eingebogenen Sparren im weiſſen Felde, und auf dem Helme einen weiſſen Flug mit den Sparren wie im Schilde.* Vid. *tab. II. n.* 8.

Pluribus huiusmodi trabibus transverſis (*Sparren*) utebantur *Schyrenſes*, ab OTTONE I. BABONIS germano fratre progeniti, adeoque *Bogenſibus* ſanguine proxime iuncti. Quidni igitur veroſimile, utramque familiam ſcuto non admodum diverſo a principio uti voluiſſe?

F) Quemadmodum maioribus noſtris inſignia ſua mutare non raro placuit, ita iſtud quoque apud *Bogenſes* Comites obtinuit, quorum non nulla ſuperſunt ſigilla, aliaque monumenta, huiusmodi mutationem teſtantia.

Vetuſtiſſimum, cuius delineationem mihi videre contigit, ſigillum eſt ALBERTI III. equeſtre, cum vexillo & ſcuto pectorali, adeo tamen obſoleto, ut, quæ figura eidem inſculpta fuerit, determinari pro certo nequeat.

Si tamen cum altero BERTHOLDI filii comparatur, ita inſtar ovorum ſimillima ſunt, ut dubitare vix liceat, *arcum*

erectum, uti in *Bertholdino*, ita & in *Albertino* expreſſum fuiſſe. Vide utrumque *tab. II. n. 1. & n. 4.*

Eodem parentis ſigillo tres filii, anno 1202 adhuc in communione viventes, ſe uſos fuiſſe, ipſimet profitentur. *(Cod. prob. N. XXIX.)*

Quare autem *Arcus* ab ALBERTO III. electus? Crediderim, ALBERTUM I. ASCUINI filium, de *Windberg* primo dictum, paterno *Cidlarienſi* ſcuto ante hac uſum, poſtquam ſuum caſtrum in cœnobium commutaverat, novumque prope & ſupra oppidum *Bogen*, hodieque *Schloſsberg* dictum, exſtruxerat, ob ipſum gentis ſuæ, & oppidi ſibi proprii in *Arcus* ſimilitudinem circa montem ſiti nomen, *Arcum* aſſumſiſſe, indeque Comitem de *Bogen* dici, ſcribique voluiſſe, quod ad filios & nepotes transiit, ipſumque oppidum *Bogen* arcum flavum in campo cæruleo cum ſtella adhuc retinet.

G) Facta autem inter tres Germanos bonorum diviſione, etiam ſcuti mutatio placuiſſe videtur: nam ALBERTUS IV. in ſuo ſigillo an. 1207 eques adparet, in ſcuto pectorali & vexillo Rhombos albocæruleos exhibens. Simile huic prorſus eſt ſigillum BERTHOLDI III. de annis 1209 & 1217. *Tab. II. n. 3. n. 5.*

Inde autem adverſus HUNDIUM D. recte mihi inferre videor, *Arcum* ante *Rhombos* iſtis Comitibus uſitatum fuiſſe.

Quæret forte curioſus quispiam, cur relicto *Arcu* paterno, quo & BERTHOLDUS filius anno 1194 uſus fuerat, *Rhombi* electi fuerint? Huic in ſignis huiusmodi plane arbitrariis aliud iam reponere nequeo, præter iſtud decantatum: *ſtat pro ratione*

tione voluntas. Vix enim erit, qui singulorum problematum heraldicorum rationem sufficientem dare poterit. Ignoramus casus fortuitos, & ingeniorum lusus, qui signis heraldicis ansam præbere potuerunt. Sufficiat nosse, hæc illis quondam insignia placuisse, hactenus conservata.

Si cui nimis ieiuna videatur isthæc responsio, ille per me harioletur, Comites nostros in *Danubio*, & *Bogana* præterfluente, amne piscium ferace, hisce capiundis fuisse delectatos, ideoque *Rete* pro insigni adoptasse.

H) Adoptarunt certe paullo post principium sæculi XIII. huius, an alterius rei gratia, incertum, ita tamen, ut post mortem ALBERTI IV. improlis, & lineæ huius postremi, serenissimi *Boiariæ* Duces, unacum hæreditariis eiusdem prædiis, immo tracto terrarum sat amplo, relictis avitis *Trabibus*, istud *Rete albo-cæruleum*, clypeo suo ducali inseruerint, hodieque usitatum, id quod pluribus opusculis de genuinis Principum nostrorum insigniis, eorumque ortu, comprobavi, ac sigillis, saxis, testibusque omni exceptione maioribus ostendi, ante annum MCCXLII. ALBERTO IV. fatalem, *Rhombos*, quos hodie *boicos* dicimus, in nullo Ducum nostrorum sigillo, scuto, vel lapide fuisse conspicuos.

I) Istud cum inficiari non posset Cl. D. EINZINGER ab *Einzing*, vir admodum industrius, & historiæ boicæ cultor, recente quodam libello, (*historische Wappengallerie* inscripto, *Ratisbonæ* hoc anno currente 1788 edito) nervos suos omnes eo intendit *p.* 17. 18. *seq.* ut credulo lectori persuadeat, hosce *Rhombos* ducatus *Bavariæ inferioris* (quod nomen ante an. 1255 inauditum erat) proprium ab antiquo scutum, eiusque

usum

uſum Comitibus noſtris tantiſper indultum fuiſſe, eoquod ſub LUDOVICO I. eiusque filio OTTONE *illuſtri vicedominatus* munere per *Bavariam inferiorem* fungerentur.

Verum hæc aſſerta, ſine teſte, ſine tabulis prolata, univerſæ antiquitati ignota, confutationem, quæ facillima foret, ſi bonam horam & chartam perdere vellem, non merentur: ſola negatione ſatis exploduntur.

K) Sciſcitatur porro ex me idem autor *p.* 17. cur in marmore ſepulcrali iſtorum Comitum *Rete boicum* aureo circulo & octo baculis liligeris, quos HUNDIUS *ſtemmatographiæ l. p.* 12. *ſceptra aurea* adpellat, adinſtar ſcuti *Clivienſis*, tectum conſpiciatur?

Quæro viciſſim, cur ipſus in ſuo *Leone boico* huius clypei, ex libro heraldico *Norimbergenſi* mutuati, & Comitibus de *Hohenpogen* tributi, rationem dare noluerit. HUNDIUS loco adlegato hoc inſigne *Windbergæ* ſe vidiſſe affirmat, certe in nullo ſigillo hodie ſuperſtite, neque in hodierno lapide ſepulcrali, quem, utpote anno MDCLXXXIII. (*M. B. XIV. p.* 32.) poſitum, per ætatem videre non potuit, pridem defunctus.

Viderit ergo in quadam imagine, iam non reſidua, aut in priore marmore, *Suecorum* furore deſtructo, ubi tamen *Leonem coronatum*, ſupra galeam inter cornua ſedentem, in hodierno conſpicuum, non vidit, cum ipſe teſtetur, Comites noſtros *Leone* nunquam uſos fuiſſe.

L) Quapropter memoria lapſum ſuſpicor virum bonum, qui editori voluminis XIV. *Mon. boic. p.* 32. teſtatus fuit, ſe prioris

prioris lapidis frusta, in nupera renovatione Ecclesiæ indigne reiecta, & in illis eadem prorsus insignia, quæ in hodierno exstant, conspexisse. Si veritati hoc assertum constaret, sequeretur, aut prius marmor, *Leonem* exhibens, admodum recens, & post HUNDII mortem sculptum, aut virum solertissimum nimis fuisse incurium, qui istum *Leonem* neglexerit. Malim autem priori meæ suspicioni inhærere. Igitur iste centum & aliquot annorum lapis, nullo testimonio vetere subfultus, nulli sigillo, vel antiquo monumento conformis, adtentionem haut meretur.

M) Ad formam sigillorum, quæ adhuc existunt, respexisse videtur auctor marmoris sepulcralis *Oberaltachensis* sæpe allegati, ubi ad pedes ASCUINI hoc ipsum *Rete* albo-cæruleum adparet, cui galeam superposuit cum cornibus & foliis, scuto ducali simillimis, forte ad primum tumulum in *Bogenberg* olim sculptis, pictisve, atque ad horum exemplar in marmore expressis. *Tab. III.*

N) CHRISTANNUS Abbas, qui illustrium istorum exuvias ex monte *Bogensi* iam ante ad monasterium *Oberalteich* translatas novo in Ecclesia tumulo anno 1488 reposuit, duos prope eundem clypeos gentilitios suspendit, adhuc residuos, unum FRIDERICI II., alterum ALBERTI I., utrumque in quatuor rectangulos sectum, hinc & inde præter tres *Arcus aureos* in campo cæruleo *Rete* boicum exhibentes. *Tabi II. n. 6. & 7.* Qua quidem ratione vetus illud insigne ALBERTI III. cum solo *Arcu*, & posterius cum *Rhombis*, utrumque eidem fors adhuc conspicuum, in hanc formam conflare & combinare voluisse videtur.

Hos

Hos ipsos clypeos celeberrimo HUNDIO conspectos fuisse inde conlicio, quia *stemmatographiæ I. p.* 121. asserit, Comites de *Bogen* tres Arcus aureos in campo cæruleo gestasse, certe in nullo sigillo vel saxo repertos: præterea autem se deprehendisse eorum scutum cum *Rhombis*, absque designatione colorum. Id quod certissimum. Fallitur autem in eo, quod in sigillo ALBERTI IV. de anno 1233 equum solutum, *ein ledig Springendes Ross, oder Gurn*, videre sibi visus fuerit, cum tamen in hoc sigillo, fracto quidem, eques tamen sat clare adpareat, uti editor ad *M. B. XIV. p.* 47. adnotavit.

O) Prodiit nuper inter scuta heraldica *Mallerstorfensia M. B. XV. tab. VI. n.* 100. clypeus Comitibus de *Bogen* adscriptus, sex striis horizontalibus 1. 3. 5. albis, 2. 4. 6. cæruleis distinctus, ita ut in tertia *Arcus* sine chorda, in sexta tres *stellæ* adinstar anguli obtusi, fere ut in scuto Comitum de *Heunburg* & *Cileia* (M. B. XIV. 32.) adpareant, cuiusmodi insigne in nullo istorum Comitum sigillo, saxove hactenus observare licuit.

P) Quoniam vero HUNDIO, idoneo teste *l. c.*, olim nobiles quidam de *Bogen* dicti exstiterunt, quos inter CONRADUS anno 1261 testis Monachii subscripsit, qui etiam ad an. 1266 cum HENRICO de *Pogen* M. B. XV. 448. *seq.* occurrit; hinc ad istos, ceu cives de *Bogen*, hoc scutum potius referendum crediderim, quam ad Comites nostros, iam anno 1242 extinctos, præsertim, quod hodiernum oppidi *Bogensis* scutum, Arcum in campo cæruleo cum stella ostendat. (F)

Prædictus igitur *Conradus* Comitibus de *Bogen* nonnisi per errorem in indice vol. XV. adiectus fuit.

Digitized

§. V. De iure, quo Otto illuſtris Bavariæ Dux hæreditatem Bogenſium adiit.

A) Dum ALBERTUS IV. Comes de *Bogen*, lineæ ſuæ poſtremus, ſine prole maſcula an. 1242 eamdem clauſit (N. 45.) florebat adhuc linea ſenior in poſteris FRIDERICI III, immo & hodie ſupereſt in illuſtriſſima prolapia Comitum, qui de & in *Arcu*, dictos *Bogen* ſe ſcribunt, & a communi ſtipite HARTUICO I. deſcendunt, uti *tabulam* B. inſpicienti ſtatim occurrit.

B) Quare igitur hac præterita, vel excluſa, OTTO illuſtris *Bavariæ* Dux, ALBERTI IV. frater uterinus, in omnia *Bogenſium* bona & iura ſine contradictione ſucceſſit, ſuperſtite *agnato* propiore?

GANSERUS *p.* 450. *&* 494. ſuſpicatur, IUDITHAM, FRIDERICI III. relictam viduam, filiique ſui ALBERTI minoris tutricem, monaſterii *Oberaltacenſis* advocatiam, & ipſum comitatum *Bogenſem* alteri lineæ de *Windberg* dictæ pro pacta pecunia ceſſiſſe. Quia tamen nullum huius coniecturæ fundamentum prodit, nec aliquod huiusmodi pacti veſtigium ullibi adparet, nemo facile eidem adſentietur. Immo dubitare merito licet, an lineæ *Fridericianæ* in feuda lineæ *Aſcinianæ* ius quodpiam competierit, quod eidem certo competebat in advocatiam *Oberaltacenſem*, quippe in inſtrumento confirmationis (*Cod. prob. N. XXI.*) ſtipulatum.

C) Vt igitur hæc non nullius momenti quæſtio ſolide pertractetur, res ab ovo petenda eſt.

Martinus HOFMANNUS, cui archiva *Babenbergenſia* patebant, ad quæ omni fere pagina provocat, in Annalibus huius Eccleſiæ apud LUDEWIGIUM *Scriptor. Bamberg. Tom. I.* 211. G. obſervat, *Ratisbonam* inter atque *Pataviam* non nulla ex regione *Bavariæ* fuiſſe loca, quæ iam inde a S. HENRICI Imperatoris temporibus Eccleſia ſibi in magna contentione retinuerat, quod ad ius ſuum ab antiquo pertinerent.

Querulatur quoque *Burkardus* KREBSIUS, decanus quondam *Patavienſis*, apud HUNDIUM *Metropol. II.* 403. *nov. edit.* adverſus eumdem S. Imperatorem, quod comitatum cum poſſeſſionibus ab *Hiltſa* flumine usque ad flumen *Regen*, cum aliis bonis abſtracta ab Eccleſia *Patavienſi*, largitus fuerit Eccleſiæ *Bambergenſi*.

D) Epiſcopi *Bambergenſes* Comitibus a *Bogen* lineæ *Aſcuinianæ*, quibuscum magna illis intercesserat necessitudo, feuda hæc plerique contulerant, quæ horum poſteri ALBERTUS IV. & BERTHOLDUS III. iam non amplius recognoſcere, ſed velut bona ſibi propria vendicare volebant.

Quapropter ECBERTUS Epiſcopus anno 1228 eadem, quaſi in caducitatem redacta, & Comitibus prædictis ademta, in LUDOVICUM *Bavariæ* Ducem, eiusque filium OTTONEM *Illuſtrem* feudali titulo transtulit, ſibique ſacramento obſtrinxit.

Diſcimus hæc ex allegato HOFMANNO *l. c.* 154. C. ad an. 1228. „ECBERTUS Epiſcopus Eccleſiæ feuda, quæ inter *Pataviam* & *Ratisbonam* ex utroque *Danubii* littore in *Bavaria* ſita erant, & poſt defunctum ALBERTUM III. *Bogiorum* Comitem, Eccleſiæ beneficiarium, ALBERTUS eius filius,

lius, cum fratre BERTHOLDO, per vim invaſerat, eorum pretio perſoluto recuperavit, & LUDOVICUM Comitem palatinum Rheni, & OTTONEM eius filium, feudali ſacramento ſibi adſtrictos, de iisdem inveſtivit."

E) Hoc ipſum profitetur LUDOVICUS Dux cum filio ſuo in litteris reverſalibus, eodem anno Eccleſiæ *Bambergenſi* datis, (*Cod. diplomat. N. XLIII.*) ubi hæc verba notari merentur:

„ LUDOVICUS - - Notum eſſe cupimus, eoquod venerabilis dominus noſter EKBERTUS *Babenbergenſis* Epiſcopus nos & OTTONEM filium noſtrum palatinum Comitem Rheni, *noſtrosque heredes omnes, qui iure feudali ſuccedere debent*, nobis feudo, quod ALBERTUS Comes antiquus (*tertius*) de *Bogen*, pater iſtius Comitis, qui nunc ſuperſtes eſt, ab Eccleſia *Babenbergenſi* tenuit, & quod iſte (ALBERTUS IV.) & frater ſuus contra iuſtitiam, & preter voluntatem predicti Epiſcopi violenter tenuerunt, rationabiliter infeudavit, illo videlicet, quod a *Patavia* ex utraque parte *Danubii* verſus *Ratisbonam*, & *ultra* protenditur, hoc interpoſito pacto &c. "

F) Neque tamen iſtud negotium illico eventum habuit; ſive enim ALBERTI IV potentia prævaluerit, qui poſſeſſionem ſemel occupatam eripi ſibi paſſus non fuit, ſive prædicta inveſtitura ſolum fuerit *exſpectativa*, poſt mortem ultimi poſſeſſoris prole carentis, cuiusque propter uxoris ſterilitatem naſciturae ſpes nulla erat, effectum ſuum ſortitura; certum eſt OTTONEM illuſtrem non niſi poſt mortem ALBERTI IV. im, prolis anno 1242 univerſam *Bogenſium* Comitum hæreditatem, tamquam feudum iam ſibi *apertum*, ſtatim occupaſſe, quod

Digitized by Google

patet ex litteris commutationis cum monaſterio *Nideralteich* factæ anno 1244 datis M. B. XI. 217. ubi ſequentia leguntur: „OTTO D. G. Com. Pal. - - Notum eſſe cupimus - - qualiter nos cum eccleſia *Altahenſi* commutationem fecimus de prediis noſtris pro caſtro *Flinsberch*, quod ab ALBERTO quondam Comite de *Bogen* fratre noſtro erectum fuerat in prediis eccleſie memorate. Mortuo namque eo, cum *poſſeſſiones* & *comitatus* ipſius ad noſtrum dominium iure (feudali exſpectativo) deveniſſent, penſantes illud caſtrum &c. "

G) Eiusdem ſucceſſionis ab obitu ALBERTI IV captæ meminit etiam HENRICUS I. *Bav.* inferioris Dux, OTTONIS prædicti filius an. 1267 per verba: „Nos HEINRICUS - - declaramus, quod cum inter nos & eccleſiam de *ſuperiori Altah* ſuper iure patronatus Eccleſiarum . . . ratione *ſucceſſionis hereditarie*, qua bone memorie *patruo* noſtro ALBERTO Comiti de *Bogen* in *univerſali* hominum & bonorum ſuorum poſſeſſione ſucceſſimus &c. „ (*Cod. prob. N. LII.*) ſcilicet poſt hæreditatem paternam & regionem cum fratre LUDOVICO inter ſe diviſam, ubi HENRICO *Bavaria inferior* cum comitatu *Bogen* in ſortem ceſſit. HEINRICI huius filii OTTO, LUDOVICUS, & STEPHANUS anno 1295 idem pariter profitentur M. B. XV. 25. „Verum quia proceſſu temporis ad nos comitatu eodem de *Pogen* ex *ſucceſſione legitima* derivato. "

H) Hisce ex dictis conſtare exiſtimo, lineæ *Fridericianæ*, quæ feudis *Bambergenſibus* nunquam fuerat inveſtita, ius ad eadem nullum competiiſſe. Quia vero dubium mihi non eſt, quin linea *Aſcuiniana* præpotens, præter dicta *feuda Bambergenſia*, plura etiam bona *allodialia*, præſertim ab Imperatoribus HENRICO III. & IV. eidem conceſſa (§. II. E.) aut

pactis

Digitized by Google

pactis dotalibus acceptа, poſſederit; ideo adhuc quæſtioni locus eſt, cur ab iſtorum quoque hæreditaria ſucceſſione *Arcuani* ſuperſtites, *Agnati* proximi, fuerint excluſi.

Deſuper ita mihi videtur. Poſtquam nullum omnino adeſt veſtigium, quod linea *Fridericiana*, ſeu *Arcuana* litem aliquam ſuper iſta hæreditate moverit; ſubponere licebit, aut ipſammet agnoviſſe ius ſibi ad illam nullum competere, aut poſtquam *Bavaria* ſponte ceſſerat, eidem ſi quod vnquam habere viſa fuiſſet, libere renuntiaſſe, aut denique inter ALBERTUM IV. & OTTONEM Ducem, fratres uterinos, mutuæ ſucceſſionis pactum interveniſſe, quod olim non infrequens erat.

Huiusmodi autem divinationibus iam opus non eſt, quando tot ſæculis præſcripta & quieta ſereniſſimæ domus *Boicopalatinæ* poſſeſſio nulla ratione amplius turbari valet.

1) Aliud quidpiam non neminem morari poſſet. Scribit HOFMANNUS *Annal. Bamberg.* 159. C. poſt exceſſum ALBERTI IV. ultimi Comitis de *Bogen* improlis opes eius, oppida, caſtra & prædia, quæ ab Eccleſia *Babenbergenſi* in feudum tenuerat, & per obitum ſuum vacare cæperant, a POPPONE Epiſcopo, CONRADO, FRIDERICI Germaniæ Regis filio, Eccleſiæ fiduciario effecto, collata fuiſſe.

Cur igitur præ CONRADO ſucceſſit OTTO Bav. Dux?

Reſponſio facilis eſt ex eodem HOFMANNO. Teſtatur enim, a FRIDERICO Imp. ad inſtantiam ſucceſſoris Epiſcopi HENRICI omnes alienationes, ab anteceſſore POPPONE factas,

pror-

prorſus irritas & nullas fuiſſe declaratas, idque expreſſe quoad feuda Comitum *Bogenſium*, filio ſuo *nulliter* collata, cuius diploma exſtat in *Cod. prob. N. LI.*)

Atque hæc erant, quæ ad illuſtrandam celeberrimam & inter *Boios* antiquiſſimam familiam Comitum de BOGEN in ARCUANIS adhuc hodie florentem, ex memoriis undique conquiſitis, pluribusque antehac ineditis, huc congerere volui, quod hiſtoriæ patriæ cultoribus, immo & exteris, qui pariter inde proficere poterunt, haut fore ingratum confido.

CODEX

Digitized by Google

CODEX PROBATIONUM DIPLOMATICUS.

PLURA COMPLECTENS INSTRUMENTA NUNC PRIMUM EDITA AUT RARIUS OBVIA.

Digitized by

CODEX
PACTIONATIONUM
DIPLOMATICUS.

PLURA COMPLECTENS INSTRUMENTA
TA NONC NULLUM EDITA AUT
RARIUS OBVIA.

Num. I. HENRICUS III. Imp. HARTWICO, ſatori Comitum *Bogenſium* donat regales manſos in pago *Nortkowe*. An. 1054.

Ex autographo. Mon. boic. XII. 95.

C. In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, HEINRICUS divina fauente clementia Romanorum Imperator auguſtus. Noverint omnes Chriſti noſtrique fideles tam futuri quam præſentes, qualiter nos ob interventum noſtri thori ac regni cariſſimæ conſortis AGNETIS imperatricis Auguſtæ HARTWICO ſex regales manſos, duos in villa *Wolframmesdorf* dicta, & duos in *Lindarn*, & duos in *Ratmeresreut* & ibi ſicut extra ſilvam per dimenſionis latitudinem demonſtrantur, ita ex utraque parte indirecto per ſilvam prolongantur, in pago *Nortkowe* & in comitatu HEINRICI Comitis ſitos, cum omnibus ſuis pertinentiis, hoc eſt, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, agris, pratis, paſcuis, campis, ſilvis, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, molis, molendinis, piſcationibus, exitibus, & reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis & cum omni iure & utilitate, quæ ullo modo inde

Digitized by

poterit provenire, in proprium dedimus, tradidimus, condonavimus, eo videlicet tenore, ut præfatus *Hartwich* de iam dicto prædio liberam deinceps potestatem habeat tenendi, dandi, vendendi, commutandi, precariandi, posteris relinquendi, seu quicquid sibimet placuerit inde faciendi. Et ut hæc nostra imperialis traditio stabilis, & inconuulsa omni succedentis temporis permaneat ævo, hoc præceptum inde conscriptum, manu propria ut inferius videtur corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domni HEINRICI tertii Regis invictissimi (*Monogramma*) secundi Romanorum Imperatoris Augusti.

VVINITHERIUS cancellarius vice LIUTBOLDI archicancellarii, & archicapellani recognovi.

Data VIII. Kal. Mai anno dominicæ incarnationis Mill. Liiii. indict. VII. anno autem domni HEINRICI tercii Regis, Imperatoris secundi ordinationis anno XXVIII. regni XX. imperii VIII. Actum *Ebilezdorf* in dei nomine feliciter Amen.

Num. II. Excerpta e codice HERMANNI abbatis de successione advocatorum sui monasterii a sæculo XI. ad annum 1242.

Mon. boic. vol. XI. p. 20. seqq.

Tempore ADALHARDI MEINHARDUS & ASCHWINUS fuerunt advocati ecclesie. ACSCHWINUS autem Comes de *Pogen* fuit tempore HEINRICI IIII. (Imp.) & ADALHARDI, WENZLAI, & WALCHERI abbatum advocatus *Altahensis* ecclesie. Hic ASCHWINUS fertur Pohemos irruentes

in

in provinciam noſtram tribus bellis viciſſe, & in ſignum victorie quamdam crucem, cum bipenni in quadam abiete in monte qui vocatur *Apholter/perg* excidiſſe, que abies uſque hodie vocatur *Æſchwelnestanne.* Iſte *Æſchwinus* dicitur ADILPERTUM Comitem genuiſſe, qui habuit uxorem HADWIGAM, & fuit advocatus *Altahenſis* eccleſie tempore LIUPOLDI & ADALFRIDI & RUPERTI & GERHARDI abbatum, iſte ADALPERTUS conſtruxit monaſterium in *Windberge.* Hic genuit ADALPERTUM HARTWICUM & PERTHOLDUM Comites, ex quibus ADALPERTUS ſagitta occiditur in obſidione caſtri, quod dicitur *Phalaia* circa an. dni. M. C. XL. HARTWICUS autem homo peſſimus inſaniendo vitam finivit. PERTHOLDUS vero homo pacificus & dives fuit advocatus eccleſie *Altahenſis* tempore CHUNRADI & POLEZLAI abbatum, qui advocatiam, quam ipſe & progenitores ſui antea ab imperio recipere ſolebant, primus recepit a *Pabenbergenſi* Epiſcopo EBERHARDO. Hic ADALBERTUM genuit Comitem ex LEUTKARDE. Iſte ADALBERTUS advocatus eccleſie tempore VDALRICI & DITMARI abbatum fuit. Hic fuit homo ferus & bellicoſus & per hoc deſtructor eccleſiarum & provincie exſtitit. Nam per Kaiſam verſus *Dornberch* cum *Pohemis* factam & per prelium cum LUDOVICO Duce an. M. C. XCIII. ac per conſtructionem caſtrorum in *Hohenpogen* & aliorum edificiorum ſive prediorum & per diverſas exactiones eccleſiam noſtram & alias eccleſias depauperavit. - - *p.* 22. Plures etiam idem Comes, ſicut ex literis querimonialibus abbatum invenitur, malicias exercuit, que melius reticentur. Attamen moriens anno dni. M. C. XCVIII. filiis ſuis LUIPOLDO clerico. PERTHOLDO & ADALBERTO, quos genuerat ex LUDMILLA, reliquit comitatum plenum divitiis & honore. Qui cum inter ſe & poſtea cum aliis vicinis ſuis, Epiſco-

Digitized by Google

pis, Comitibus, diſcordarent, in tantam rabiem & maliciam excreverunt, ut provinciam comitatus ſui inhabitabilem facerent fere totam - - Defuncto autem apud *Damiatam* PERTHOLDO Comite, ALBERTUS Comes habens REICHIZAM uxorem ſterilem in ſui malicia uſque ad obitum perduravit . . . . Anno itaque dni. M. CC. XLII. moritur predictus ALBERTUS Comes de *Pogen* ſine herede XVIII. Kalend. Febr. cui ſuccedit in advocatia huius eccleſie OTTO Comes palatinus Rheni, Dux *Bawarie*, cuius ſtudiq totus comitatus in optatam pacem & neceſſariam reformatur.

Num. III. HENRICUS IV. Imperator FRIDERICO I. advocato *Ratisbonenſi* quasdam villas concedit in Marchia *Cambenſi* anno 1086.

Ex autographo. Mon. boic. XII. 96.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. HEINRICUS Dei gratia tertius Romanorum Imperator Auguſtus, Univerſis Dei, noſtriſque fidelibus tam futuris, quam preſentibus notum eſſe uolumus, qualiter nos dilecto fidelique noſtro FRIDERICO *Ratisbonenſi* aduocato ob devotum ſervicium ſuum uillas ſitas in Marchia, que vocatur CAMBA, ſic nominatas *Grawat. Vurte. Mazelin. Fichenefberg. Frafanefdorf. Buchberg. Sichowa.* cum ceteris habitationibus eodem pertinentibus, & omnibus appendiciis, id eſt mancipiis, areis, edificiis. terris cultis & incultis. campis. ſilvis. pratis. paſcuis. uenatione. piſcatione. aquis aquarumque decurſibus. molis & molendinis. exitibus & reditibus. queſitis & inquirendis, ſeu cum omni utilitate que ullo modo inde provenerit in proprium tradidimus. Ea uidelicet ratione, ut ipſe deinceps liberam inde poteſtatem habeat tenendi. tradendi. commutandi. precariandi vel quic-

quid

quid ſibi placuerit inde faciendi. Et ut huius noſtre donationis autoritas perpetuo ſtabilis, & inconuulſa permaneat. hanc cartam inde conſcribi. quam ſicut infra apparet manu propria roborantes impreſſione ſigilli noſtri iuſſimus inſigniri.

Signum domni HEINRICI tertii Romanorum Imperatoris Auguſti.

HERMANNUS cancellarius (*Monogramma*) vice WECELONIS archicancellarii recognovit.

Data V. Idus Aprilis Anno ab incarnat. dni. M. LXXX. VI. indict. VIIII.

Anno autem domni HEINRICI Regni quidem XXXII. imperii vero III. Actum *Ratisbone* in Chriſti nomine feliciter Amen.

Num. IV. Monaſterium Oberalteich inſtauratum dotatur per Comites de *Bogen*. An. 1104.

Ex Mon. boic. XII. 15.

Sicut perverſorum male geſta ne alii ſcandalizentur, ſunt celanda, ita bonorum beneficia ut alii edificentur, ſunt declaranda. Quo enim ſepius prevaricacio transgreſſoris in memoriam revocatur eo perniciosius tormentum ipſius innovatur. Et quanto frequencius iuſtus pro iuſticia ſua eſt imitandus, tanto copioſius ipſe in eternitate temporum creditur a Deo remunerandus. Quapropter tam futurorum quam preſencium Chriſtianorum cognoſcat induſtria, quod quidam prepotentes & timorati homines, videlicet ADELHEIT *aduocata & tres filii eius* VDALRICH *clericus*, FRIDREICH *aduocatus matricule*

Digitized by Google

cule Tyberine ciuitatis, HARTWICH, & LEUKART *de Windeberg*, & *duo filii eius* BERTOLDUS, ADALBERTUS *Comites* per ſpiritum, qui loquitur ad cor Ieruſalem, conpuncti tradicionem cuiusdam loci *Altach* nominati, qui iuxta ripas *danubii* ſitus eſt, in feſtiuitate apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, in preſencia EGINONIS eiusdem loci abbatis innouauerunt, & eundem locum cum omnibus appendiciis ſuis, uel antiquitus ab ullo anteceſſore eorum, uel a quoquam hominum eo collatis, uel aliquo conſanguinitatis, propinquitatis, dedicionis iure ad ſe pertinentibus, ſuo uſui atque potentatui omnino abalienaverunt, & absque omni hominum contradictione Deo & ſancto PETRO tradiderunt, & perpetuo liberum eſſe decreuerunt, nimirum tam pro animarum ſuarum ſaluacione, quam aliorum illuſtrium virorum inibi ſepultorum abſolucione. In quorum conſpectu probi milites, uidelicet omnes eorum ſeruientes, ſepulturas ſe ibi habituros deuouerunt, quinimo intimam peticionem fecerunt. Ceterum hec tradicio eo tenore facta eſt, ut Monachi ibidem Deo ſeruientes habeant poteſtatem quemcunque aut inter ſe aut aliunde eligere abbatem aniſu tamen & conſenſu aduocati ipſius loci. Et teſtes ſunt hee nobiles perſone. FRIDERICUS aduocatus, PERCHTOLDUS de *Pogen* HARTWICH de *Ceydlarn* &c. anno dominice incarnacionis M. C. IIII.

Num. V. Traditiones variæ ad monaſterium *Oberaltach* intra ann. 1100-1105.

Ex Mon. boic. XII. 17. ſeq.

Sicut negligentibus, & deſidioſis vivendi corporis & Anime eſt defectio, ita bene agentibus certa & eterna eſt retributio. Vnde quos noſtris temporibus comperimus cautos, & ſervi-

tio

tio ſancte eccleſie utiles, hic quorumdam deſidia compulit aſſcribere, quos ſcimus ſcriptos in eterna retributione. Igitur PERTHOLDUS quidam prepotens & nobilis & *ſui fratres* ENGILBRETH ſcilicet OUDALRICH filii OUDALRICI de *Rota* delegauerunt hereditatem ſuam in manus ASCUINI de *Zidlarin* ea ratione, ut poſt obitum eorum Deo, & ſacris eius ſeruitoribus traderet. Quam traditionem ipſe ASCUIN in manus nepotis ſui FRIDERICI filii FRIDERICI (primi an. 1101 defuncti) delegauit. Proinde notum ſit omnibus preſentibus ſcilicet & futuris, qualiter ipſe ASCUIN curtile unum in uilla ſuperiore *Altaha* & *Matingan* Deo & ſancto PETRO tradidit, & FRIDERICH (ſecundus) ſicut in fide ſuſcepit *Eitirhoven* & *Maniboldes veldan*, & montem qui dicitur *Grind* & quicquid inibi habuit PERTHOLDUS S. PETRO tradidit. Et ipſe FRIDERICH (primus anno 1100 vivens) & ADELHEIT uxor eius de proprio tradiderunt BERINDORF & *Landolfasdorf* & unum manſum in *Aſcinheim*. Item domna ADELHEIT in eadem *Altaha* curtile I. tradidit. Item filius eius OUDALRICH (poſthac Epiſcopus Eiſtetenſis) ad *Aſcinheim* curtile I. & X. mancipia. HARTUICH filius ADELHEIT curtile unum in *Engildicheſdorf* & I. vineam in monte *Altaha*.

Item domna ADELHEIT medium manſum in *Vidaha* S. PETRO tradidit.

Item filia eius TOUTA curtile I. ad *Alradaſdorf* tradidit S. PETRO.

Item FRIDERICH (ſecundus) filius eius molendinum ad *Vietha* tradidit iuxta *Eitina*, & piſcatorem ad *Aſcinheim* S. PETRO dedit.

Item

Digitized by Google

Item domna LIUTGART de *Windberg*, & filius eius ADALBERTUS Comes partem curtilis in uilla que dicitur *Altaha* & eccleſiam *Bogana* cum dote & VI. mancipia S. P. donavit.

HARTUUICH filius domne ADELHEIT quamdam feminam *Friderûn* nomine S. P. cum hereditate ſua.

HARTUUICH filius ASCUINI dedit ad *Rizemanneſdorf* & *Tiemanneſdorf* I. curtile & III. manſus & *Ouua* S. P. tradidit.

ASCUIN & FRIDERICH patruus (patruelis) eius BERTHOLD VI. manſus in *Mirendorf* tradiderunt S. P.

ADELHEIT mater FRIDERICI (ſecundi) I. manſum ad *Tichmannaſdorf* & ad *Harda* ſimiliter pro dote eccleſie.

Eadem ADELHEIT molendinum & curtile in *Miltoha* tradidit.

PERTHOLD pat. FRIDERICI medium manſum in *Ratbotendorf*.

Hanc item traditionem domna RICHGART vxor BERTHOLDI firmauit pro remedio anime uiri ſui PERTHOLDI & omnium debitorum ſuorum. Et iſti ſunt teſtes ADALPREHT Comes ENGILBREHT filius eius (*ſcilicet Richgardæ*) *Richer*, *Witto*. - -

Num. VI. a.

Digitized by Google

Num. VI. a. Traditio TOUTÆ comitiſſæ, filiæ FRIDERICI I. intra ann. 1100-1105.

Ex Mon. boic. XII. 23.

Fideli tam preſentium, quam futurorum memorie commiſſum ſit, quod TOUTA nobilis matrona & *iſtius loci dominorum proles* ad altare S. PETRI in ſtipendia fratrum tradidit predium quod dicitur *alrataſdorf*, huius mancipationis in noſtra hos teſtes ſignavit eccleſia. *Engilſchalch. Henrich liber. Heriche* de familia *nithart. Henrich. Albwinus. Eticho. Berinhart. Ekaerich. Azilo.*

Num. VI. b. Traditio Iudithæ circa idem tempus.

Loc. cit. 24.

Notum ſit - - qualiter quedam domna IUDITA de *Winzera* delegavit unum manſum in manus PERTHOLDI Comitis *(de Windberg)* ea ratione ut ipſe traderet ad altare S. PETRI in *Altaha* fratribus inibi Deo ſervientibus ut eis deſerviret quam traditionem ſuſcepit EGINO abbas, & advocatus FRIDERICUS. Et iſti ſunt teſtes ADALBERTUS HARTWICUS (Comites) CHADOLT de *Winzera* RICHERI *de Walchinchofan. Engilſchalch de Rupreht de Pargiſteti. Gerloh de Wolfolteſcella. Golti de Etineſdorf. Purchart* & frater eius *tiemo Ekkirich* & frater eius *Huch* de *mennacha. Heinrich* de *Richpretesdorf. Chuno de fremichesperge. Pilgrin* & *Ruodorff* & *chuno* fratres de *Friendorff. Meginolt* & filii eius *Megingoz* & *Wiſo* de *Mardivoldesvelden.*

Digitized by

Num. VII. Traditio ſilvæ monaſterio *Oberaltaich* facta ante ann. 1105 ſed codici ſerius inſerta.

Mon. boic. XII. 24.

Notum ſit omnibus fidelibus, qualiter dive memorie domnus FRIDERICH & fratres ſui HARTICUS & OUDALRICUS & PERTHOLDUS filius LIUTGARDE, equali parte tradiderunt ſilvam ultra *Heimpreitisperg* ſitam ad altare S. PETRI in *Altaha* CC manſus in latitudine & in longitudine usque ad marcham boemaniam a *Wigilinesriet* usque in aquam que dicitur *Pebarha*. Quam traditionem ſuſcepit aduocatus FRIDERICH & abbas EGINO, qui etiam omnes conſtituerunt, ut interfinia & terminos eiusdem ſilue prepoſiti uniuscuiusque illorum abbati & ſenioribus eccleſie S. PETRI monſtrarent, qui ſic uocantur. *Suuitker. Dietpolt. Otto. Adalprecht* & alii, quorum nomina hic non habentur. Huius rei teſtes ſunt nobiles PERTOLT Comes. HARTUICUS frater aduocati. *Aribo. Heinricus. Heinricus. Ougo. Engilſchalch. Richer. Ruotpreth. Chalp. Marquart. Ekkirich. Chadolt. Huch. Wilihalm. Adalpreth. Maganus. Otto. Adalprecht. Walto. Engilſchalch. Routpreth. Wichman. Chuno.* & alii quam plurimi milites dominorum.

Num. VIII. a. Circa idem tempus.

Loc. cit. 25.

Domina LIUTKART cometiſſa mater ADELBERTI Comitis dedit in dotem eccleſie ſancti IOHANIS & ſancti EGIDII dimidium manſum in *Rodwausperge* & mancipium unum nomine *Haziha*. Huius rei teſtes ſunt *Marchwart. Megingoz. Hiller. Hagano. Roudolf. Engilbreht. Gozpolt. Erchinger. Adilger. Vſanbrecht.*

Num.

Digitized by Google

Num. VIII. b. Ante an. 1104.

Loc. cit. 26.

ALUICH ſervus BOBONIS redemit filium ALUICUM a domino ſuo, quem vendicavit in manus cuiusdam nobilis viri ZACCHONIS, qui delegavit eum ad altare ſancti PETRI V. denariis annuatim ſolvendis. preſente ASCHWINO *advocato*. Huius rei teſtes ſunt *Routpreht von Rincheim*.

Num. VIII. c. Circa idem tempus.

Loc. *cit.* 25.

Noverit cuncta poſteritas, qualiter *ductrix* LIUTGART. *Soror* ADALBERTI *Comitis* tradidit ad altare S. PETRI quandam mulierem nomine *Ouspirn* cum omni prole ſua. Huius rei teſtes ſunt *Suitker. Pernhart. Oudalrich. Adelpreth. Sigehart. Richere. Engilmar de Chriſtenesberch. Heinricus* & *filius eius Pertoldus*.

Num. IX. Traditio mancipiorum ad monaſterium Oberalteich. An. 1115.

Mon. boic. XII. 31.

Sancte matris Eccleſie filiis notum ſit, ADALBERTUM Comitem, uxoremque eius HADWICAM *de Windeberge* in profectione ſua cum exercitu in *Vriſiam* provinciam tradidiſſe ad altare S. PETRI *Altahenſis* cenobii pro remedio anime ſue mulierem quamdam *Engilradam* nomine cum VI. liberis, ſcilicet *Richerio, Dietpoldo, Engilboldo, Engilpierga, Mergarda, Liutkarda*, ut *iure nobilium vivant & ſerviant miniſtro-*

Digitized by Google

rum, prefatum monaſterium tunc temporis regente LIUTKERO abbate. Cuius tradicionis idem Comes teſtes adhibuit RICHERIUM de *Walcinchoven*, ENGILSCALCHUM de *Lienaha*. EBRWINUM de *Willingen*. WICMANNUM de *Steinaha*. MEGINGOZUM de *Prachinpach*. HERWICUM de *Weſciſcella*. PERINHARDUM de *Gebrinchoven*. ROVDOLFUM de *Framlingeſperge*. EPPONEM de *Draslaha*. Perpetrata eſt hec digna memorie tradicio anno Mill. C. XV. ab incarnatione dni. indict. VIII. regnante in pace iuniore HEINRICO Imperatore.

Num. X. Traditio FRIDERICI II. circ. an. 1126.

Mon. boic. XII. 31.

Notum ſit fidelibus filiis catholice matris eccleſie tam præſentibus quam futuris, quod FRIDARICUS *aduocatus*, *& uxor eius* LIUTGART tradiderunt poteſtativa manu ad altare Sci. PETRI, quod dicitur *ſuperius Altaha* quandam ancillam ſuam nomine *Gotilam* eo iure, ut *vivat & miniſtret*, *ſicut cetere filie honorabilium miniſtrorum*. Huius rei teſtes ſunt *Heinricus de Richprehtesdorf*. *Routpreht de Parcſtetin*. *Huh de Mennaha*. *Otto de Muozingen*, *& frater eius Engilſcalch*. *Gozprecht de Harda*. *Hertuuich de Siclinſperch*. Et hi ſunt teſtes *Rovdpreth*. *Lantolt*. *Houch*. *Eppo*. *Penno*. *Friderich*. *Adalpreth*. *Purchart*. *Erkinpreht*.

Num. XI. Reſtauratio monaſterii confirmatur ab HONORIO P. II. An. 1126.

Mon. boic. XII. 98.

HONORIUS Papa II. ſeruuſ ſeruorum dei, cunctis fidelibus apoſtolicam benedictionem & ſalutem. Priuilegium libertatiſ

tatiſ *altahenſiſ* cenobii, uti ſubſcriptum eſt, noſtra auctoritate firmamuſ, & ſub panno ſancti PETRI & noſtri conſtringimus, ne quiſquam eidem loco & boniſ ad eum pertinentibuſ aliquam uim iniuſte inferat, aut mali aliquid faciat, quod ſi quiſ hoc transgreſſuſ fuerit, eterno anathemate ſe damnatum ſciat.

In nomiue ſancte & indiuidue trinitatiſ ad comprobandam, & ad declarandam bonorum induſtriam. Notum facimuſ, & memorie poſteriſ tradimuſ, ut uniuerſi eccleſie filii preſenteſ, & futuri ſciant & & recognoſcant, qualiter locuſ *ſuperior Altaha* nominatuſ, omnipotentis Dei ſeruicio ſit inſtitutuſ, & romane libertati trauituſ. Anno ab incarnatione domini M. C. XX. V. indictione VIII. III. iduſ decembriſ I^mo^ anno LOTHARII regiſ *Jaxonici.* Deo annuente & LIUDEGERO eiusdem loci abbate plurimum annitente. conuenerunt ad eum locum cum plurimiſ amiciſ, & nobilibuſ viriſ, & militibuſ ſuiſ. FRIDERICUS (II.) aduocatuſ *Ratiſponenſiſ* eccleſie. cum conſenſu *contectaliſ.* ſue. & ADELBERTUS Comes de *Windeberch.* cum uxore & filiiſ admodum paruuliſ, ad quorum ditionem idem locuſ hereditario iure pertinebat. Ergo per ſpiritum ſanctum admoniti & compuncti eundem locum cum omnibuſ adpenditiiſ ſuiſ, agriſ, uineiſ, ſiluiſ, paſcuiſ, cultiſ & incultiſ, que ipſi aut parenteſ eorum dederant. aut aliqua conſanguinitatiſ & propinquitatiſ eorum deditioniſ iure ad eundem locum pertinebant uel a militibuſ ſuiſ. uel ab ullo anteceſſorum eorum. uel a quoquam hominum eo collata ſunt, omnino uſui ſuo atque poteſtati abalienauerunt, & absque omnium hominum retractione & contradictione deo & ſancto PETRO dederunt, tradiderunt, condonauerunt & perpetuo liberum eſſe decreuerunt, nimirum pro animarum ſuarum & paren-

parentum ſuorum ſaluatione, & abſolutione. Ne ergo hec traditio & confirmatio. ab ullo hominum, uel ab ipſis, uel a poſteriſ nepotibuſ ſuiſ umquam poſſit infringi. aut adnullari. communi conſilio decreuerunt, ut eundem locum in manum predicti ADELBERTI Comitis pariter delegarent. ſcilicet ut ipſe romam ienſ hanc delegationem ſupra altare ſancti PETRI in conſpectu apoſtolice ſediſ epiſcopi, & romanorum principum confirmaret, & ſtabiliret. ea uidelicet conditione, quatinuſ ſinguliſ anniſ exinde *aureuſ nummuſ* in teſtimonium perſoluatur: et ne cuiquam hominum. regum, principum, epiſcoporum, locuſ ipſe cuiusquam ſervicii ampliuſ ſubiaceat. Ceterum hec traditio eo tenore facta eſt, ut monachi ibidem deo ſeruienteſ habeant poteſtatem. eligendi abbatem ſecundum regulam ſancti BENEDICTI. quemcunque velint, aut inter ſe. aut aliunde. qui tamen electuſ. accipiat baculum de altari. Hec etiam conditio inter eoſ facta eſt de aduocatione. uidelicet ut FRIDERICUS, qui tunc temporiſ aduocatuſ erat. ſi filium genuerit, ipſi & poſteri eiuſ iura aduocationiſ ſemper retineant. ſi autem absque liberiſ exceſſerit iura aduocatuſ ad ADELBERTUM Comitem & ad poſteroſ eiuſ pertranſeant & quisquiſ inter eoſ natu maior fuerit, ipſe aduocatuſ conſiſtat, qui tamen aduocatuſ nil aliud iuriſ aut poteſtatiſ quam quod ſubſcribtum eſt inibi retinebit. Semel in anno rationationem cum familia habere debet. & non alibi niſi in eodem loco hanc exercere ualebit. Si autem utilitaſ loci popoſcerit ut illo adueniat, hec ei in ſervitio ſubpeditabuntur. Sex urne uini, & una melliſ. & uiginti urne cerviſie. quatuor modii frumenti. & totidem porci. & duodecim modii avene. ita tamen. ut ſi ibi rationem habeat hec ei omnia dentur: nec alicubi alio deferantur. nec habeat poteſtatem hec cuiquam in beneficium dare, aut preſtare. Qui tamen aduocatuſ ſi fratri-

buſ

Digitized by Google

buſ graviſ & monaſterio inutiliſ fuerit. amoto eo aliuſ fubſtituatur.

Harum rerum omnium teſteſ per aurem attracti ſunt: FRIDERICUS *aduocatuſ.* duo filii ADELBERTI Comitis PERCHTOLDUS & ADELBERTUS. *Dietericuſ de Povchuſen. Dietmaruſ & frater eiuſ Ekkerich de Silichigin. Dietmar de Wenniggeſdorf. Marchuuart de Elbermundeſdorf. Werigant de Wolfaha. Ratpot de Slipphingen. Eberhart de Rota. Willehalm de Geppenheim. Werinheri de Holzen. alius Werinheri & Gotſchalk de Heninchouen. Altman de Welichinberch. Swiver de Perindorf. Vdelrich de Ahahovſen. Liupolt de Elheſſigen. Gozpolt de Rovtenbach.* Hi omneſ nobileſ viri. exin militanteſ. *Adelhart de Riuttæ. Gotpolt de Rouberdorf. Gozwin de Hagabach. Engilſchalch de Landoldeſdorf. Landold de Landoldeſberch. Wolchmar de Mennaha. Gozpreht de Harda. Gumpolt de Herimuteſdorf. Eppo de Drahſala. Rovdolf de fremericheſberch. Adelbrhet de Houedorf. Megingoz & frater eiuſ Hiltibolt. Marchuuart & Werinheri de Nuzbach. Perinhart de Gebinchouen. Marchuuart de Niuenchirichen. Sigibot de Chovnenzhella. Pabo de Geswenta. Hagano de Gezhhuſen.* & alii quam plurimi.

Datum eſt *láterani* in palatio anno dominice incarnationiſ M. C. XXVI. indict. IIII. XI. K. apl. OTTONE cancellario ſancte romane ſedis.

Num.

Digitized by Google

Num. XII. Traditio FRIDERICI ſecundi ad monaſterium *Oberalteich* poſt an. 1134.

Mon. boic. XII. 26.

Notum ſit univerſe poſteritati, quod aduocatus noſter FRIDERICUS (ſecundus) & Vxor eius LIUDKARD, & frater eius OUDALRICUS & filius eiusdem aduocati (*Fridericus III.*) elegauerunt de propriis facultatibus & tradiderunt ad altare ſancti Petri fratribus ibidem Deo ſervientibus unum curtile in *Rogitinperge* pro remedio animarum ſuarum, & parentum, ut remunerentur in retributione Iuſtorum. Quam traditionem ſuſcepit quidam preſbiter & Monachus nomine HEINRICUS in loco abbatis tunc poſitus. Et hi ſunt teſtes. ENGILSCALCH *de Parchſtetin. Heinrich de Ripretesdorf. Routpreth Chouno. Wicman de Steinah. Oudalrich Engilſcalch. Chadolt de Winzara. Ekkerich de Menaha Otto de Henenchoven. Adalbart de Aiterhoven. Pabo de Wiſintfeld. Adalpreht de Agapach. Walto. Dietwin.* & frater eius *Engilſcalch. Marquart. Lantolt* de *Chriſtansperge* & frater eius *Chriſtan. Frideric.*

Num. XIII. Traditio ſub FRIDERICO ſecundo & eius filio ante an. 1137.

Mon. boic. XII. p. 28.

Nouerint cuncti fideles tam poſteri quam preſentes, qualiter RICHERUS de *Walichouen* quoddam predium ad *Eberhardescell* emit ad *Rupertum* & fratrem eius *Chunradum*, quod delegatum eſt in manus HIZONIS de *Hovedorf* ea ratione, ut ipſe delegaret, quocunque *altahenſis* abbas LEUIDIGERUS, vel eius ſucceſſores peterent. Huius rei teſtes ſunt FRIDERICUS *aduocatus & eius filius* FRIDERICUS. CHADOLT & *eius*

Digitized

eius filius CHADELOH *&* CHADOLT. *Heinrich de Mosin. Diether de Basseten. Chuno de Rota, & eius frater Routpertus. Gerhart & eius filius Frideric & Lautwin. Hizo. Hartwic. Oudalrich. Hizo. Adalpreth.*

Num. XIV. FRIDERICUS III. Ecclesiis variis curtes & vineas donat mortis causa ante an. 1137.

Mon. boic. XII. 32.

Nouerint universi fideles tam posteri, quam presentes in unum simul pauper & diues, cuiuscunque condicionis sunt, sciant cuncti mortales, quia FRIDERICUS *iunior* (tertius) *Ratisponensis aduocatus*, FRIDERICI (*secundi*) *&* LIUTKARDÆ *filius*, *fratruelis* OUDALRICI *Eihstatensis episcopi*, in manus ADALBERONIS cuiusdam nobilis viri de *Chirihbach* tradiderit quatuor curtes in *Witilinchouen* cum sex Vineis contiguis, eo ordine, atque conditione, ut si forte ipse prior decesserit, ea predictus vir pro remedio anime eius ad subscriptarum ecclesiarum altaria delegare debeat. Et ut euidentius, clariusque in posterum pateat, firmiusque in cuncta retro secula ipsius delegationis auctoritas permaneat, per se ipsum vivens distinxit, quemadmodum eas ut dictum est, per ecclesias distribui velit, scilicet *maiori ecclesie* in urbe *ratispona* curtem unam. Sancte MARIE in *superiori monasterio* curtem unam, ad *hospitale* curtem unam cum duabus uineis, ad *benedictum Sci Petri monasterium Scottis* duas uineas, ad monasterium sci IOHANNIS in *madehhardesdorf* curtem unam cum duabus uineis. Reliquorum vero prediorum delegationem, que idem prefatus & sepe nominandus aduocatus a supradicto patruo suo OUDALRICO uidelicet *eihstatensi presule* suscepta, hereditario iure possidebat, in fidem & manus *eque admodum illustris uiri &*

nobilis RATPONIS *de Niwenhuſen* contulit ſco PETRO *Altahenſis* cenobii patrono offerenda preſente ipſius loci abbate LIUTKERO. Et quia ipſe inibi locum ſepulture decreuit habere, & per ſuccedentia ſibi tempora cuncti parentes eius ibidem poſiti in pace requieſcunt, eundem locum maxime ſemper amauit, coluit, oblatis etiam donariis, beneficiis, allodiis antea ſepius nunc magnificentius cumulauit, auxit, ditauit, que tamen hic expreſſa minime habentur, quia & loco, & operi pro ſui dignitate & numero incongrua eſſe uidentur.

Num. XV. Circa idem tempus. *Ibidem.*

Nouerint cuncti fideles tam futuri quam preſentes, quod quidam homo nobilis, nomine OTTO de *Vurilbach* delegauit ad altare S. PETRI *Altahenſis* cenobii quandam feminam *Azalam* nomine cum *filiis Meriboto, Chounrad & filia Pertha*, uti in manus eius uenerant, ea ſcilicet ratione ut ſemper ibi uiuant ipſi, & poſteri eorum, iure *nobilium ſeruientium*. Que tamen mancipia *Dietpolt de Chagara* cum ſuis propriis mancipiis commutauit iuſta taxatione de *Scambachenſis* familia, & in manus ſupra dicti OTTONIS delegari fecit, quam traditionem ſuſcepit LIUDIGERUS *abbas* eiusdeem loci, FRIDERICO III.*) *aduocato*. H. t. t. ſ. *Gerune de Scampach. Adelun. Ratpoto. Arnold. Oudalrich. Oudalſcalch. Adelhoc. Isanbreth. Otto. Heinrich. Altolf. Pernhard.*

*) FRIDERICUM iſtum gemini *Altahenſes* MSS. Codices *tertium* diſerte exprimunt.

Num.

Digitized by Google

Num. XVI. LUTGARDIS FRIDERICI II. coniux in monaſterium *Formbach* benefica circ. an. 1140.

Mon. boic. IV. 49.

Domina LIUKART cometiſſa cum manu filii ſui FRIDERICI *Ratisponenſis* aduocati ac filie ipſius domine ADELHEIDIS de *Wiltperge*, dedit *Formbacenſi* eccleſie per manum cuiusdam nobilis viri GUNDEKARDI uiginti manſus ad *Hochenwarte* cum vineis & mancipiis & omnibus eius appenditiis, cultis, ſeu incultis, hac lege & conditione, ut ſi pro aliqua neceſſitate ſeu utilitate eedem poſſeſſiones cambiantur (*permutentur*) aut vendantur, mancipia tamen *Formbacenſi* eccleſie remaneant. Huius rei teſtes ſunt DIETRICUS *Comes*. ENGILBERTUS *Marchio*. ALBINUS *de Steine*. ENGELBERTUS *de Suneheringen*. BALDMARUS & frater eius DIETHERUS *de Halſe*. *Sigehardus de Flazze*.

Num. XVII. Traditio FRIDERICI III. ad monaſterium *Oberalteich* circ. an. 1147 - 65.

Mon. boic. XII. 47. *ſeq.*

Noverit cuncta retro generatio qualiter *aduocatus* FRIDERICUS *iunior* (III.) *Hieroſolimam* iturus predia quedam poſſeſſionis ſue in manus HARTUUICI (III.) *de Bogen*) *Comitis* tradiderit, ea uidelicet ratione, & conditione, ut ipſe ea uicaria traditione pro ſua parentumque ſuorum ſalute ad altare S. PETRI integra, fidelique deuotione delegaret. Cuius commendationis cautionem iſdem Comes prompto ac uoluntario animo ſuſcepit, & promptius adimpleuit, tradens ad prefatum altare dicti aduocati predia, unum *Boracelle*, aliud *Lederare* dictum cum omnibus adpendiciis eorum. Tradidit quo-

Digitized by Google

que iſdem aduocatus ad prenominatum altare mancipia, quorum nomina infra annotamus. *Gerwinus* cum uxore & filiis. *Hazacha uxor Bernhardi de Mennaha. Iepa* & filie eorum *Wilmout* & *Richiza.* Huius delegatiouis teſtes adhibiti ſunt GOTESCHALCH *de Haeninchouen.* CHADELOCH *ee Vuinzere & filius eius chad. Chuno de Heriſingen. Heinricus & frater eius Roudolf de Horenpach. Heinrich de Friendorf. Volchmar & frater eius Gotpoldus de Mennaha. Engilſchalch iunior Scafel. Suuitker de Houedorf. Ditmar iunior de Perindorf.*

Poſtea uero cum ſepedictus aduocatus vita deceſſiſſet, VXOR ILLIUS (IUDITH) predictas poſſeſſiones impetere, & iuri ſuo aſcribere cepit, quaſi non poſſet rata eſſe traditio quam ſe abſente vir ſuus feciſſet. Vnde conpulſus eiusdem monaſterii ueneraudus abbas DIETRICUS conſentientibus fratribus eidem advocate tantum pecunie dedit, ut pariter cum FILIO (*Alberto* vid. N. 19.) preſentibus multis miniſtralium ſuorum earumdem poſſeſſionum prorſus impulſiones omitteret, & a iure illarum penitus ſe abdicaret. *Waldo de Utilingen, & filii eius Waldo & Otto. Hartman de Veltchirchen & frater eius Marchuuardus. Burchart de Hagebach. Gotpolt & Raheuuin de Menna. Friderich de Lantoldesberch. Wezilo Saſso. Pruno de Harda. Engilſchalc de uuoluoltiſchelle & filius eius Hartuuicus.*

Num.

Digitized by Google

Num. XVIII. FRIDERICUS III. monaſterio *Admontenſi* prædium *Prunnen* in *Auſtria* mortis cauſa donat. An. 1147.

Ex codice Admontenſi apud Bern. Pez theſaur. anecdot. Tom. III. P. III. 777. n. CV.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, qualiter FRIDERICUS *Ratisponenſis* Aduocatus iturus in expeditionem *Ieroſolymitanam*, quæ ſub CHUNRADO Rege facta eſt, rogavit & obteſtatus eſt *matrem ſuam* LIUTKARDAM, quatenus predium ſuum in *oriente* apud *Prunnen*, ſcilicet beneficia decem virorum *Admuntenſi* cenobio, ſi ipſe de hoc itinere non reverteretur, vice ſua pro remedio anime ſue delegaret.

FRIDERICO ergo aduocato in expeditione illa mortuo, mater eius ſupradicta, predium eius, quod prediximus, ſicut ab ipſo rogata & obteſtata eſt, cœnobio pro remedio anime eius delegavit.

Quo facto uxor eius nomine IUDITH predium illud, ſicut & cetera eius predia iure maritalis dotis impetere cepit. Quo audito dominus GOTEFREDUS venerabilis eiusdem cenobii pater coram veniens rem ita cum illa compoſuit, ut penitus ab omni inpetitione illius predii diſcederet, data illi ſcilicet plena fraternitate congregationis cenobii, quam ſummopere expetebat. datis quoque preterea tribus marcis. Huius rei teſtes ſunt GOTEFREDUS *prepoſitus de Ratispona. Heinricus Schazſlieſe de Ratispona. Riutgerus de Ratispona & quidam alii.*

Euerunt item alii, qui idem predium iure beneficii inpetebant. PERTHOLDUS ſcilicet de *Tumbrunnen.* HERMANNUS *de Pocches-*

Pocchesruege. ſed idem *Pertholdus* vix rogatus XII. talenta accepit, & verbum apellationis ſue dimiſit. HERMANNO vero XVI. talenta data ſunt, & ab inpetitione illius predii penitus receſſit. Inſuper vineam trium iugerum iuxta idem predium iacentem cenobio tradidit.

His ita peractis dominus GOTEFREDUS venerabilis pater cenobii cum precone provincie predium illud poſſedit & in poteſtatem eccleſie triduana poſſeſſione redegit.

Poſtea ſoror predicti aduocati cometiſſa *de Hohenburch* ADELHEIT homine, & filii eiusdem cometiſſe, comes videlicet ERNST & dominus FRIDERICUS, propinquitatis iure, ut ipſi fatebantur, predium idem inpetere ceperunt. Controverſia itaque inter eos & monaſterium *Admuntenſe* poſita tali fine eſt terminata, quatenus ipſi XX. talenta *Chremenſis* monete a fratribus acciperent, & ab omni querimonia quieſcerent. Ad maiorem preterea huius rei confirmationem ipſi manu propria idem predium monaſterio delegandum domino ADELBERTO *de Bergen*, preſente *duce Auſtriæ* HEINRICO tradiderunt. Inſuper eidem duci ſuum predium *Lohemin* pignoraverunt ea conditione, ut prefatum predium *Brunnen* monaſterio contra omnes homines defenderent, aut ſi hoc non poſsent, prefatam pecuniam XX. videlicet talenta tam bone monete ſicut tunc erat, vel XX. marcas probati argenti fratribus redderent. Huius rei teſtes ſunt CHUNRADUS *comes de Pilſtein.* SIGEHARDUS *comes de Schalaha.* WOLFKERUS *de Staine.* CHUNRADUS *de Raket. Comes* GEBEHARDUS *& frater eius* ADELBERTUS *de Rebegouve.* ADELBERTUS *de Bergen.* WILRAT *de Charlſtein.* WICHPOTO *de Pielach.* PILGRINUS *de Zurel,* RUDPERTUS *Clericus.*

Num.

Digitized by Google

Num. XIX. *Gerardus* Abbas *Oberalt.* satisfaeit prætensionibus Advocatissæ. Circ. an. 1165.

Mon. boic. vol. XII. 53.

Hec sunt predia, que Abbas GERHARDUS suo tempore comparavit, atque redemit. IUDITE *aduocatisse* (uxori Friderici III.) dedi ambulatorem unum pro duobus talentis, & insuper II talenta. ADALBERTO *de Suzenbach* IIII talenta pro predio *lederar.* Dno HILTPRANDO *de Chambe* XIIII solidos & equum pro eodem predio. HENRICO *& filie Vrindorf* dedi VIII talenta & dimidium pro agris & pratis suis - PERTHOLDO (*secundo*) *aduocato* nostro astante & prebendam usque ad finem uite sue, & duos filios eius in monasterium suscepimus. *Blasernperge* predium unum abbas *Dietricus* emit usque ad XIII solidos, quos ego (*Wolframus successor*) propterea persolui. *Tymansdorf* predium unum emi cum VI talentis. H. r. t. s. ADALBERTUS *de Houedorf & frater eius* GOZPOLDUS. GOTEPOLD *de Menna.* CHOUNRAD *de Menna. Siglohus de Velberch.* EPPO *de Ursenbach. & frater eius Marchwardus*, & alii quam plures.

EBERHARD *de Poppencelle* dimidium mansum depositerat *abbati* DIETRICO. Ego eundem mansum datis X solidis & tribus modiis ab eodem EBERHARDO & filio ipsius absolvi & in manu PERTHOLFI (*secundi*) *comitis* delegatum optinui.

Pro optinendis prediis *dni* GOTEPOLDI *de Menna*, GOTEFRIDO & WOLKMARO filiis fororis sue dedi VIII talenta ad sedandam eorum queremoniam licet iniustam & *comiti* PERTHOLDO V talenta pro adiutorio, *presente episcopo ratisponensi* EBERHARDO *), & *prefecto* MEZIL *de Valchenstaine* eiusque con-

coniugi pro parte eiusdem predii ſibi uſque ad finem vitę promiſsa pro redemptione vitalis pacti V talenta, & vaccam optimam tradidi, iubente PERTHOLDO *aduocato*. RICHIZE qnoque *domni Gotepoldi concubine* pro ſimili conditione XIIII ſolidos dedi, & dno GOZPOLDO de *Houedorf* ſuisque filiis pro hac ipſa parte contendentibus dimidium talentum dedi. Domno CHRISTIANO *de Haimburc* VI talenta tradidi pro predio in *Minnebach*. Ego uendidi predium unum IIII talentis, & aliud redemi in *Grube* a dno BURCHARDO *de Haibach* XX ſolidis. Vendidi etiam aliud predium *Pernhardo de Viehta* V talentis, & emi pratum unum a *dno* PERNHARDO de *Mozzinge* VIIII talentis ſub his teſtibus. GOTSCALCH *de Halmchouen*. ALBERTUS *de Steinperge & frater eius* GOZPOLDUS. *Chunrat de Menna. Roudolfus de Menna*. ADELOCH *de Tegrinbach. Pabo de Swende. Gerloch de Pogen*. & alii quam plures. quod idem PERNHARDUS cum fratre ſuo ADALBERONE poſt mortem PERTHOLDI *aduocati noſtri* vi retraxerunt. coemi predium unum *Rute* a *Waldone & fratre eius* XIIII Talentis. Redemi VII iugera XII ſolidis *Silchinge*. In eadem villa V iugera ab *Heinrico* pro V ſolidis.

*) EBERHARDUS iſte non niſi biennio præfuit ſcil. ab anno 1165 ad an. 1167.

Num. XX. Traditio ADELHEIDIS de *Mitervels* ad Mon. *Oberalteich* ante an. 1168.

Mon. boic. XII. 65.

Notum ſit omnibus fidelibus Chriſti tam futuris quam preſentibus, quod nobilis femina ALHEIDIS *ſoror dni* BERTHOLDI *in Mitervels* tradidit ad altare B. PETRI Apoſtoli omni contradictione

ne

ne remota predia ſua in *Crizenchirchen* culta & inculta tam in ſiluis quam in pratis ſimili modo, quo pro remedio anime ſue in *Melbach* II curias & molendinum eidem altari contradidit. Hec autem omnia facta ſunt aſſenſu comitis PERTHOLDI (*ſecundi de Bogen*) & hoc videntibus quam pluribus miniſterialibus ſuis. Huius rei per aurem tracti teſtes ſunt REINOLDUS *de Steina*. HEINRICUS *de Cidelaren*. HEINRICUS *de Schoubinc* & frater eius MARQUART. HERMAN *de Friendorf*. *Wolfram* Iudex &c. & alii quam plures.

Num. XXI. BERTHOLDI II. Com. de *Bogen* diſpenſator duo prædia legat monaſterio *Windberg*. ante an. 1168.

Mon. boic. XIV. 23.

Commendetur memorie tam futurorum quam preſentium, quod *Gozpoldus diſpenſator* (Spiſar) comitis PERTHOLDI de *Pogen* moriens duo predia unum *Mulpach* alterum *peyrwegen* deputavit eccleſie noſtre per *Rawinum* germanum ſuum eiusdem conſenſu & alterius fratris ſui HENRICI, que idem RAWINUS delegavit ſuper altare ſancte MARIE in preſencia teſtium iſtorum.

Nnm. XXII. LUTGARDIS Vxor BERTHOLDI II. com. de *Bogen* in monaſterium *Admontenſe* benefica an. 1168.

Cod. Tradit. Admont. apud Bern. Pez. Theſaur. Anecdotor. Tom. III. P. III. col. 779.

Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXVIII. PERTHOLDUS *comes de Pogen* viam vniuerſe carnis ingreſsus apud *Ro-*

Digitized by Google

teumanne migrauit. Vxor itque illius, LIUKART nomine animam viri ſui diuitiis propriis redimere cupiens, tradidit monaſterio *admuntenſi* ſuper reliquias S. BLASII manſum ſuum, qui eſt ſitus iuxta *Gurkam* fluvium in villa que dicitur ad S. *Georium* in ſupremo ipſius ville, quam frater EBO petierat cum agris & pratis, communi quoque uſu lignorum de foreſto adjacenti - - - Hec traditio facta eſt apud *Liuzen* ſuſcipiente illam Domino LIUTOLDO tunc *admontenſium* abbate, preſente etiam germano Domni *Babinbergenſis* Epiſcopi (*Eberhardi*) fratre WOLFERO, ubi teſtes iſti acceſſerunt. ERINFRID *Pincerna ipſius comitis de Wecileſcelle.* HEINRICUS *Dapifer eiusdem de Hurginpach.* DIETMAR *de Eccleſia S. Marie,* VDALRICUS *de Eberingen,* HEINRICH *Polmar,*

Num. XXIII. Confirmatio eiusdam concambii. An. 1179.

Mon. boic. XII. 55.

Ego CHOUNO dei gratia *ratisponenſis* eccleſie ſecundus Epiſcopus. Omnium tam preſentium quam futurorum nouerit induſtria fidelium, quod quidam cenſualis cenobii de *Superiori Alta.* nomine RACHEWINUS olim accepit cenſualem eccleſie noſtre MATHILDAM nomine, de qua tres filios habuit quod cum *Aduocato noſtro* FRIDERICO (*ſecundo*) diſpliceret, auctoritate predeceſſoris noſtri beate memorie epiſcopi CHOUNONIS & petitione confratrum eccleſie noſtre, conſenſu quoque predicti aduocati in recompenſatione predicte MATHILDIS factum eſt concambium. Quedam enim cenſualis predicti cenobii nomine GELDA cum tribus filiis ſuis ſuper altare beati PETRI auctoritate abbatis LOUDEGERI predicti loci cum uniuerſitate ſui *aduocati* FRIDERICI delegata eſt. Et nos igitur eandem pieta-

tis

Digitized by Google

tis commutationem auctoritate noſtra confirmamus, & ratam haberi precipimus. Ne qua vero ſpiritualis ſecularisue perſona hanc noſtri predeceſſoris & noſtram commutationem immutare preſumat, ipſam multiplici teſtimonio munimus. Et ne a fide & memoria ſucceſſorum noſtrorum hoc concambium poſsit excidere, ipſum noſtri officii banno confirmamus, & hanc iude cartam conſcribi, & ſigillo noſtro iuſsimus inſigniri. Huius rei teſtes ſunt HEINRICUS & OTTO *comites de Ritenburc.* ALBERTUS (*tertius*) *comes de Bogen.* OUDALRICUS *uice domnus.* SIGEHARDUS *de Eberspount. Perhtoldus de Menna. Roudegerus Rapoto de Pilſtein. Hainricus de Horgenbahc. Gerhohc & Roudolf de Uramelisperge. Chouno de Perndorf. Eberhardus de Welchenbourge Rapoto de Pholingen. Altman & Engelbrecht de Winzere. Fridericus, oſterman. Hainricus & Emicho de Uurte. Albertus de Schambahc. Chounradus de Silichingen. Chunradus & Gerhohc de Churnenburc. Meingoz & Rudolf de Calwenburc. Chunradus & Hartwicus de Zidelaren. Chunno de Pouhſe.* Acta ſunt hec anno dominice Incarnacionis M. C. LXXVIIII. pridie Kal. Aug. prope lucum, qui in uicinitate *Wiare* & *Huntzagele* eſt, & dicitur *Schahe.* Regnante FRIDERICO romanorum Imperatore, preſente aduocato comite de BOGEN in publico judicio eius.

Nnm. XXIV. ALEXANDRI III. Pont. max. Bulla protectionis pro monaſterio *Oberalteich.* An. 1189.

Mon. boic. XII. p. 112. *vid. n.* 39. G. H.

ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Capitulo *Altahenſis* eccleſie ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum Monaſterium veſtrum nobis *nullo mediante* ſit ſubiectum, de ipſius conſeruatione ſpecialem vo-

lumus, ſicut debemus, ſollicitudinem gerere, & ejus iura ſummopere conſeruare. Inde utique fuit, quod Venerabili fratri noſtro *Ratiſponenſi* Epiſcopo dedimus in mandatis, ut a moleſtiis, & gravaminibus ejuſdem Monaſterii omnino deſiſtat, & iura neſtra integra, & illeſa conſeruet, & faciat ab alijs conſeruari. Nichilominus etiam nobili Mulieri *L. utgardæ*) *Bognenſi Comitiſſæ*, & ALBERTO filio ſuo ſcripſimus, ut Monaſterium Veſtrum diligere ſtudeant, & in ſuis iuſtitiis conſovere, & poſſeſsiones, quas miniſteriales eorum in beneficium ab eodem monaſterio dicuntur irrationabiliter detinere, Vobis reſtitui faciant, & in pace dimitti. Voluntatem ſiquidem, & ſeruens deſiderium gerimus preſcriptum Monaſterium ſincera in Domino Caritate diligere, & eius ſeruentius intendere commodis & augmentis. Datum *Anagnie* VIII. ydus decembris Pontificatus noſtri anno ſecundo. (*l. vigeſimo ſecundo*)

Num. XXV. Traditio quædam monaſterio *Oberalteich* facta confirmatur in curia *Pladling* poſt an. 1186.

Mon. boic. XII. 61.

Celeſtis ſponſi filii audiant, & in memoria teneant, quod dns LIBHARDUS, qui de ſobole & natione *Valkinſteinenſium* decens & habilis miles fuit, eodem anno, quo ſecundum ſeculi huius ritus in armis ualde iuvenis adhuc floruit, Deo permittente infirmari cepit, amicisque ſuis ad ſe collectis, & annuentibus illis, Vineam unam in monte, qui dicitur *Wartberc* principi apoſtolorum in *altahenſi* monaſterio tradidit, ipſamque traditionem per manum domni ALBERTI, *qui eo tempore in Ratispona prefectus urbis extitit*, bona & fideli intentione confirmavit. Quo facto predictus LIBHARDUS bonam requirens memoriam ad Chriſtum migrauit. Et non poſt multum tem-

pus

pus *universi Bauwarie Principes in Plaedlingen ad conditam curiam venerunt*, domnusque WOLFRAMUS eiusdem monasterii Abbas eo veniens prefatam uineam coram Domino CHUNRADO (II.) *ratisponensi episcopo*, coramque *aduocato bogensi comite*, videlicet ALBERTO (III.) in manum dni SIGEHARDI *de Eberspount* ecclesie sue servandam delegari peciit, & ut futuris temporibus eadem delegatio nota fieret, subscriptis testibus confirmavit. ALBERTUS *comes de Bogen.* ALBERTUS *de Ratispona.* VDELRICUS *vicedomnus.* SIGEHARDUS *de Eberspounte. Liebhardus de Riute. Chunradus de Cidelaren. Otto de Valchenstein. Gozwin de Hiubreteschoven. Walther & frater eius de Chamerdorf. Hawart de Niusar.*

Num. XXVI. ALBERTUS III. Comes de *Bogen* castrum suum *Gurkvelt* in *Carinthia* obpignorat ADALBERTO Archiepiscopo *Salzburgensi.* An. 1189.

Ex Archivo Archiep. Salzburg.

ADALBERTUS *comes de Bogin* obligauit domino ADELBERTO Salzburgensi archiepiscopo castrum *gurkuelt* cum tota dominicatura illa pro septingentis marcis examinati argenti in pondere datis GOZWINI *ratisponensis* monetarii. hoc tenore quod si in natali dni infra duos annos redemptum non fuerit. dns archiepiscopus eliget quinque viros discretos bona fide sine omni condicione sine malo ingenio. & dns comes quinque bona fide sine omni condicione interposita. sine malo ingenio. qui omnes iurabunt, quod neutrius fauore bona fide deliberent. quod dns archieps dno comiti supererogare debeat, quod totum illud patrimonium in proprietatem transeat ecclesie. Uerum si omnes decem in hoc concordare nequiuerint, totum illud patrimonium sit obligatum ecclesie pro octingentis marcis

cis examinati argenti. Interea uero caſtrum erit in poteſtate dni archiepiſcopi. ita quod iuraverunt ei caſtellani, & patebit ei caſtrum omni tempore, nec aliquis recipietur in caſtrum contra uoluntatem dni archiepiſcopi usque ad definitum tempus. Uſufructus autem preſentis anni vel duorum annorum qui ſecuntur usque ad prefinitum tempus erunt in poteſtate comitis. Et ſi die prefixa comes illam ſummam pecunie nec perſuoluerit. nec mediatores illam cauſam deffinierint, tunc pro uſufructu preteriti temporis, quem eſtimauimus centum & octoginta marcarum, erit idem predium obligatum. & ſic ſemper a natali in natalem dni omnes uſufructus erunt in poteſtate dni archiepiſcopi & mutabit caſtellanos & officiales pro ſuo arbitrio. Nec erit in poteſtate dni archiepiſcopi aliquid de illa ſumma pecunie relaxare vel imminuere cujuscunque perſone intuitu. ſed poſt diffinitum diem habeat comes uel eius heredes liberam poteſtatem redimendi idem patrimonium pro octingentis marcis examinati argenti, & centum octoginta marcis *friſacenſis* monete. preter uſufructum illius anni. Uerum ſi ante diem determinatum comes uel eius heredes redimére uoluerint, dabunt eccleſie ſeptingentas marcas examinati argenti.

Item dns comes ab hac die in antea non habebit poteſtatem aliquid de illa dominicatura infeodandi vel obligandi antequam redimat. Item dns archieps ſecuritatem preſtitit dno comiti per eccleſie fideles quod hec inpermutata maneant ſub eo & ſub ſuo ſucceſsore, qui legitime, & cum gratia imperii intrauerit. Comes quoque ſecuritatem preſtitit eccleſie per ſuos fideles, quod bona fide apud heredes ſuos hec maneant inconuulſa & immutata, actum *friſaci* anno m. c. lxxxviiii. in feſto

feſto beati IACOBI in preſencia dni DITRICI *gurcenſis* epiſcopi PILGRINI abbatis S. PAULI. HERTUIDI *gurcenſis* prepoſiti. MEGINHALMI *friſacenſis* Decani & archidiaconi. HERMANNI archidiaconi. de *ortinburc.* ORTLIEBI archidiaconi de *Uiſcaha.* ECKEHARDI prepoſiti *de Solio* in preſencia nobilium. VLRICI *comitis de huninburc.* POPPONIS *de Albecka.* VLRICI *de pecah.* WICHARDI *de Karlisberc* EBERHARDI *de Tra.* BERCHTOLDI *de Salecka.* Interfuerunt etiam de miniſterialibus eccleſie Salzburgenſis *fridericus de Petowa. Hainricus de friſaco, Rehwinus & Reginboto de Schellenberc. Pabo & Cunradus & heinricus de uine. Cuno de Weruin. Heinricus de Gebingingen. Vlricus* & frater eius *Cunradus de Kalheim. Wolframus & Dietmarus de herfeldiſheim. Otto Heinricus Albertus de Libnize. Otto de Leonisberc. Heinricus de Uelpisberc, Erniſt, & Sigemarus de bilſtein. Vlſchalc & filius eius de Ranisburc. Berchtoldus & Craft de Motinze. Alexander Hertwicus otto Arnoldus. Engilſchalcus & filii eius Reginbertus & Engilſchalcus de Straxburc.*

Aderant quoque de *Styrenſibus hartnidus & herrandus. Lenfridus. Suicgerus. Heinricus de Truchſen & filii eius* Colo & *Gotefridus. Richerus de marburc* & filii eius. *Richerus. Lupolt de Leumbach. Albero & frater eius Heinricus de dunkenſtein. offo & frater eius W. de Tufenbach. otto & frater eius ortolfus de Lubin. Miniſteriales de Pogin. Bernhardus Alramus & frater eius Giſilbertus de Gurniz. Pero de Kinburch. Rudolfus caſtellanus de Riuinze. ortolfus de gurkenfelde* & alii quam plures.

Eodem anno *Patauie* in proxima die poſt feſtiuitatem ſancti BARTHOLOMEI confirmata eſt conuencio predicta coram ſubſcriptis teſtibus. Vxor prefati comitis ibidem poſita con-

feſsa

ſeſsa eſt bona illa nec ſibi nec liberis ſuis a comite unquam fuiſse collata. Ipſe comes iuravit ſe eadem bona potenti manu archiepiſcopo inpignorare. Miniſteriales eccleſie quam plures dederunt fidem, ut ſi forte ille Epiſcopus decederet, ipſi bona fide commonerent archiepiſcopum ſuccedentem vt ſtaret eidem pacto, & adiuuaret vt comiti vel heredibus ſuis daretur copia ſoluendi ſi uellent. interfuerunt hic. prepoſitus *Salzburgenſis* GUNDAKARUS & ADILHARDUS prepoſitus de *Ranishouin.* RAPOTO *comes de Ortinburc.* LUPOLDUS *comes de plaien.* PABO *de Eringin.* PABO *de Zollingin.* WALCUNUS. ALRAMUS *fratres de* Kambe *Ditricus & Heinricus fratres de Pongartin. Conradus de Rota. Wernherus de Griezbach. hadimar de ahuſin. Goteſchalcus & Berchtoldus fratres de heninchofen. harpertus de oheim. Sigehardus de ebirsbunde. Gerhohus de Vramelinſperge. Berchtoldus de menna. Hugo de ſunbrechctiſdorf.*

Miniſteriales eccleſie *Salzburgenſis Mengotus caſtellanus Lupoldus de Walde* & filii eius *Lupoldus & Heinricus, Rudegerus & Gerhohus fratres Eckehart de Tanne. Cunradus de grabinſtal.* ceterique quam plures.

L. S. pend.

L. S. pend.

Num.

Digitized by Google

Num. XXVII. ADELHEIDIS de *Runting*, nata de *Mitervels* largitur monaſt. *Oberalt.* Eccleſiam *Chrizenchirchen* ante an. 1194.

Mon. boic. XII. 66.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris quam modernis, qualiter ego ADELHAIDIS *de Runtingen* delegavi ad altare ſancti PETRI Apoſtolorum Principis Patroni ſuperioris *Altahenſis* Cenobii poteſtatiua manu pro remedio anime mee, & Parentum meorum quandam Eccleſiam *Crizenkirchen* nominatam ea ſcilicet lege & iure, ut de clauſtro ſupra dicto perpetuo diuina miſteria ibi celebrentur. Acta ſunt hec ſub Abbate WOLFRAMO coram Comite ALBERTO (*tertio*) ipſius loci Aduocato. Huius rei teſtes ſubſcripti ſic recitantur: *Gotſchalcus & Berchtoldus de Haunhofen, Hugo de Sumprechtſtorff, Fridericus Oſterman, Gerhogus de Fremenſperg, Rudolfus de Tegernbach, Eberhardus de Welchenberg, Berchtoldus de Mitterfels, Goſpoldus de Nuſſperg, Berchtoldus de Hofdorf, Berchtoldus de Stainberg, Goſpoldus & frater eius de Schönnaw, Goſpoldus de Kunzel, Hainricus & Hertwicus frater eius de Peilenchofen, Rudolfus de Pfale, Ulricus de Schäwobing, Sighardus de Steten, Diettmarus Preco, Hainricus Hauſriid, Fridericus, Ulricus, Bernhardus, Ludvinus Göſwinus de Crizenkirchen, Hiltpoldus, & Conradus de Straſs, Wolframus* de *Mennach*, *Berchtoldus* Ruſticus, *Rugerus* de *Mennach*, *Engelſchalg Hainricus* faber, *Marquardus*, & *Renoldus* de *Buchperg*. - -

Num. XXVIII. ALBERTUS III. Com. de Bogen quæpiam largitur monaſterio Windberg. An. 1194.

Mon. boic. XIV. 35.

✝ In nomine Domini Amen. Anno Incarnacionis MCLXXXXIII. *) Indict. XII. Ego ALBERTUS *Comes de Bogen* Vniuerſis preſentem kartam inſpecturis Notum fieri volo donacionem a me factam Eccleſie ſancte MARIE in *Windeberge* ampliare ſategi abdicans iuri meo & *filiorum meorum* quod habui in hubis in *Nidernhermansdorf*, quas dilectus amicus noſter *Hermannus Babenbergenſis* Epiſcopus & famulus (*familiaris*) noſter *Wernherus* de *Weintzdorff* & Cocus noſter *Kalho de Weintzer* ſancte MARIE libere donauerunt ſoluentes vnam ſchaffam ſiliginis & VII ſolidos den. LXXX, oua VIII. caſeos eis perpetuo confirmando.

*) *In originali erronee exſtat MCCXXXXIII.* Vide dicta N. 43. R.

Concedimus ex gratia & petitione predicti Domini & Amici noſtri, vt Monaſterium habeat propriam vecturam natium ibidem ſuper *Danubium* propter blada & alias neceſſitates, quas poterunt habere & dimittere iacere quando & quotiens uolunt ſicut neceſſitas & facultas requirit. Datum apud forum meum *Pogen* preſentibus *Gerhoho de Fremelſperg*, *Alberto de Satlpogen* & *Henrico de Stenkofen*, *Alberto de Erlbach*, *Vlrico de Geltofinge*. *Hermanno Capellano noſtro*. *Rudolfo de Welchenberc*, ſub dilecti filii noſtri ſigillo.

Num.

Digitized by Google

Num. XXIX. Comites de *Bogen* caſtrum ſuum *Gurkveld* Eccleſiæ *Salzburgenſi* tradunt, & ab ea in feudum recipiunt anno 1202.

Ex Archivo archiepiſcop. Salzburgenſi.

Nos ALBERTUS, BERCHTOLDUS & LUPOLDUS fratres & comites de *Bogen.* Notum facimus per preſens ſcriptum tam preſentibus quam futuris Quod cum pater noſter comes ALBERTUS *de Pogen* inſtante ſibi neceſſitate *gurkvelde* caſtrum & poſſeſſiones eidem adtinentes dno & conſanguineo noſtro ALBERTO venerabili *Salzburgenſ.* Eccleſie Archiepo pro octingentis marcis argenti *friſacenſis* ponderis obligaſset loco pignoris, ita quod ſi in terminis ab eis conſtitutis non eadem pecunſa ſolueretur, antedictum caſtrum & poſſeſsiones cederent eccleſie *Salzburgenſi*, ut ab eisdem poſſeſsionibus plene reciperet vſufructus & caſtrum in ſua cuſtodia detineret, donec memorata pecunia ſolueretur. Sed quia idem dns & conſanguineus noſter ob dilectionem patris noſtri & matris noſtre peticionem, que ſibi *conſanguinitatis* linea adtinebat ſolucioni aliquamdiu ſuperſedit, quod nec caſtrum in ſuam poteſtatem recepit, nec vſufructus poſſeſsionum uſurpauit, propter hoc maxime, quod pater noſter fide data promiſit, ſi aliqua occaſione ſepedictum caſtrum & poſſeſsiones a ſe vel ſuis heredibus uellet alienare vel per uenditionem uel per locationem, quod hoc faceret eccleſie *ſalzburgenſi.* Cum autem idem dns noſter ALBERTUS *Salzburgenſis* archieps & pater noſter comes ALBERTUS pecunia non ſoluta deceſsiſſet, & dus EBERHARDUS *Brixinenſis* Epiſcopus ſucceſsiſſet, nos quoque paternam hereditatem intraſsemus, idem EBERHARDUS *Salzpurg.* Archieps tam ſuper memorata pecunia quam ſuper poſſeſsionibus cum retentis

fructibus nos conuenit. Nos vero super eadem solutione grauari timentes, attendentes etiam promissum patris nostri ad hanc compositionis formam de nostrorum fidelium & aliorum prudentum consilio conuenimus cum eodem Archiepiscopo EBERHARDO sic uidelicet, quod sepedictum castrum *Gurkuelde* cum suis possessionibus tam infeodatis quam non infeodatis nec non cum ministerialibus eidem castro adtinentibus omni iure quo possedimus a progenitoribus nostris in proprietatem tradidimus *Ecclesie Salzpurgensi*, ab ea in feodo postmodum recipientes, tali conditione adiecta, ut si nos contingeret decedere sine heredibus, in potestatem *Salzburgensis* Ecclesie libere rediret prestantes insuper juramentum, ut circa fideles nostros faceremus quod hec omnia seruarentur. dominus igitur EBERHARDUS *Salzburg.* Archiepiscopus nostram deuotionem circa Ecclesiam recognoscens remisit pecuniam, pro qua per patrem nostrum fuimus Ecclesie obligati renuncians obligationi cum perceptis fructibus, damno quoque, quod ecclesie per patrem nostrum in possessionibus suis *Altenbuch* & *Durstinburge* intulisse dicebat, octingentas etiam Marcas ponderis *frisacensium* nobis insuper de consensu capituli & consilio ministerialium erogauit. Huius rei testes sunt. VLRICUS *dux Carinthie.* WILHALMUS *comes de Malutin.* OTTO. GOTFRIDUS & EHOLO *fratres de Truchsen. Reinbertus de Murekke. Wichardus de Carlsperc. Heinricus castellanus de Frisaco. Albertus de Risperc Fridericus de Petowe otto de Kunegesperc Chuno de Weruen Chunradus Castellanus de Salzburc. Ekehardus de Tanne. Heinricus de Harskirchen. Cunradus de Kalheim. Marcwardus & Gerhohus fratres de Bercheim. ortolfus de Montparis otto de Leimenz. Heinricus de Lichenberc. Albertus de Maierowe. offo de Gurniz. ortolfus de Gurkuelde Pertholdus de Menna. Gerhaus de Fremerichsperge. & alii quam plures nobiles & vulgares.*

Acta

Acta sunt hec apud *solium in Ecclesia sancte Marie (Marie sal.)* Anno ab incarnatione dni M. CC. II. In argumentum itaque & memoriam huius facti presens priuilegium conscribo & *sigillo patris nostri*, quo tunc temporis omnes pariter utebamur ipsimus roboravi.

L. S. pend.

Num. XXX. ALBERTUS IV. comes de *Bogen* monasterio *Nideraltach* compensat damna illata.

An. 1207.

Mon. boic. XI. 177.

Agnoscat generacio presens & percipiat futura, quod ego ALBERTUS *comes de Bogen* cum quodam tempore rerum karistia in prouincia nostra nimis inualuisset, domnum POPPONEM abbatem, qui tunc *altachensi* Monasterio *inferiori* preesse uidebatur, in frumento tantum & vino tum mutuo acceptis, tum violenter illi ablatis *amplius ducentis libris* dampnificavi. Posthac frequentes illius querelas non passus, quibus onerare & prodere me Domino Regi & Duci non desiuit, rerum suarum dampna consultis familie mee honestioribus digno restauracionis impendio compensare disposui, & presentibus mediantibusque terre *Baronibus* ante placitum, quod habiturus erat. *Dux* LODEVVICUS in *Strubingen*, tres curtes de patrimoniis meis, que in sortem mihi preuenerant, quando possessionum nostrarum facta est diuisio inter me & fratres meos, cum omni jure proprietatis sibi, successoribusque suis in sempiternum con-

contuli, Curtem videlicet vnam in *Yfarstorf*, quam continuo absolute possedit. Secundam, que in *viquinti talentis*, a dno *Ottone de Ratolstorf* tenebatur in pignore. terciam, qua racione sui officii CHVNRADUM *de Peutzchoven dapiferum* meum infeodaueram, sibi absoluere debui. Insuper predium vnum, quod adhuc indiuisum erat inter nos, si in sortem illud mihi caderet, pretaxatis curtibus sub nomine proprietatis adicere certissime spopondi. Quod si casu aliquo siue animo meo permutato, sive quolibet impedimento dignum non consequeretur effectum ministeriales mei in pagina subnotati, in *centum talentis* per sacramentum Juris jurandi abbati tenerentur obligati certo tempore dandis. Porro quod factum istud fortioris, & insolubilioris esset firmitatis, prenominata bona cum omni vsu & proprietate, sicut antea feceram, *presentibus terre primoribus* manu potestatiua, nullo contradictionis impedimento obstante, altari Sancti MAURICII in *Altach* absolutissime in perpetuum delegaui. Igitur ne rem taliter gestam & facti solemnitatem cuiusquam in futurum valeat impugnare seu lacerare calumpnia, presentem scripturam sigilio meo roborari & autenciare volui. Testes autem huius facti sunt. *Comes* RAPOTO, *& frater eius* HENRICUS. *Comes de Ortenburch. Dns Kalhohus de Chyrperch. Dns Altmannus de Helngerſperg. Gozpaldus de Schonenstein. Gerhoh de Frememlinsberg. Bertoldus de Steinberch. Chunradus Dapifer. Heinricus Polmer. Ebo de plaude. Henricus Judex & frater suus Rudolfus. Berchtoldus* de *Mitternfels*. Acta sunt hec Anno incarnati Verbi M. CC. VII. Indictione X concurrentibus VII existentibus Regnante Rege PHILIPPO feliciter Amen.

Num.

Num. XXXI. INNOCENTIUS III. conſtituit conſeruatores contra comites de *Bogen*, monaſterii *Oberaltach* Advocatos anno 1207.

Mon. boic. XII. 116.

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo, & dilectis filijs Prepoſito *Ratiſbonenſi*, & Abbati de *Prüel Ratiſbonenſis* Dieceſis ſalutem & apoſtolicam Benedictionem. Dilecti Filii Abbas & Conuentus Sancti PETRI in *Altach* ſua nobis conqueſtione monſtrarunt, quod Nobiles Viri BERCHTOLDUS, & ADALBERTUS filii quondam ALBERTI comitis de *Bogen Ratiſbonenſis* Dioceſis occaſione Aduocaciæ, quam in eorum Eccleſiam ſibi vendicant, defenſionem, quam ex illo ſibi deberent officio, in perſecutionem duriſſimam pervertentes ipſi, & miniſteriales ſui ejusdem dioceſis homines eiusdem Eccleſiæ usque adeo grauibus moleſtiis inquietant, ut rebus propriis denudati ad aliorum ſe tranſferre dominia compellantur. Poſſeſsiones quoque, quas predicta Eccleſia conceſsione Pontificum, Liberalitate Principum, vel aliorum donatione fidelium eſt adepta, dicti Nobiles, & alii ad eam inopiam redegerunt, ut fratribus in Eccleſia memorata degentibus vix poſsint ex eis procurari Victus tenuis, & Veſtitus, ac in multis aliis ijdem Nobiles & alii exiſtentes ipſi Eccleſiæ iniurioſi pariter & moleſti, Perſonas Altaris obſequio deputatas Vulnerare interdum & ſpoliare propriis rebus non formidant. Volentes igitur ejusdem Eccleſiæ indemptnitatibus precavere que ad *Romanam* Eccleſiam ſpecialiter pertinere dignoſcitur, diſcretioni Veſtræ per apoſtolica Scripta mandamus atque precipimus, quatenus Nobiles ipſos, ac alios, ut ab eiuſdem Eccleſiæ ſuper premiſſis indebita moleſtatione deſiſtant, & de dam-

dampnis, ac iniuriis irrogatis tam plenam ei quam debitam ſatisfactionem impendant, monitione premiſſa per Cenſuram eccleſiaſticam ſublato cuiuſlibet contradictionis, & appellationis obſtaculo compellatis. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe, tu ea frater Epiſcope cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum *Romæ* Pontificatus noſtri Anno nono.

Num. XXXII. BERTHOLDUS III. com. de *Bogen* monaſterio *Nideraltach* confert Parochiam & dominium in *Arnpruck*. An. 1209.

Mon. boic. XI. 178.

In nomine Patris, & filii, & ſpiritus ſancti, amen. Preſentibus & futuris generationibus huius ſcripti continentia transfuſa eſt, ne fauillis obliuionis ſepeliantur, quæ ſolemniter acta. & litteris mandata eſſe noſcuntur. Manifeſtum ergo ſit. quod ego BERTOLDUS *comes de Bogen*. cum publico mandato Romani regis Auguſti OTTONIS cauſſa imperialis capeſſende Benedictionis aſtrictus ſe um *romam* iter maturarem. ſpiritu actus pietatis, quanta damna *altahenſis* eccleſie contra fas iuſticiamque commiſerim, in animum reuocaui. Quo feruore ſpyritus *Altahe* perueniens in redemptionem peccatorum meorum preſentibus & aſtantibus fratribus meis LIUPOLDO ſimul & ALBERTO. & fidelium noſtrorum uniuerſa familia, nec non terre noſtre multorum nobilium aſtante corona. venerabili abbate domno POPPONE tunc eandem eccleſiam regente & aſſiſtente, patrimonium meum quod in ſortem hereditatis michi prouenerat, poteſtatiua manu altari Sancti MAURITII perpetuo donaui, plenam ac integram eiusdem patrimonii eccleſie

cleſie aſſignans poſſeſſionem. ſacramentoque confirmans & probans. nullum preter memetipſum in predicte donationis patrimonium habere *ſalmannum.* Jusque ipſum delegatorium *ſalmanni* ſimul cum patrimonio eccleſie perpetuaui. aſtringente me tamen ad hoc largo miniſterio. ac deuota ſeruitute, quam pro maximis & plurimis expenſis domnus abbas illo tempore mihi & fratri meo ALBERTO *pro cinguli militaris honore capaſſendi* largiter exhibuit. Itaque donationem memoratam nominatim expreſſi ſcilicet *anprukke* eccleſiam matricem. cum capellis ſibi attitulatis uidelicet *pebraha. ſekenede. Wecelſcelle.* cum omni jure patronatus & decimis. & uillam eius matricis eccleſie cum mancipiis tam Eccleſie quam meis & omnibus ſuis attinentiis. pratis. agris. cultis & incultis. queſitis & inquirendis, ſiluis, ſaltibus, paſcuis, aquis, molendinis, piſcaturis, & cum omnibus que ad quemlibet uſum in predictis bonis prouenire, ſeu nominari poſſunt. Cum hiis quoque feudalibus beneficiis per conceſſionem in alios defluxerunt. ut cognoſcant feudalium beneficiorum poſſeſſores, per manum abbatis, tanquam a uero patrono & domino illa debere recipi. Verum tamen donationi facte conditionem huiusmodi interpoſui. ut ſi contingat uita me comite patrios reuiſere lares, predicte donationis bona per huius pactionis formam recipiam. ſcilicet ut in ſignum perpetue traditioniſ. vereque poſſeſſioniſ argumentum ex iam dictis bonis quoad uixero *triginta denarii* per ſingulos annos eccleſie ſoluantur. Villam etiam que dicitur *Rukozzingen.* in qua eccleſiam contra debitum iuſticiamque moleſtaueram. amodo quietam. & ſtabili pace gaudentem ſacramentali cautione relinquere ſpopondi. Hubam etiam ſolitariam que ratione aduocatie in iam dicta uilla me contingebat, pro maioris conſolationis ſubſidio prebende fratrum ab omni grauamine mei iuris de reliquo illeſam ac liberam reliqui. Et

Digitized by Google

ubi locorum qualicumque uocatione mortis humanis rebus exiero, ad placandam iram diſtricti judicis, & pro ſempiterne mercedis copioſo fructu recipiendo. hac libera donatione, cum debita ſeruitutis penſione. predicta perenniter *altahenſis* gaudeat eccleſia. Porro ut huius ſolemnis facti perpetuetur memoria nec calumniantium in futurum ualeat ingenium. ſigilli mei cautione. teſtiumque ſubnotacione. hanc kartam communiui. Teſtes. *Altman de helngernſperge. Heinrich de manzingen.* & frater eius. *Heinrich de Zirnberc* & frater eius *Willehalm. poppo de Keſperc.* & frater eius. *Willehalm. Fridrich. Cunrat Zikke* junior. *Ebo*, & frater eius, *Ebo. Pertoldus de mitteruels. Gotzbolt de ſchönſtein. Gotzpolt de Guzperc.* & filii ſui. *Albertus de övve. Perhtolt de houedorf. Perhtolt de ſteinperte. Cunrat de erpholdeſcelle* & frater eius. *Gerhoch de framricheſperge. Gerhoch de pomuzzelſriede, heinrich pfölingere. Palmer. Roſſel. Heinrich reute. Rudolf. reute. Heinrich de alnchouen. Vlrich de gredinsdorff* & frater eius *Poppo, Poppo de Geltoluingen. Perhtold de Schiltperc. Cunrat de pruövve. Havvart de eutingen. Rutland de puhſe. Meingoz de reine. Ortliep ab der heide. Zanter. Otto de puchperc. Fridrich de ſekenriede. Albrecht de greuenvviſen. Heinrich woluel. Egilof de ſwarzaha. Rapot ſturm. Marquart Klinge. Liupolt de heimingen. Engilbertus Göman. Reinhart de iſerhouen. Rudiger de eichah. Reinolt de ſteinah. Pertold Klafſchinc. & frater ſuus.* Abbates *Goppolt de ſuperiori altahe. Vlricus de Windeberge. Rudigerus de metm.* Plebani. *Dietricus de enprukke. Sippehart de Girſtal. Dietrich de vichtaha. Decanus de otlingen. Richo de Kunzen. Chuno de vrbach. Rudiger der erlbach. Cunrat de paſchingen. Dietricus Zikko.* Abbas *Ludewicus de alderſpach.* Prepoſitus *gerunc de oſterhouen.* actum eſt hoc anno Dominice incarnat. . milleſimo CCVIIII. indictione exiſtente Prima regnante ſereniſſimo rege OTTONE.

Datum

Datum Quinta *Idus* Iunii ſcilicet in die ſanctorum *PRimi* & FELICIANI feliciter Amen.

Num. XXXIII. BERTHOLDUS com. de *Bogen* donationem an. 1209 monaſterio *Nideraltach* factam renovat. An. 1217.

Mon. boic. XI. 185.

In nomine Chriſti amen. Succedentibus ſeculis notorium fieri preſenti ſcriptura laboraui, quod ego BERTOLDUS *comes de Bogen* cum pro multiformibus delictorum meorum commiſſis in auxilium terre ſancte partes tranſmarinas uiſitare ordinarem, iam in procinctu conſtitutus, donationem quam olim feceram *Altahenſi* Eccleſie, cum in regia expeditione *auguſti* OTTONIS *Romam* profectus fuiſſem, nunc abundantiori ſcripture cautela innouaui. Tradidi autem eccleſie & per ſcripta roboraui, & nunc ſecundo Sancto MAURICIO Martyri chriſti delego, ſcilicet *Enprukke* matricem eccleſiam cum fidelibus ſuis & uilla matricis eccleſie cum decimis & hominibus & omnibus attinenciis ſuis, agris, cultis & iucultis, queſitis & inquirendis, pratis, aquis, molendinis, piſcaturis, ſiluis, ſaltibus, Paſcuis, & cum omnibus, que qualitercumque in dictis bonis quodlibet lucrum ſeu emolumentum aut fructum eccleſie parere poſſunt. Nec non & ea que feudali conceſſione in alios deuoluta ſunt, ut ſciant omnes poſſeſſores illorum de manu abbatis illa fore recipienda tamquam a uero rei domino & quicquid diuina manus mecum ordinauerit, ſiue reditum in patriam uita comitante conceſſerit nec ne, predicta tamen donatione cum plena & integra poſſeſſione ac pprietate iugiter ac libere gaudeat eccleſia non obſtantibus illis. *XXVIII. libris*

in quibus eadem bona domno *Sifrido de gravenwiſen* obligata tenentur, quam ſumam per *Heinricum de pfölinge* de ueris patrimoniis meis iniunxi ſoluendam, quatinus ſine omni impedimento donationis poſſeſſio libere ac integre ſicut prius redeat ad eccleſiam. Et vt traditio olim facta ſtabilis & inconuulſa in euum permaneat, maioriſque ſolemnitatis ſit & firmamenti, hanc ſecundam confirmationis paginam ſigilli mei auctoritate & teſtibus roboraui. Actum eſt hoc in *pledlingen* preſentibus fratribus *Altahenſis* monaſterii, uidelicet *Wolfkango Decano. Chunrado Sacriſta. Gebhardo ſacerdote. Albino converſo.* Copiam etenim domni abbatis tunc temporis habere non potui. Teſtes. POPPO *de Geltoluingen*, & VLRICUS *filius eius.* ALBERTUS *de Satelpogen.* HEINRICUS *Pfölinger. Palmer. Rudolf de Welchenberc. Heinricus de Zidlarn, Röſſel Chunrat de Puzehouen. Albertus de öwe. Meingoz de Puzechoven, Albertus de Haibach*, & alii multi.

Anno. Domini. Mill. CC. XVII. Indictione VI. Regnante FRIDERICO Imperatore. Datum XV. Kalen - das Decembris.

Num. XXXIV. BERTHOLDUS III. com. de *Bogen* monaſterio *Oberaltach* quædam Bona largitur, & reſtituit circ. an. 1217.

Mon. boic. XII, 74.

Noverit univerſitas tam preſencium quam futurorum, quod *Comes* PERTHOLDUS *de Bogen* profecturus *Ieroſolymam* ea ſpecialiter preordinare ſtuduit, que ad ſalutem anime ſue ſibi profutura ſperavit, & ſancto PETRO in ſuperiori *Altah* quatuor predia *Zeinerhartſteten, Lugnaren, Haide*, & molendinum *Louſe*

Digitized by Google

Louſe ad perſoluenda a Dno GERHOHO *de fremerſperg* pro V talentis & feudum *Sant*, quod nobis inpignoratur a *Comite* PERTHOLDO (*tertio*) pro quinque talentis & quatuor marcis argenteis. Huius rei teſtimonio adſtipulantur HENRICUS *Pfolinger*. RUDOLFUS *de Welchenberch*. *Heinricus de Zidelarn*, *Pertholdus Chlaphſchinch*, & alii quam plures.

Hec ſunt predia que nobis retinuit PERTHOLDUS *comes* potenti manu. *Puchperge* tria predia. *in ſuperiori Puchperge* curtem. *Vtenhoven* curtem, *Waſſenperg* curtem. *Cedernhove* curtem. *Chage* curtem, vineam *Tailſteten* curtem & pratum in *Tannawe*, & ſilvam *Stege* curtem in *Mennah*.

Num. XXXV. ALBERTUS IV. comes de *Bogen* donat tertiam partem fori *Bogen* & reſtituit quædam Bona injuſte poſſeſſa anno 1220.

Mon. boic. XII. 118.

In Nomine Sancte, & Individue Trinitatis Ego ALBERTUS Comes de *Bogen* omnibus in perpetuum; ✠ Quia ſicut aqua ignem, ita & elemoſinam extinguere peccatum & credo & ſcio. Vnde ad noticiam preſenti pagina omnium eam intuentium peruenire uolo, quod ego in obſequium Crucifixi ad marinas partes proficiſci volens, pro remedio anime mee, meorumque Uenia delictorum, contuli Eccleſie in *Superiori Altha* tertiam partem fori mei, quod *Bogen* dicitur, in perpetuum uſum Fratrum ibidem Deo famulantium cum omnibus adtinenciis ſuis, & prediis, ſiue hominibus ſeu etiam omni forenſi iure, ac prouentu, Sanctoque PETRO Apoſtolo delegans omnem proprietatem eiuſdem tercie partis, que hæreditarie con-

contingebant Fratrem meum LEUPOLDUM cum omnibus appendiciis ſupradictis. Vniuerſis etiam bonis eiuſdem eccleſie, que hactenus a me uiolenter poſſeſsa & occupata iniuſte, vel alienata ſunt, integre renuncio, nullum in hiis, & in prememoratis bonis eccleſie prefate a me collatis, ivs hereditatis, aut poteſtatis in poſterum aliqua prorſus interveniente donacione, vel pactione relinquens. Nomina uero bonorum iniuſte poſſeſsorum, ſunt hec. Quatuor Curie in *Puchperge*, in *Vtenaorf* predium unum, *Waſſenperge* predium unum, in *Oede predium*, & Vinea, in *Kagere* predium. in *Höflein* predium, in *Tannawe* pratum. Dotem in *Menna*, Curia in *Tailſteten*. Curia in *Sante*. Curia in *Straſkirchen*, quatuor Curie in *Heide*. Due in *Riede*. Molendinum in *Lauſe*, due Curie in *Melbach*. Ad majorem igitur mee donacionis, & renunciacionis effectum preſentem paginam inde conſcribi, & Sigilli mei munimine duxi roborari. Teſtes IOHANNES *Abbas de Winneberge*, GEBHARDUS *Marſchalchus de Menna*, *Hartuic de Eia*, *Heinreich in Prvel*. *Albertus de Haybach*. *Kapoto Prepoſitus de Menna*, & alii plures. Actum & datum in *Naterberc*. Anno Domini M CC. XX indictione VII octavo K. Aprilis.

Num. XXXVI. ADELHEIDIS de *Runting* renovat donationem Eccleſiæ *Creuzkirchen* anno 1221.

Mon. boic. XII. 119.

Nouerit tam præſens etas, quam futura poſteritas, quod ego ALHAIDIS de *Runting* olim tempore WOLFRAMI Abbatis bone memorie de *Superiori Altach* donaverim ſuper Altare beati PETRI ibidem coram Domino ALBERTO felicis memorie illuſtri Comite de *Pogen* & Aduocato ejusdem Monaſterii,

rii, pro remedio anime mee, & progenitorum meorum Eccleſiam meam in *Krizenkirchen* ſimul & predium meum ibidem cum omnibus attinenciis ſuis, agris ſcilicet, & pratis, ſiluis & paſcuis. Dictam vero eccleſiam ſub tali forma Juris, & proprietatis, vt de memorato Monaſterio, & non aliunde perpetuo in ea celebrentur diuina; nunc quia vicina morti mihi eſse videor, & hominum nimis inſidioſam cognoſco cupiditatem, ſupradictam donationem tam Eccleſie, quam etiam predii ad firmiorem fidei certitudinem ſtudui preſentibus renouare prefato Cenobio preſidente Domino KONRADO Venerabili Abbate, Domino vero ALBERTO (quarto) Comite de *Pogen* ſolo ſuperſtite filio Comitis ALBERTI præmemorati, quorum fideli tuitioni ipſam Eccleſiam & predium ſepefatum commendo ſuper animas ipſorum inde coram Deo reſponſuris, Vt nullius uſurpatio, aut inpetitio poſsit aut debeat contrarium ſubinferre. Preſens autem pagina inde conſcripta vtroque ſigillo tam Abbatis quam & Conuentus & annuli noſtri impreſsione roboratur. Teſtes ſunt ULRICUS *Decanus*, RUDLIBUS *Plebanus*, *Rudigerus Conuerſus*, *Reinoldus de Steinach. Henricus de Zeidlarn*, *Henricus de Schambach. Marquardus frater eius*, *Wolframus Judex*, *Albertus de Ernoldeſvelden*, *Henricus Pfelinger*, *Perchtoldus de Stainberchk*, *Henricus auf dem Prüel. Goſwinus Villicus de Krizenkirchen*, *Conrat*, *Rudger*, *Ulreich*, *Heinreich*, *Engelſchalchk*, *Trautman*, *Heinrich Glaſer*, *Kunrad*, *Vogenluger*, homines Abbatis. *Herman de Frindorff.* Hii Abbates interfuerunt. POPPO Abbas de *inferiori Altach*, RUGERUS Abbas de *Allerſpach*, SEWFRIDUS Abbas de *Walderwach*, & *Epiſcopus de Halberſtat.* Acta ſunt hæc in *Pogen* Anno Dominice Incarnationis M. CC. XXI. Indictione nona.

Num.

Num. XXXVII. ALBERTUS IV. com. de *Bogen* promittit monaſterio *Nideraltach* advocatiam ſine queſtu. An. 1222.

Mon. boic. XI. 190.

In nomine domini Amen. Ego ALBERTUS Comes de *Bogen* confiteor & proteſtor, quod cum domnus POPPO uenerabilis abbas Eccleſie S. MAURICII in *Altha*, cuius aduocatia me contingit, nobiles uiros RAPOTONEM & HEINRICUM *comites de* ORTENBERCH. HADMARUM & RAPOTONEM, *fratres de Ahuſen*, fratresque *de* HALSE ALRAMUS & ALBERTUS pro grauibus dampnis ab ipſis ſibi & ſue eccleſie illatis, apud ſedem apoſtolicam & Imperialem celſitudinem fatigaret, ipſique ob inuidiam mei predicte eccleſie ſatisfacere non curarent, allerentes de prediis ſuis numquam aliquid ſe uelle conferre monaſterio ſepedicto, niſi promitterem ac publice proteſtarer, quod numquam de prediis eisdem ulla iura expoſcerem aduocati, nec imprimis abbatem uel monaſterium predictum occaſione aliqua moleſtarem, ad inſtantiam peticionis ſue ac fratrum ſuorum, & ne talis concordie ac pietatis ego fierem impedimentum, ſupraſcripta ſeruare firmiter compromiſi. Petiuit inſuper iam dictus abbas, ut de prediis in *Oexinge*, que PABO & ALBERO domini de *Ceholuinge* eccleſie ſue contulerant, ſimilem proteſtacionem, ſibique ſuper hiis omnibus publicum ad cautelam porrigerem inſtrumentum. Cum igitur alias in deum & S. MAURICIUM eiusdem eccleſie patronum me conſtet multiformiter deliquiſſe, in hoc ſaltem anime mee prouidere uolens, talem facio proteſtacionem, quod eadem predia, hoc eſt duas curias in *Smidorf* & in *Pering* & duas in *Taimarſpach* & in *Walhendorf*, & predia in *Oexing*, curiamque in *Linzing*, &

queque

queque forte predicti domini pro dampnis ſuis in futurum monaſterio contulerint ſupradicto, ſine omni utilitate defendere uolo propter deum, hoc adiiciens, ut ſi inprimis per me uel per iudices meos eccleſia fuerit aliqualiter moleſtata, domnus Abbas & fratres eligendi ſibi ſuper eisdem alium aduocatum liberam habeant poteſtatem. Ad huius autem facti teſtimonium preſens ſibi porrigo inſtrumentum ſigilli mei munimine roboratum. Actum in *Pledling*. Anno domini. M. CC. XX. II. Teſtes ſunt. HEINRICUS *de Pfölinge*. CHALHOHUS de *Winzir*. ALBERTUS de *Nuzperch*, & alii quam plures.

Num. XXXVIII. ALBERTUS IV. com. de *Bogen* promittit advocatiam dominii *Arnpruck* ſine onere.

An. 1222.

Mon. boic. XI. 191.

In nomine Domini. Amen. Ego ALBERTUS *Comes de Bogen* patefacio cunctis cernentibus preſens ſcriptum, quod ego fratri meo bone memorie BERHTOLDO comiti iam apud *Damiatam* morienti preſente LIUPOLDO *Duce Auſtrie* multisque aliis preſentibus fideliter conpromiſi, ut bona in *Ennepruk*, que ipſe contulerat *Altahenſi* monaſterio, deberem ſine omni queſtu defendere propter deum. Ad quod faciendum ſcripto preſenti obligo me & omnes qui mihi ſuccedunt in Aduocatia eccleſie memorate, adiciens inſuper & promittens, quod villam in *Rukozzing* & bona HUGONIS *de Sumbrehſdorf*, & alia bona, que a meis vel ipſius eccleſie Miniſterialibus iam dicto Monaſterio donata ſunt uel donabuntur, ſine omni iure aduocaticio & exactionibus, ſicut hucusque a progenitoribus meis conſuetum fuit & iuſtum, defendere teneor & tueri. In huius rei teſtimonium venerabili domno POPPO-

NI Abbati & ecclesie *Altahensi* presens porrigo instrumentum ipsi ecclesie in perpetuum ad cautelam. Datum Anno dominice Incarnationis. M. CC. XX. II. Sexto Kaln. Septemb. Testes. POPPO *de Geltobsing*. VLRICUS *filius eius*. ALBERTUS *de Satilpogen*. HEINRICUS *de pfoling*. RUDOLFUS *de Welchenberch*. MEINGOTUS *de Pevtzchosn*. & alii multi.

*) *Idem Comes eamdem promissionem repetit anno 1224. Vid. Mon. boic. XV. 5.*

Num. XXXIX. Idem compensat damna monasterio *Niderastach* illata. An. 1225.

Mon. boic. XI. 195.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis Amen. Omnis calumpnie cauillosa excluditur obiectio. ubi rerum gestarum magnificis factis autentice scripture idoneo cauebitur instrumento. Igitur ne temporum succedentibus curriculis perpetuis sordescant obliviis, que solempni facto. fineque sunt clausa legittimo. in propatulum uenire. presentibus futurisque generationibus per hanc paginam decreui liquere. Quod ego ALBERTUS Comes de *Pogen*, cum ex mandato sereniſſimi Imperatoris FRIDERICI in *Apuliam* iter arripere procurarem, enormitatem excessuum meorum, quorum infinitatem nulli hominum explicari habilis fui. quibus in Deum & *Altahense* monasterium me reum esse cognoui. Digna pensatione considerans. apud predictum Monasterium copiam mei exhibui, & pro pura coram DEO peccaminum meorum remissione. ac memorate iam ecclesie absoluta reconciliatione. bona, que ex morte fratris mei LIUPOLDI hereditaria successione ad me defluxerunt. nulli contradictioni obnoxia. immo a genitoribus &

auis siue proauis meis successiua hereditate. iusto titulo. bona fide a me possessa. Domno POPPONE eiusdem loci reuerendo abbate assistente. qui tunc etiam ob mee dilectionis prerogatiuam. seu peticionis instanciam. in LXXIIII libris aput creditores me absoluit, quique in omni famulatu beniuolum se ac fauorabilem mihi exhibuit. quem quoque pro tantis beneficiis mihi collatis fideliter. nullo adhuc rerum beneficio. nulla donatione honestaueram. cui infinita rerum dispendia per me sibi irrogata hactenus resarcire neglexeram. preter duas curias videlicet *Rubendorf* & *Ewic*, quas in Romani Regis augusti OTTONIS expeditione iens secum *Romam* pro XL libris Ecclesie perpetuo possidendas. quacumque uocatione mortis ex hac luce migrarem, contuleram. presente quoque fratrum suorum collegio. ministerialium meorum. multorumque uirorum nobilium. & diuerse conditionis hominum. circumstante multitudine. potestatiua manu libera ac sollempni donatione. ipsum ius *Salmanni* altari S. MAURICII glorioſi Christi Martiris. in perpetuum contuli. prestito mediante nobili uiro ALRAMMO de *Hals* Sacramento. quod eorumdem bonorum preter memetipsum *Salmannum* non haberem. assignans continuo ecclesie innuere possessionis titulum. quoad uiverem de singulis collate donationis beneficiis in singulos annos consueti census singulas metretas *auene*. Et ubi locorum quocunque mortis interceptu. sine legitima prole hominem exuero. definita in sequentibus bona. plena ac integra possessione seu proprietate cum debita census pensione. pereniter in usum deuoluantur ecclesie. Hec autem est donationis nominata expressio. scilicet *Pebrah*. cum omnibus suis adtinentiis. Villis. colonis. agris. pratis. aquis. molendinis. piscaturis. Viis. Inuiis. Saltibus. Siluis. Cultis & incultis quesitis & inquirendis & omnia illa que in Parrochiis *Enneprukke*. *Vihtaha*. *Gyrstal*. & que inter nemus iacent.

cent. pertinentia ad *Febrah* & que feudali conceſſione ſunt diſtracta. Porro ut hec donatio a nullo unquam in futurum laceretur & calumpniatorum ora obſtruantur, nec poteſtatem habeam ex hoc nunc & uſque in ſeculum factum iſtud reuocare & quolibet modo infirmare. paginam iſtam ſigillo meo & teſtibus roboraui. Teſtes ALRAM *de Halſe. & frater ſuus* ALBERTUS. PERNGERUS *Comes de Lewenberch. Herman de Lihtenberch. Chvnrat de Wihs. Heinricus de Pfölinger & filius* eius. *Gerhohus de fremrichperg. Rudolfus de Welchenberch. Heinricus de Cidlarn. Ebo.* & frater eius *Ebo. Heinricus de Ainchofen. Rudolf Revt & frater* eius. *Albertus de Erlbach. Meingoz & frater* eius *de Pevtzchoven. Vlricus de Gredeinſter. Walchvn de Aichperch. Rudger de Aichach.* Abbates. *Chunradus de Windberg. Vlricus de Altach. Rudger de Metem.* Plebani. *Dietricus. Chuno. Vlricus. Gudram. Chriſtan.* Datum Anno Domini. M. CC. XX. V. Indictione XIII. Nonas febr. Amen.

Num. XL. ALBERTUS IV. comes de *Bogen* largitur monaſt. *Oberaltach* ius patronatus trium Eccleſiarum parochialium anno 1225.

Mon. boic. XII. 121.

In memoriam poſteritatis preſenti pagina transmitto, quod ego ALBERTUS *Comes de Pogen*, cum eſſem in procinctu conſtitutus proficiſcendi in *Apuliam* ad Imperatorem, pro meorum venia delictorum & ob eterne vite adeptionem contuli Monaſterio *ſuperioris Altach* libera donatione Jus Patronatus trium Eccleſiarum fundatarum in Patrimoniis meis, quarum nomina ſunt *Haſelbach*, *Kunzell*, *Leuzendorff*, ut quacunque Vocatione ſine ſucceſſione legitime prolis rebus humanis exemptus fuero,

Digitized by Google

fuero, ſupraſate Ecclelie pro iure Patronatus integre reſpiciant prememoratum Monaſterium. Ad huius igitur facti Validiorem caucionem Cartam conſcriptam Sigillo noſtro inſignivimus. factum eſt hoc anno Domini milleſimo CC. XXV indictione exiſtente VIII. Teſtes ſunt ALRAM *de Hals*, & ALBRECHT *frater ſuus*, *Ebo*, & *frater ſuus Ebo*, *Alhart de Yſerhoven*, *Henricus de Zeidlorn*, *Albertus de Erlbach*, *Henricus de Starzhauſen*, *Heuricus de Ahalming*, *Albertus*, *Ludwicus*, & *Perchtoldus de Eruoldesvelden*, *Otto de Müncheim*, *Rudolfus Raute*, *Henricus & Alhardus de Planchkenpach*, *Herman de freindorff*, *Chunrat*, & *Engelſchalck* de *Altach*. datum Non. februarii regnante FRIDERICO Romanorum Imperatore ſecundo feliciter Amen.

Num. XLI. ALBERTUS IV. com. de *Bogen* renovat donationem fori *Bogenſis*, & reſtitutionem bonorum.

An. 1225.

Mon. boic. XII. 122.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quia plurimum conſulitur ſuccedentibus annis, cum rerum geſtarum conſervatrix memorie intercedit ſcriptura. Agnoſcant ergo preſentes, & percipiant futuri, quod ego ALBERTUS comes de *bogen* prouidens anime mee ſaluti, terciam partem fori mei, quod dicitur *pogen* contuli eccleſie in *ſuperiori Altaha* in perpetuum uſum fratrum ibidem Deo famulantium cum omnibus attinentiis ſuis & prediis, ſiue hominibus, ſeu etiam omni forenſi jure ac prouentu, ſanctoque PETRO Apoſtolo delegans omnem proprietatem eiuſdem tercie partis que hereditarie contingebat fratrem meum LIVPOLDUM cum omnibus appendiciis ſupradictis. Vniuerſis etiam bonis ejusdem

eccle-

Digitized by Google

ecclesie que hactenus a me violenter possessa & iniuste occupata seu detenta vel alienata sunt, integre renuntio. Quorum nomina sunt, quatuor Curie in *puhperc.* in *vtendorf* predium unum. *Wassenperge* predium in *Ode* & uinea. in *Kager* predium, *Houelin* predium, in *Tannvue* pratum. Dotem in *Mennaha.* Curia in *Tailsteten.* Curia in *Santen.* Curia in *Straskirchen.* quatuor Curie in *Neratsteten.* Curia in *Lugenarn.* due Curie in *Heide.* due Curie in *Riede.* Molendinum *Ivse*, quod redimendum est pro quinque talentis a Domino GERHOHO. Huius rei testes sunt ALRAM. ALBREHT *Kambenses. Ebo.* & *frater suus Ebo*, *Alhart de eserhoven. Heinrich de Cidlarn, Albertus de Erlbach. Heinricus de Starzeshusen. Heinricus de Ahalmingen. Albertus de Ernoltesvelde*, & *Ludewic*, & *Bertoldus*, *Otto de Municheim*, *Heinricus* & *Alhardus de Plankenpach. Herman de Friendorf. Cunrat*, & *Engilschalc de Altaha.* factum est hoc in presentia Abbatum Domni POPPONIS & Domni RUDIGERI ante Altare Sancti MAURICII in *Altaha.* Annectimus preterea predictis bonis uiolenter abstractis duas Curias in *Melbach.* Et ut maioris sit firmamenti presens scriptura sigillum nostrum appendimus. Actum est hoc annno M. CC. XXV. Indictione existente XIII Regnante FRIDERICO Imperatore secundo feliciter. Amen.

Num. XLII. ALBERTUS IV. com. de *Bogen* monasterio *Osterhoven* indulget liberum transitum per suum comitatum. An. 1228.

Mon. boic. XII. 378.

Vniversis presentem paginam inspecturis ALBERTUS comes de *Pogen* salutem. Universitati vestre constare volumus & patere, quod nos fratribus in *osterhoven* intuitu mercedis divine

divine remittimus & indulgemus jus quod habemus in rebus ipſorum, que ducuntur per comitatum noſtrum ſive in *Yſara*, tam in viis, quam in pontibus, tam in aſcenſu quam in deſcenſu, ita quod nihil ſolvant officiatis noſtris. Et ut predictis fratribus jus eis a nobis collatum ſaluum permaneat & perpetuum, preſentem paginam munimine Sigilli noſtri roboramur, transgreſſoribus eam pœnam infligentes ut nobis vel ei ad quem jus noſtrum deuoluitur quinque libras perſoluant. Teſtes huius rei ſunt *Heinr. de Pholingen &c.* data Anno gracie M. CC. XXVIII.

Num. XLIII. LUDOVICUS I. Dux *Bav.* cum filio OTTONE recognoſcit feuda ab Eccleſia *Bambergenſi* ſibi collata, An. 1228.

Mon. boic. XI. 199.

LUDOUICUS Dei gratia comes Palatinus *Rheni*, Dux *Bauarie*, omnibus in perpetuum. Quoniam labilis eſt memoria hominum, ideo ne ea, que rite aguntur, poſtmodum renocentur, conſueuerunt ſcripti munimine roborari. Quapropter confitemur, & notum eſſe cupimus vniuerſis, tam preſentibus, quam futuris, quod venerabilis dominus noſter EKBERTUS *Babenbergenſis* Epiſcopus, Nos & OTTONEM filium noſtrum *Palatinum comitem Rheni*, noſtrosque heredes omnes, qui iure feudali ſuccedere debent, nobis feudo, quod ALBERTUS *comes antiquus de Pogen* pater iſtius comitis, qui nunc ſuperſtes eſt, ab eccleſia *Babenbergenſi* tenuit, & quod iſte & frater ſuus contra iuſtitiam & preter voluntatem predicti Epiſcopi violenter tenuerunt, rationabiliter infeudauit, illo videlicet, quod a *Patauia* ex utraque parte *Danubii* verſus *Ratiſponam & ultra* protenditur, hoc interpoſito pacto, quod

nos

nos de eodem feudo nihil infeudare nec obligare, nec vendere, nec aliquo modo alienare debeamus ab ecclesia vel possimus, nisi de speciali consensu prefati Episcopi vel successorum suorum & canonice substitutorum. Adiectum fuit preterea, quod nos & noster filius, nostrique heredes contenti debeamus esse antiquo iure aduocatie, quod per priuilegia, vel per seniores illius terre poterit declarari. Preterea firmiter promisimus, quod ecclesiam *Babenbergensem* in possessionibus, iustitiis, vel hominibus manuteneamus, & defendamus. item omnia iura Ecclesie *Babenbergensi* promisimus pro nobis & pro nostris heredibus nos inviolabiliter obseruaturos. Excepit etiam memoratus Episcopus villam *Nezilbach* & alias villas intermedias usque *Winzer* cum suis attinentiis liberas ab omni iure aduocatie ipsi & ipsius Ecclesie retinendas, ita tamen quod numerus mansorum duodenarium non excedat. Et vt hec a nobis & nostro filio & nostris heredibus firma permaneant & inconuulsa, presentem paginam sigillis sereniſſimi Domini nostri HENRICI *Romanorum* Regis, ADALBERTI *Magdeburgensis* Archiepiscopi. EKEBERTI *Babenbergen.* Episcopi. HENRICI *Wormacensis* Episcopi. HENRICI *Eystatensis* Episcopi, LEOPOLDI ducis *austrie*, & nostro nostrique filii OTTONIS Palatini Comitis Rheni fecimus muniri. Testes autem hii sunt. CUNRADUS *prefectus de Nürnberch.* HERMANNUS *Marchio de Baden.* RUDOLPH *comes Palatinus de Tuwingen.* VLRICUS & EBERHARDUS *comites de Helfenstein.* EBERHARDUS & OTTO *comites de Eberstein.* HARTMANNUS *Comes de Dilingen.* RUPERTUS *Comes de Castel.* FRIDERICUS *de Truheding.* GOTFRIDUS *de Hohinloh. Dapifer de Walburch.* CONRADUS *Pincerna de Wintherstetin.* CONRADUS *de Winsperch.* & alii quam plures.

Acta

Acta ſunt hec apud *Eſſeling*. Anno domini M. CC. XXVIII. Indict. I.

Num. XLIV. ALBERTUS IV. Com. de *Bogen* monaſterio *Meten* donat duas curias in *Venebach*.

An. 1232.

Mon. boic. XI. 355.

Secundo, quod dies obitus eius cum die cladis non conveniat:

Tertio, quod ille adhuc anno 908 advocatum egerit Chorepiscopi frisingensis apud MEICHELBECK *loc. cit. P. II. n.* 982.

„Notum sit - - Remisit enim Chorepiscopus & Aduocatus suus *comes Sigihardus* propriam abbatiolam suam. - Anno DCCCCVIII. Idibus Septembris - Isti sunt testes - Arbo Comes. *Sigihard* Comes. Wetti Comes. - - "

Nec putem de alio quopiam comite, quam nostro *Sigehardo* sermonem heic esse; patebit enim ex subsequentibus, comitatum circa *Mosaburg* Sigehardi huius successores rexisse, dum *Sigehardus* alius recentior, cuius fratres erant *Nordpreht*, & *Engelpert*, uxor autem *Willa*, comitatui præfuit in Pago *Salzpurgoe*, ut legere est in chartis salisburgensibus, illustri Autori *originum dom. boicæ* communicatis, & ab eodem in adpendice editis.

Diem

Digitized by Google

Diem obitus extra dubium ponit Necrologium ebersbergenſe apud OEFELIVM *II. pag.* 17:

„VI. Idus octobris Sigihard comes pater Ratoldi obiit.“

Friſingæ autem tumulatum fuiſſe, concordant chronologi infra allegandi. Solertiſſimus *Meichelbeckius* H. F. *Tom. I. P. I. d.* 156. agens de tumulo *Vtonis* Epiſcopi anno 1701 in Eccleſia cathedrali reperto, teſtatur, ibidem & alia duo corpora fuiſſe detecta, quæ ſuſpicatur eſſe *Sigehardi*, eiusque coniugis, indeque ulterius coniicit, *Vtonem* Semtenſibus potius, quam Andecenſibus comitibus quodam propinquitatis nexu fuiſſe coniunctum. Hinc mihi porro ſuſpicio naſcitur, *Waltonem* & *Vtonem* Epiſcopos Friſingæ ſibi invicem ſuccedentes, illos ipſos fuiſſe fratres, cum *Erneſto* Duce & *Sigehardo* noſtro comite a Ludovico Rege exauctoratos, ac denuo in gratiam receptos, de quibus ſupra ex annalibus fuldenſibus actum fuit.

De anno vero obitus *Sigehardi* in diverſa abeunt autores. Annum decimi ſæculi ſextum ſignant Chronica ebersbergenſia: *Brevius*:

„Anno dom. Incarn. nongenteſimo ſexto Sighard comes obiens.“ *Prolixius*:

„Anno dom. Incarn. 906 *Sigehardus* comes, miles invictus (at quomodo invictus, ſi ab Hunnis in pugna victus occubuit?) moritur, & Friſingis cum honore debito ſepelitur -- obiit Sighardus Comes ſequente die poſt Dionyſii Martyris, hoc eſt nono die menſis octobris.“

Vitus ARENPECK Pezianus *pag.* 134. repetit priora verba Chronici ebersbergenſis prolixioris.

Annum ſeptimum, ut vidimus, ſtatuit AVENTINVS. Malim autem opinari, eum ad annum uſque 908, poſt quem nuſpiam occurrit, vitam protraxiſſe, atque, ut RADERVS habet, domi ſuæ defunctum in pace fuiſſe.

Num. II. GOTHINA,
ſeu Gotherina Vxor Sigehardi.

Chron. ebersberg. prolixius *pag.* 5.

„ Gothina etiam ſua Vxor paucis diebus poſtea evolutis obiit, & cum ſuo Marito tumulatur. - - Gottina eius Vxor obiit in Vigilia S. Thomæ Apoſtoli. "

VITVS *Ebersbergenſis* apud Oefele *p.* 711:

„ Sigehardus habuit Vxorem *Gottinam* nomine. "

Vitus ARENPECK Pezianus *col.* 134:

„ Gotterina etiam ſua Vxor paucis diebus poſtea evolutis obiit, & cum Marito ſuo Friſingæ ſepelitur.

Necrologium ebersbergenſe *p.* 18:

„ XIII. Kal. Ian. Gottini comitiſſa Vxor Sigehardi obiit. "

Quodſi igitur paucis poſt maritum diebus obiit; ſequitur annum 908 eidem fuiſſe fatalem.

At vero quod genus, unde domo?

Non liquet, neque etiam in huiusmodi inquirendis operam ludere velim; condiuntnr enim, ut recte cenſuit magnus LEIBNITIVS in Introduct. ad collection. ſcriptor. brunſuicenſ. *Tom. I. p.* 3. remotiora familiarum inſignium capita intra nubes incompertæ vetuſtatis.

Num. III. *Ratoldus* IV. *Engelmuth* Vxor.

Chron. ebersberg. brevius *pag.* 12. An.

Digitized

„ An. dom. Ianuarii 906. (vel 908.) Sighard obiens Ebersbergenſem locum *filio Ratoldo* dedit, qui in divinis ſæcularibusque rebus erat nimis ſtrenuus, ob quod ei Cæſar Karentinos terminos tuendos commiſit. Hic Chuonradi prophetiæ memor caſtri ſuburbana ampliavit, omnibus ſumptibus locum cumulavit. Hic gignit *Eberhardum*, *Adalberonem*, *Willibirgam*. Obiens vero Ebersberch dedit Eberhardo ac Iuvavio ſepelitur in Eccleſia S. Amandi ad occidentem anguli, qui madeſcit ex corporibus Sanctorum.“

Chronicon prolixius *pag.* 5:

„ Ratoldus igitur *Sighardi filius*, de patris ſui voluntate, dum adhuc viveret, Ebersbergenſis caſtri locum poſſedit, qui in divinis ſæcularibusque rebus nimis erat ſtrenuus, acer ingenio, in bello ſæviſſimus, propter quod Cæſar *Arnolfus* Carentinorum terminos ab hoſtium inſultu defenſandos *recommiſit*. (Igitur, ut notat OEFELIVS, antea Patri eius commiſerat) Hic Ratholdus prophetiæ Conradi de Heuwach Viri bonæ converſationis & vitæ merito commendati non immemor, ac etiam Gebhardi incluſi de vrbe Argentina, gratia ſanctitatis pleni, caſtri Ebersbergenſis ſuburbana ampliare diſponit, omnibusque ſumptibus locum mirabiliter dilatavit. *Vxor* autem eius *Engelmuth* nomine genuit ſibi duos filios, *Eberhardum* & *Adalberonem*, & unam filiam *Willibirgam*. Cum igitur Ratoldus comes ſub habitu vitæ militaris velut Agoniſta fortis tempora ſui curſus tranſiviſſet ſine metu, *filio ſuo ſeniori Eberhardo* tradidit caſtrum in Ebersberg, & ipſe Iuvavio in urbe, quæ nunc dicta eſt Salzburga, honorifice cum Vxore ſepelitur in Eccleſia S. Amandi Epiſcopi & Confeſſoris ad occidentem anguli, qui crebro madeſcit ex ſanctis corporibus

Sanctorum, qui inibi beatè requieſcunt. Obiit autem anno dom. incarn. nongenteſimo decimo nono.

VITVS Ebersbergenſis *loc. cit. p.* 711:

„ Hic Sighardus habuit Vxorem *Gottinam* nomine, quæ ſibi genuit filium, quem *Ratoldum* vocavit, & hic caſtrum Ebersperg ampliavit. Vxor eius fuit *Engelmudis*, quæ ſibi genuit duos filios, & unam filiam *Willibirgen* nomine. Primogenitus eius filius fuit *Eberhardus*, alter vero *Adalbero* vocabatur.

AVENTINVS *loc. cit. v. 7. n.* 33:

„ Succedit filius horum *Ratholdus* ab Arnulfo regulo Boiorum (non igitur ab Imperatore) Charinorum limiti præfectus eſt. Migravit ex hac vita altero atque triceſimo poſt fata parentis anno (legendum altero & decimo). Ipſe & Vxor eius Angilmunda ſepulti ſunt Salisburgi in templo divi Amandi.

Idem L. *IV.* 22. n. 6. de Arnolfo Boiorum Duce agens ſcribit,

„ Charinis rectorem dat *Ratholdum* Senonum dynaſtam. “

Neſcio quas tabulas ſequutus fuerit Andreas BRVNNERVS, dum *Annal. Boior. Lib. III. n.* 2. *pag.* 135. *nov. edit.* ſcribit:

„ Eundem *Ratholdum* ob res contra Vngaros fortiter feliciterque geſtas *Conradus Rex* carentano limiti tuendo præfeciſſe, & in amicorum numero habuiſſe, tabulis ebergenſibus, quas bona fide ſequor, traditur. “ Nec

Digitized by Google

Nec aliter Adamus WIDELIVS *loc. cit. p.* 83.

„ Et ob res quidem adverſus hoſtes ope Boiorum & Suevorum præclare geſtas *Conradus* Rex, Ludovici ſucceſſor, *Ratholdum* Carinthiæ Marchionem dixit, qui honor victoriarum præmium fuit.“ Quum tamen ebersbergenſe Chronicon non *Conrado*, ſed *Arnolfo Imperatori*, AVENTINVS autem *Arnolfo Boiorum Duci* iſtam promotionem tribuant.

Mirari ſubit, in ſerie Ducum & Marchionum Carinthiæ, quam ſatis exacte texuerunt viri celeberrimi, Bernardus M. *de* RVBEIS in Antiquitatibus aquileienſibus, Chriſtoph. PESLERVS in ſerie Ducum Carinthiæ, Eraſmus FROELICH in Archontologia Ducum Carinthiæ, nullam *Ratoldi* noſtri mentionem occurere.

Forte huic *Ratholdo* tribui poſſet Nummus rariſſimus, Offenhuſii in ditione Norinbergenſi an. 1760 repertus cum hac inſcriptione: HRATOLDVS DVX. In poſtica REGINA CIVITAS & infra tectum templi VVO. Nec enim *Ratholdus Arnolfi* Imperatoris Nothus quemdam in Baioariæ regno Ducatum aut Marchiam obtinuit, ſed Mediolano præfectus fuerat.

Obitus *Ratholdi* diem ſignat necrologium ebersberg. *p.* 15.

„ XIII. Kal. Febr. Ratolt comes obiit.“

Annum ſupra expreſſit Chronicon ebersbergenſe prolixius DCCCCXIX. Addit Adamus *Widelius p.* 86.

„ Engil-

Digitized by Google

„ Engilmundis Vxor anno vno prior vitam finiit videlicet 918 XIII. Kal. Ianuar.“ Quod unde hauſerit, non indicat ; nec enim in Chronicis aut Necrologio ebersberg. annum diemque legere me memini.

Num. V. *Eberhardus I.*

Filiorum natu maximum fuiſſe conſtat ex num. præced.

Codex traditionum ebersbergenſium apud OEFELE II. *p.* 20. *n. XV*:

„ A generatione hac in æternum Domino credentibus ſit in memoria, quod regnante primo Henrico Rege Francorum *Eberhardus* comes, eiusque frater *Adalpero* nomine ad exemplum Iacob Patriarchæ lapidibus in titulum erectis in Eberspergenſi caſtro monaſterium conſtruxerit in honorem Dei & ſanctæ Matris genitricis eius, ſanctorumque Martyrum Sebaſtiani Cyriaci Viti & Martini confeſſoris Chriſti atque pontificis, ad quorum commemorationem inibi perpetualiter retinendam, adunatis Clericis aliqua de prædiis ſuis tradiderit anno ab Incarn. dom. 934 pro redemptione corporum animarumque ſuarum atque proſperitate parentum ſuorum & omnium ſucceſſorum ſuorum. Poſt hæc autem ipſum monaſterium dedicatum eſt a Friderico Iuvavienſi Archiepiſcopo nongenteſimo ſeptuageſimo anno dom. Incarn. Indict. VII. XIII. Kal. Febr. Vdalrico ſtrenuiſſimo comite, prædicti Adalberonis filio licentiam in hac re obtinente ab Abraham friſingenſi Antiſtite. “

VITVS Eberspergenſis apud Oefele *p.* 711 :

Eber-

Digitized by Google

„ Eberhardus igitur caſtrum contra Hungaros multum fortificavit. Nam Hunni his diebus ſæpius Alamannos vexabant, & Eberhardus conſtructo caſtro obiit nullum poſt ſe relinquens hæredem. “

Vitus ARENPECK Pezianus *col.* 134:

„ Huius igitur *Sighardi Nepos Eberhardus* in caſtro ſuo Ebersberg per viſionem quamdam edoctus iuxta dicta Presbyteri *Hunfridi* capellam eccleſiam in modum crucis ædificavit in nomine S. Sebaſtiani ann. dom. Incarn. 928. & in divinum ſervitium plures manſos & prædia dedit, Clericisque regularibus de ordine S. Auguſtini ibi adunatis Hunfridum virum prudentem multæque elegantiæ in Præpoſitum ipſis præfecit. “

Viſionem iſtam, ſeu ſomnium, ædificium quoque, Hunnorum adventum, clademque fuſius proſequitur utrumque Chronicon ebersbergenſe, quæ hæc non pertinent.

AVENTINVS *lib. V. cap. 7. n.* 34:

„ Excipit (Ratoldum) ſoboles Eberhardus & Adalbero primi. Bello hungarico ab orbe ſervato 955. interfuere. Eberhardus absque liberis, nempe cælebs deceſſit. “

Idem *L. cit. cap. I. n.* 25. *ſeq.*

Hainricus Boiorum rector, æger quod prælio adeſſe nequibat, *Eberhardo* Senonum dynaſtæ exercitum Boiorum permittit. “ Poſt narratam Hungarorum cædem IV. Id. Aug. pergit:

Poſt-

Digitized by Google

„ Poſtridie direpta ſunt caſtra hoſtium, captivorum numerus liberatus, honor ſuperis habitus, vota pro victoria ſuſcepta, reddita ſunt. Bulcho Rex, eius quatuor Reguli Schaba, Lelcis, Sura, Toxus, vna cum paucis capti, traditi ſunt *Eberhardo* Boiorum dynaſtæ. Is Regem & quatuor Principes *Hainrico* Duci Boiorum Reginoburgum miſit. - - Cæteros *Eberhardus* vivos in foſſam apud Ebersberg abiecit, terraque & luto obruit. Tintinnabula ſignaque ex eorum ſpoliis fudit.“

Chronicon ebersbergenſe prolixius *p.* 7:

„ Poſt hæc Comes *Eberhardus*, genere clarus & nomine, decidit in lectum. - Se moriturum eſſe præſenſit, fratrem ſuum *Adalberonem* ad ſe vocari fecit. Vxorem non habuit, & gratia caruit filiorum. - - Et fratre ſuo tarde veniente mortuus eſt, & in eccleſia friſingenſi honore debito ſepelitur anno nongenteſimo quadrageſimo nono. “

Heic omnino legendum *quinquageſimo nono.* Interfuit enim memorabili apud Auguſtam prælio ann. 955. cladique ſuperſtes fuit, domi ſuæ in lecto defunctus.

Necrologium *ebersbergenſe*:

„ XVI. Kal. Decemb. obiit Eberhardus comes, filius Ratoldi. “

Adamus WIDELIVS *loc. cit. p.* 87. Eberhardum undecennem adoleſcentem ſcribit, cum Patri Ratoldo ſucceſſit, & ætatis ſuæ attigiſſe annum quinquageſimum primum (pag. 113.) natum adeo anno 908.

Num.

Digitized by Google

Num. VI. ADALBERO I. Num. VII. LUTGARDIS uxor.

Chronicon ebersbergenſe prolixius *p.* 7:

„ Adalbero moras faciens aliquamdiu tempus veniendi ad ipſum (*cum*) protractum & prolixius differret, veniens tamen tarde dixit: frater meus liberis carens, cum prædia ſua Clericis vult dare, petit me ad ſe feſtinare, non cogitans eſſe melius, prædiis, quæ mihi hæreditario iure contingunt, filios meos ditari, quam alios iniuſte prædari - - Adalbero autem ebersbergenſis caſtri mœnia conſummavit. "

Paria fere refert Chronicon brevius.

VITUS Ebersberg. *loc. cit. pag.* 711:

„ *Adalbero* autem frater eius (*Eberhardi*) ſucceſſit in comitatum, habuitque uxorem *Lutgarden* nomine. " De cuius proſapia non habeo, quæ dicam.

Chronicon ebersberg. prolixius *p.* 8:

„ Adalbero obiit pater Vdalrici in die Prothi & Hiacinthi Martyrum. - *Lutgardis* autem, mater Vdalrici ſequenti die poſt Simonis & Iudæ Apoſtolorum. "

Friſingæ ſepultos fuiſſe, utrumque Chronicon & Aventinus teſtantur. Necrologium ebersbergenſe:

„ III. dus Septemb. Adalbero comes pater Vdalrici obiit. "

„ IIII. Kal. Novemb. Luitkard comitiſſa, uxor Adalberonis prioris obiit. "

Annum emortualem utriusque coniugis RADERUS in Bav. ſancta *Tom. II. p.* 172. & WIDELIUS *p.* 128. notant DCCCCLXIX.

Num. VIII. WILLBIRGIS I.

Eberhardi & *Adalberonis* ſororem filiamqne fuiſſe *Ratholdi*, ex n. 3. conſtat; hinc merito *Vdalrici*, Adalberone geniti, *Amita* adpellatur in Chronico ebersberg. breviori *p.* 13.

„Frater autem eius (*Eberhardi Adalbero*) mœnia conſummavit, qui ſeptem filios habuit elegantes, & octavum, quem S. Vdalricus (Epiſcopus Auguſtanus) baptizans æquivocum ſibi fecit, occultavit hoſpitibus propter ignaviam & deformitatem. Ob quam rem *Amita* eius (Vdalrici ebersberg. comitis) *Willibirc* ait: indubitanter noſtris peccatis exigentibus iſte privatus eſt ſoſpitate, cum omnes a filiolo meo Oudalrico (*auguſtano Epiſcopo, quem filiolum ſuum adpellat, quod eum e ſacro fonte levaſſet, aut in confirmatione tenuiſſet*) aliqua benedictione ſacrati gaudeant integro ſenſu & corporis ſanitate. Nàm ut de cæteris (non *fratribus ſuis*, ut legit Chronicon prolixius, ſed *de cæteris eius miris beneficiis*) taceam, cum ego eum adhuc adoleſcentulum in monaſterio S. Galli, quo nutritus eſt, viſitans orarem, ut edentulæ *matrinæ ſuæ*, quia mortem præ inedia timerem, miſereretur; ille aliqua veluti iocularia ad hæc reſpondens: tandem ad tua, ait, remea; petitio tua felicem efficaciam aſſequetur. Iuxta cuius dicta etiam repatrianti dentes contra naturam veterantem (*veteranæ*) ſuccreſcunt, & maior quam ante capitis ſanitas inde perſeverat. Vnde ſcio, quod epiſcopale baptisma non parvam conferret proſperitatem, ſi delicti noſtri non obſtaret enormitas. Procura ergo placare Dominum ac S. Sebaſtianum, cui frater noſter (*Eberhardus*) prædium *Aheim* dare promiſit.“

Diſcre-

Digitized by Google

Diſcrepat ab hac narratione tantiſper Chronicon ebersberg. prolixius, quod hunc Adalberonis filium non baptizatum ſed e S. fonte levatum ab *Vdalrico* Epiſcopo afferat *pag.* 7.

Diſcrepat autem multo magis *Widelius*, qui *Willbirgen* noſtram putavit eſſe Amitam S. *Vdalrici*, eamque ideo cognatam ac conſanguineam eius adpellat *pag.* 122. *ſeq.*

Aetate plenam fuiſſe Willbirgen teſtatur Chronicon prolixius *pag.* 7. Indeque colligitur, quod S. Vdalrici *Matrina* exſtiterit, haut dubie primogenita *Ratoldi* filia, ante *Vdalricum* nepotem ex fratre defuncta.

De anno obitus non conſtat ex membranis; hinc neſcio unde WIDELIUS *pag.* 129. tam confidenter afferat, eam obiiſſe an. 968, & quidem ipſis Kalendis Ianuariis, cum tamen Chronicon prolixius *pag.* 8. dicat:

„Poſt hæc fratribus ſuis *ſucceſſive* decedentibus, ſolus ipſe *Vdalricus* ſuperſtes remanſit, *Williperga* Anica (*Amita*) ſua iam defuncta in die Othmari Abbatis. "

Necrologium ebersbergenſe:

„XVI. Kal. Decemb. obiit Eberhardus comes filius Ratoldi. *Willipirc ſoror eius.* "

In codice tradit. emmeramenſ. apud PEZIUM *Theſaur. Anecdot. Tom. I. P. III. col.* 97. legitur traditio XXVIII. ab ebersbergenſi comite VDALRICO pro remedio huius matronæ facta: „Sapienti uſi conſilio VDALRICH comes videlicet, & uxor illius RIHKART, poſt obitum & ſepulturam bonæ memoriæ *Willi-*

Digitized by Google

pirigæ, venientes ante altare S. Emmerami, una cum ceteris ſibi comitantibus, tradiderunt ad ſupra dictum altare ad ſervitium Dei famulorum, inibi converſantium, pro remedio & requie eiusdem matronæ quasdam ſuæ proprietatis res in loco *Ertinga* dicto . . . - nec non & vineam prope urbem regiam in ſeptendrionali parte Danubii optime vineis eorum accomodatam in manum ſc. Epiſcopi *Wolfkangi* & Abbatis *Ramuoldi* & Aduocati ſui *Magononis* - Teſtes - *Marachuart* *) - *Eparhart*: - forte filius *Vdalrici.*

*) Forte *Richardis* frater.

Num. IX. ADALBERO II.

Plures *Adalberoni* primo fuiſſe liberos, in comperto eſt, etſi in numero non conveniant chartæ ebersbergenſes, easque ſequuti.

Vtrumque Chronicon *p.* 7. & 13. octo ei maſculos tribuit, ſolo *Vdalrici* nomine expreſſo (vid. *n.* 8.) Nec aliter VITUS *ebersbergenſis p.* 711 :

„ *Adalpero* autem frater eius ſucceſſit in comitatu, habuitque vxorem Luitgardin nomine, quæ ſibi genuit octo filios, ſeptem ex his in florida ætate mortui ſunt, octavus autem *Vdalricus* nomine, quem S. *Vdalricus* Epiſcopus auguſtanus e ſacro fonte levans (baptizans) ſuo nomine *Vdalricum* vocavit, "

At vero Codex tradition. ebersberg. *p.* 21. *n. XVII.* tres ſolum filios, totidemque filias aſſignare videtur ſequentibus verbis :

„ Idem (*Eberhardus*) ab exordio conſtruendi Monaſter dare promiſit in miniſterium domus donaria thuris, vini, ac olei.

Digitized by Google

olei. - Et ob hoc *Aheim* prædium ſuum, ex cuius penſione tria hæc inſimul exſolverentur, Domino ſibique dilecto Sebaſtiano devovit donare, ſed ad voti expletionem fratris ſui *Adalberonis*, qui multos filios habuit, aſſenſum nec in hora ſuæ mortis impetravit. Quo defuncto cum idem *Adalbero* (I.) ipſum prædium poſſideret, ut opinabatur, licenter iure hæreditario, per hoc expertus eſt in ſe extendi manum domini in retribuendo. Nam in brevi temporis ſpatio tres filiæ, & duo filii, qui ei elegantiſſimi erant, vitam finierunt. Et cum ei durum & inpœnitens cor necdum deſineret theſaurizare ſibi iram in die vindictæ, non eſt in his averſus ab eo domini furor, ſed adhuc manus eius extenta tetigit os & carnem Oudalrici, *qui ei ſolus erat ſuperſtes de plebe maſcula*, ita ut ſuccreſcente per dies langueret invidia (*inedia*). Cuius caput Pater ſuper altare ponens, eum Domino, ſanctoque Sebaſtiano commendavit, & per eius manum triginta argenteos offerens devovit pro eius ſoſpitate. "

Sit igitur, filiorum aliquos in ætate florida fuiſſe raptos; at aliquos tamen ſupervixiſſe, & non tam cito evanuiſſe, inſinuare videtur Chronicon prolixius verbis paullo ante *n.* 8. ad finem allegatis:

„Poſt hæc fratribus ſuis omnibus *ſucceſſive* decedentibus, ſolus ipſe (Vdalricus) ſuperſtes remanſit. " (generis ſui propagator.)

AVENTINVS, qui genealogiam Semtenſium Comitum ex faſtis & diplomatibus bona fide collegiſſe teſtatur, præter *Vdalricum* duos *Adalberoni* primo filios aſſignat *lib. V. cap. 7. n. 34.*

„ Ad-

Digitized by Google

„ Adalbero (*Ratoldi filius*) ex *Luitgarda Adalberonem, Vdalſchalcum*, & *Vlricum* tulit, quem D. *Vdalricus* Auguſtæ Epiſcopus aqua luſtrica expiavit, ipſique ſuum nomen fecit. "

Vtrumque fundatorem dicit Parthenonei Kuepacenſis non procul a Barrio amne *lib. V. cap.* 4. *n.* 12 :

„ Adalbero & Vdalſchalcus fratres Boiariæ primorum clariſſimi. " Nec multum ab eo HVNDIVS diſcedit in Metropoli ſalisburg. *Tom. II. pag.* 171. *Edit. nov.*

„ Kuebach cœnobium in eiusdem nominis vico bavarico medio fere itinere inter Schrobenhauſen & Aicha conſtructum, fundatum & dotatum eſt anno 1011. ab Adalberone de Semt & Ebersberg in honorem S. Magni confeſſoris, cumque paulo poſt incendio periiſſet, ab Vdalſchalco comite, fratre fundatoris, eiusque coniuge Willbirgi (verius filia Adalberonis) denuo inſtauratum eſſe, ibidem legitur. "

Addit GEWOLDVS :

Fundatorem huius cœnobii (quod a præterfluente rivo vaccarum, & in flumen Parrium influente nomen traxit) Moniales ex ſuis vetuſtis monumentis agnoſcunt comitem Witelspacenſem (legendum *Ebersbergenſem* : nec enim inter Witelspacenſes comites, hoc nomine tunc ignotos, aliquis *Adalbero* occurrit) *Adalberonem*, qui poſt recuperatam e Saracenorum manibus terram ſanctam (anno 1099) ex voto eo peregrinationem ſuſcepit, relicta domi uxore gravida. Ipſe in reditu fatis ceſſit. Nuntio flebili accepto, Vidua *Alberadis*, partus doloribus circumdata, cum fœtu interiit, relicta unica

ex

Digitized by Google

ex præmortuo coniuge filia *Wilburgi* (Willbirge) quæ ſpretis mundi vanitatibus ſe ſuaque omnia Deo contradidit, ſuorumque cognatorum ope cœnobium condidit, atque in hoc ipſo prima Abbatiſſa Chriſti miles ſtrenua ad cæleſte bravium pervenit. "

Repetit hæc fere omnia, qui Monumentis Kuhbacenſibus *vol. XI.* ad finem additis præfatus eſt, ubi tamen *pag.* 522. gravis irrepſit error, dum loco *Adalberonis* legitur neſcio quis *Boſo*, inter Ebersbergenſes æque ac Witelsbacenſes peregrinus.

Ex AVENTINI itaque, BRVSCHII, HVNDII & GEWOLDI fide recte ſtatuitur ADALBERO II. Cœnobii huius fundator, quod maxime firmatur e diplomate HENRICI II. Imperatoris anno MXI. dato in hunc modum apud HVNDIVM Gewoldi, & *vol. XI. Mon. boic. p.* 529:

„ In Nomine -- Henricus divina favente clementia Rex. - - Notum ſit - - qualiter quidam fidelium noſtrorum comes officio nomine *Adalbero* - - quoddam Monaſterium Puellarum ad regulam S. Benedicti in honorem vero S. Magni confeſſoris in loco nomine *Chuebach* in comitatu Herteshuſa de prædio & collaboratu ſuo fundavit. - - Data ſexto Kal. Iulii IX. ann. dom. Incarn. milleſimo undecimo. Anno vero Domini Heinrici ſecundi regnantis X. actum in *Regensburch* feliciter amen. "

De anno & die obitus, nihil certo conſtat. Obiit autem paullo poſt fundationem in flore ætatis, ut ex dictis facile colligitur.

Vxo-

Digitized by Google

Vxorem ei fuiſſe *Alberadam*, ex Francia, orientali neſcio, an occidentali, oriundam, ex eaque ſuſcepiſſe prolem *Willbirgen*, primam loci a ſe fundati Antiſtitem BRVSCHIO & GEWOLDO id aſſerentibus eo lubentius credo, quod ex utriusque & monumentorum boicorum fide, in hodiernum usque diem ſub choro Monialium in crypta conſpiciatur ſepulcrum cum hoc epitaphio lapidi inſcripto:

„ Continet iſte locus comitis laudabile corpus,
Albrat enim fertur flebile quod moritur.
Francia quam dederat, gaudens hæc terra fovebat,
Dum vixit, ſtatuit optima quæ potuit. “

Equidem HVNDIVS, hunc que præ GEWOLDO incaute ſequutus Auctor *originum dom. boic. Tom. II. p. 74. Adalberoni* ſecundo uxorem tribuit *Willbirgen* Ebersbergenſem, manifeſto errore. Prima enim *Willbirgis*, *Adalberonis* I. ſoror innupta, Nepotis ex fratre coniux eſſe non potuit. Neque etiam ſecunda *Willbirgis*, *Vdalrici* filia, & *Adalberonis* tertii, quem BVATVS cum ſecundo confundit, ſoror, fratris germani thorum inceſtu maculare voluit, cui alii duo mariti ſuo loco aſſignantur.

Nihil ergo obſtat, quo minus credatur Kuhbacenſium traditioni, *Alberadam*, *Adalberonis* II. uxorem, & utriusque filiam *Willbirgen* ſtatuenti.

Num. X. VDALSCHALCVS I. & II.

Non modicam *Vdalſchalcus* iſte, quem chartæ ebersbergenſes omnino prætereunt, mihi crucem figit. Facile AVENTINO, eiusque ſequacibus, HVNDIO præſertim adſtipulor, qui non

non modo in Metropoli, ſed etiam in Stemmatographia *Tom. I. p.* 140. *Adalberoni I.* duos filios aſſignant, *Adalberonem* II. & iſtum *Vdalſchalcum*, eosque cœnobii Kuhbacenſis fundatores aſſerunt. Perlibenter etiam dicerem *Vdalſchalcum*, fraternæ fundationis reſtauratorem, ad annum usque 1048, quo *Adalberoni* coævus occurrit *Vdalſchalcus*, dies ſuos protraxiſſe, niſi vehementer obſtaret Chronicon ebersbergenſe utrumque, diſerte affirmans, *Vdalricum* ad fratres ſuos ſucceſſive præmortuos anno 1029 abiiſſe.

Quoniam vero in texendis veterum genealogiis, ubi ſynchrona monumenta deficiunt, coniecturis probabilibus non raro indulgent eruditi, & cordati quoque ſcriptores, fas erit & mihi ſuſpicari, *Vdalſchalco* primo ex coniuge incomperta natum fuiſſe filium *Vdalſchalcum* II. in eodem comitatu, quo patruus *Adalbero* II. rerum potitum, cui reſtauratio Kuhbacenſis adtribui rectius queat. Cælebs enim vixiſſe, aut liberis caruiſſe, ideoque facile adduci potuit, ut cœnobium a patruo *Adalberone* II. exſtructum, & nuper in cineres redactum, ſuo ære repararet, quod hæredibus neceſſariis cedere iam non poterat.

Sane *Vdalſchalcus* ſub Goteſchalco Epiſcopo friſingenſi, qui ſedem illam ab anno 994 usque ad an. 1006 occupavit, alius ab illo videtur, qui adhuc anno 1048 *Adalberoni* III. convixit, cum *Vdalſchalcus* primus ante annum 1029 diem clauſerit. Quumque uterque *Vdalſchalcus* in illo terrarum tractu, ubi *Herethuſu Adalberonis* II. comitatus ſitus erat, bona prædiaque poſſederit, hinc non inepte mihi coniicere videor, alterum *Vdalſchalcum*, prioris filium, in bona patris avita ſucceſſiſſe.

Priori *Vdalſchalco* congruit commutatio, quam is cum *Goteſchalco* Epiſcopo friſingenſi iniit apud MEICHELBECK *H. F. Tom. I. P. II. n.* 1139:

„Noverint - dedit namque prædictus comes (Vdalſchalcus) quidquid proprietatis habuit - in manus Epiſcopi & Advocati ſui Helmperti ad altare S. Mariæ - æternaliter exiſtendum. Econtra vero Epiſcopus cum conſilio fidelium ſuorum - ac per manum Advocati ſui ſupra aſſignati eidem nobili viro *Vodalſchalco* de rebus eccleſiæ ſuæ in loco *Satanaſinga* dicto atque in proximo iacentibus locis *ad Helidgereshuſun* (Hilkershauſen in hodierna præfectura *Aicha*) pertingentibus, *ſub eiusdem comitis poteſtate* tunc temporis in beneficium detentis æquam menſuram in proprium retradidit.“

Porro *Vdalſchalcum* iuniorem eundem comitatum poſſediſſe, evincit diploma *Conradi* II. Imperatoris de anno 1033, quo prior iam defunctus erat, apud eundem MEICHELBECK *loc. cit. P. I. pag.* 229:

„Chunradus - dedi ad altare - in civitate Friſinga - curtem *Enilingun* (Ainling) ſitam in *comitatu Vdalſchalci comitis.*“

Singula loca prædicta ſita ſunt in hodierna præfectura *Aicha* circum cœnobium Kuhbach, hoc eſt, in veteri comitatu *Herteshuſen*, qui adeo ab *Vdalſchalco* I. ad ſecundum tranſiit, ut videre eſt in Mappa topographica ſinkiana tab. XVII. aut quavis obvia.

Vdalſcalcus I. Advocatus erat Epiſcopi friſingenſis *Goteſchalci*, & eius filius cum *Adalberone* II. comite teſtem

agebat

Digitized by Google

agebat in commutatione dicti Epiſcopi, & eius ſervi Luitberti apud MEICHELBECK *loc. cit. P. II. n.* 1151.

„Tradidit namque idem ſervus - in manum Epiſcopi & eius Advocati *Vodalſchalci* - Teſtes Adalpero comes. *Vodalſcalch* comes.“ Ipſe enim Advocatus teſtem ſimul agere nequibat.

Vdalſchalcus autem iunior, *Adalberoni* III. coævus, ut Epiſcopi *Egilberti* Advocatus omni fere pagina occurrit apud MEICHELBECK, ut infra in *Adalberone* III. adparebit.

Quum omnes *Adalberonis* I. filii ante *Vdalricum* ſucceſſive obiverint, hic autem fratres ſuos anno 1029 ſequutus fuerit; hinc *Vdalſchalcum* priorem ante iſtum etiam annum vitam cum morte mutaſſe, conſequitur.

Vdalſchalcus II. poſt annum 1048 nuſpiam mihi viſus eſt; iſte ergo eidem fatalis fuiſſe potuit. Hoc ipſo autem anno una cum *Adalberone* III. patruele occurrit in diplomate apud MEICHELBECK in Chronico benedictoburano *Tom. I. p.* 39.

„Henricus - Imp. aug. Noverit univerſitas, qualiter nos divini amoris inſtinctu ac pro remedio animæ noſtræ, ſive interventu atque petitione *Adalperonis comitis*, nec non Gotehelmi Abbatis tale prædium, quale in illis quatuor villis *Buron*, *Chochalon*, *Puhila*, *Orta* nominatis Monaſterio in honore S. Benedicti Conf. Chr. in eadem villa *Buron* conſtructo prius pertinere videbatur, ſitum in comitatu *Oudalſchalci* comitis, in pago vero *Huoſon*, & poſtea in beneficium multis datum fuit. XI. Kal. Novb. an. dom. Incarn. 1048 Ratisbone.“

Digitized by

Num. XI. *Quinque* ADALBERONIS I. *filii anonymi.*

Chronicon ebersbergenſe prolixius *p.* 7 ;

„ Adalbero autem (*primus*) ebersbergenſis caſtri mœnia conſummavit, qui ſeptem filios habuit elegantes ex uxore ſua dicta Leutgardis, & inſuper octavum. “ Id quod etiam ex n. 8. & n. 9. patet. Demtis igitur *Adalberone* II. *Vdalſchalco* I. & *Vdalrico*, quinque ſuperſunt, de quibus plus non conſtat, quam natos fuiſſe atque denatos.

Num. XII. VDALRICUS.

Pergit Chronicon mox citatum:

„ Et inſuper octavum, quem S. Vdalricus auguſtenſis Epiſcopus de ſacro baptiſmatis fonte levavit (Chronicon breve ait: *quem S. Vdalricus baptizans*) æquivocum fecit. Quem etiam puerum pater hoſpitibus præſentare noluit, occultabat eum alienis, quia natura plus aliis infirmior videbatur; diſſimilis enim fuit ſeptem fratribus quoad elegantiam pulchritudinis ſui vultus, ac etiam infirmior, ſed credo ipſum quoad augmentum meritorum & virtutum plus omnibus fuiſſe formatum. “

Narrat deinceps auctor mirabilem eiusdem ſanationem voto obtentam ſupra n. 8. & proſequitur *pag.* 8 :

„ Igitur poſt hæc Vdalricus idem viribus & virtute proficiens ab omnibus honore prævenitur: pollet ingenio, ac inter multa quæ geſſit prælia invulnerabilis ſemper exſtitit. “

Refert porro dedicationem eccleſiæ a Friderico Archiep. ſalisburgenſi anno 970 factam, & introductionem Benedictinorum

Digitized by Google

rum ann. 990, reliquam vivendi rationem, ac tandem obitum *pag.* 10:

„Idem venerabilis Comes oculum ſiniſtrum in ſenecta doluit, quem non curare valuit. Igitur *Guntherus* heremiticam vitam ducens, multæ contemplationi deditus, poſt ſecretam conſabulationem cum eo prædixit, eum ante ſe moriturum, & prædia eius de multis aggregata, non in ſuos cognatos, ſed ea prænuntiat ad manus tranſire alienas. Deinde poſt paucos dies ſenex ipſe feliciter in Chriſto requievit quarto Idus Martii an. dom. incarn. Milleſimo vigeſimo nono, & digno cum honore ſepultus eſt iuxta coniugem ſuam in Ebersberg.“

Chronicon brevius habet IIII. Kal. Martii.

Necrologium vero „V. Idus Martii Oudalricus comes obiit.“

Num. XIII. RICHARDIS VXOR VDALRICI.

Chronicon ebersberg. prolixius *pag.* 8:

„Igitur Comes *Vdalricus* poſtea duxit vxorem *Richardem*, ſororem *Marquardi Marchionis* de Carinthia (Chronicon brevius *Præſidem* adpellat) quæ fuit nobiliſſima genere.“

Poſt narratam viſionem mortis præambulam pergit *p.* 9. b:

„Quæ ſtatim infirmata & die obiit Nonas Kalendas Maii & in eodem caſtro ſepulta eſt an. dom. incarn. Milleſimo tertio decimo a filiis ſuis.“

Necrologium *pag.* 16:

„VIIII. Kal. Maii Rikkart comitiſſa vxor Vdalrici obiit.“

Num.

Digitized by Google

Num. XIV. *Concubina Vdalrici anonyma.*

Chronicon prolixius *pag.* 9. *a*:

„ Anno igitur dom. incarn. nongenteſimo nonageſimo Reginboldus auguſtenſis abbas adunatis Monachis præficitur, cui quidam miles *Eberhardus* nomine filium ſuum *Altmannum* vocabulo monaſtice educandum dedit, quem genuit de *Ruthrude*, quæ fuit Vdalrici filia ex concubina. "

Num. XI, XVI. HADEMUDA, *uxor Marquardi II. Marchionis Carinthiæ.*

Chronicon prolixius *pag.* 8. *a*:

„ Ipſe Vdalricus ſuam ſororem *Hademudem* (Marquardo II.) in coniugium tradidit, quæ poſt obitum mariti cuncta ſua pro Dei nomine derelinquens, in Palæſtinæ partibus mortua pluribus ſignis coruſcavit. " Vide probationes ad tabulam ſecundam n. 3.

Num. XVII. ADALBERONIS I. *tres filiæ.*

Harum meminit Codex traditionum ebersbergenſium ſupra n. 9. allegatus.

Num. XVIII. ADALBERO III.

Chronicon brevius:

„ Poſt hæc Oudalricus genuit *Adalperonem* (tertium) *Eberhardum* (ſecundum) *Willipurgam* (ſecundam) & alias tres filias. „ Addit Chronicon prolixius *p.* 8. *b.* „ qui fuerunt de regio ſemine Henrici Cæſaris, & Caroli M. Regis invictiſſimi."

In

Digitized by Google

In celebri illa diſceptatione inter *Chounradum* Imperatorem & *Egilbertum* Epiſcopum friſingenſem de Abbatia Mosburgenſi, præcipuo loco occurrit *Adalbero* noſter cum *Vdalſchalco* ſecundo fratruele apud *Meichelbeck* H. F. *Tom. I. P. I. pag.* 221. *ſeq.*

„Anno dom. incarn. MXXVII. indict. XI. præfatus dominus Chuonradus Imp. aug. anno regni ſui III. imperii vero I. cum accepta imperiali benedictione de Italia cum exercitu reverteretur, in urbe ratisponenſi conſedit, ubi inter cætera placuit omnes Bavariæ provinciæ comites & electos iudices per Sacramentus regale admonere, ut poſſeſſiones & prædia intra eandem provinciam ſita, quæ noviſſent ad ſolium ſui imperii iure pertinere, eodem Sacramento publice interrogati manifeſte pronuntiarent.

Imperator ergo hanc Iudicii translationem & cætera nimis curioſe animo perpendens, tandem ob amorem ac iuſtam petitionem ſupradicti venerandi Præſulis Egilberti cum conſilio optimatum ſuorum tam Francorum quam iſtius Provinciæ Principum ADALBERONI *comiti, in cuius comitatu ipſe locus Moſaburc ſitus eſt*, imperiali præcepto iniunxit, ut in placito ſuo per legitimas inducias indicto huius rei veritatem iuxta legem baioaricam diligenter apud Iudices inquireret. - - - Tunc domino Epiſcopo Egilberto pariter cum *comite Adalperone* reſidente & præſentibus etiam comitibus Arnulfo, Poppone, Eparhardo, Chadalhoho & multis aliis viris illuſtribus inter defenſores utriusque partis *Vodalſchalcum* ſcilicet friſingenſis eccleſiæ advocatum - - lis & diſceptatio legitima cauſæ ipſius tamdiu ventilata eſt, donec lite finita Iudices omnes per ordinem propriis ſedentes in ſedibus iuramento conſtricti

ſtricti ſæpe dictum prædium *Moſaburc* cum ſua veſtitura in ius atque dominium friſingenſis eccleſiæ iure perpetuo pertinere affirmabant, nec unquam pro libera abbatia vel eſſe, vel haberi debere teſtati ſunt. His ita peractis *comes Adalpero* per Advocatum venerabilis Epiſcopi *Vodalſchalcum*, ut mos eſt, rogatus, banno conſueto prædium idem friſingenſi ſtabilivit eccleſiæ.“

Exſtat apud eundem MEICHELBECK *loc. cit. pag.* 230. & apud OEFELIVM II. *p.* 44. *n.* 5. ſed paullo immutata complacitatio *Adalperonis* noſtri cum dicto Epiſcopo friſingenſi anno MXXXIII. in hunc modum:

„ Notum ſit - - concambium quod effectum eſt ab Egilberto friſingenſis cathedræ Epiſcopo cum *Adalperone filio Oudalrici ſtrenuiſſimi Comitis, regula iuſtitiæ noricæ provinciam gubernante.* Tradidit namque idem Antiſtes prædicto *Præſidi* per manum *Vodalſchalci* advocati. - - Nec mora præfatus Præſes conferta ac ſuperaffluenti recompenſatione univerſa Præſuli retribuit. His igitur transactis *præfatus comes* prædium a præfato Pontifice acceptum, veluti moris eſt, triduana poſſeſſione in proprium ius vendicavit. Pactum namque huius traditionis anno MXXXIIII. ab Incarn. Indict. II. excellentia clericali nobilitateque militari, ac familia utriusque partis id adprobantibus peractum, ad notitiam Cæſaris CHVNRADI II. Rom. Imp. aug. ipſiusque filii HENRICI Noricorum Ducis cum eſſet delatum, regia eorumdem auctoritate, ſeu iuſſu ſtabili tenore roboratum eſt. - - Poſtmodum vero *idem comes* ipſius prædii proprietatem - - dedit ad altare S. Sebaſtiani in cœnobio Eperespergenſi. “

Chronicon ebersbergenſe prolixius *pag.* 10:

„ Anno

„Anno MXXXVII. *Adalpero* cum fratre ſuo *Eberhardo* accepto familiarium ſuorum conſilio - - indeficientis devotionis ad eccleſias conſtruendas animum gerentes, commoda & honores earum deſiderant ſalubriter dilatare. Anno eodem *Adalpero* diviſo cum fratre ſuo *Eberhardo* æquali ſorte patrimonio, ebersbergenſis caſtri ædificia quæque deſtruens, ipſum monaſterium, quod ad ipſum caſtrum ſuus Patruus (Propatruus) *Eberhardus* cum fratre eius *Adalberone*, & poſt Pater eius *Oudalricus*, bonæ in Chriſto memoriæ, extruxerat ampliare diſpoſuit, ſolummodo ibi clauſtrum novum ædificans ad auſtrum Baſilicæ, tempore Altmanni Abbatis. "

Annum obitus Adalberonis huius utrumque Chronicon ebersbergenſe ponit ad MXLV. Et brevius quidem *pag.* 14. his verbis:

„Anno MXLV. obiit in caſtro *Perſenpeuga* omnia committens coniugi recte tractanda, quæ pro anima eius S. Sebaſtiano dedit comitiam in *Perſinpeuga* cum omnibus attinentiis ſuis."

Proſixius vero *pag.* 11. hæc habet.

„Anno igitur Incarn. dom. quadrageſimo quinto obiit Adalpero in caſtro Poſenpeug, omnia committens Reuchlindi ſuæ coniugi recte tractanda, & quod omnia ſua prædia poſt eiusdem ſuæ Vxoris obitum, quæ in terminis haberet circa Inchoſen ſita, pro ſuæ remedio animæ Deo & S Sebaſtiano donaret, ut eius interventu Chriſtum haberet propitiabilem & placatum: quæ omnia, ſicut dixit, adimplevit, inſuper comeniam in Poſenpeug cum omnibus ſuis adhærentiis, quam *Adal-*

bero adhuc vivens de consilio sui fratris *Eberhardi* S. Sebastiano legaverat, *Richlind* sua coniux liberaliter & absolute Ecclesiæ ebersbergensi resignavit.

At vero *Adalberonem* anno 1048 adhuc fuisse superstitem, constat ex diplomate Benedictoburano, supra n. 10.) allegato, quem idcirco etiam eidem fatalem supponere licet, quum postea nuspiam occurrat eius memoria.

Diem obitus Necrologia ebersbergense & benedictoburanum signaverunt:

„ V. Kalend. April. *Adalbero* comes filius Oudalrici obiit. „

Num. XIX. RICHLINDIS VXOR ADALBERONIS III.

Genuinum hoc esse Matronæ nomen, non autem *Richardis*, ut Monachus Weingartensis de Guelfis Principibus, eumque sequuti CHONRADVS Urspergensis apud *Pfeffingerum* ad VITRIARIVM *Tom. II. p. m.* 407. VITVS *Ebersberg. p.* 710. & ARENPECKIVS Pezianus *Tom. III. P. III. col.* 210. neque *Richilda*, ut traditio frisingensis apud MEICHELBECK H. F. *Tom. I. P. H. n.* 1165. aut *Richildis*, ut AVENTINVS *Annal. Boior. V.* 7. *n.* 34. adpellant, ex chartis ebersbergensibus abunde claret.

Chronicon utrumque *pag.* 13. *b.* & 8. *b*:

„ Adalbero duxit Vxorem *Richlindem*, filiam Rudolfi Suevi sororem Welfardi comitis, qui rebellavit Henrico Regi secundo. Hæc sterilis fuit.

Diplo-

Diploma HENRICI III. Imp. de anno 1040. apud HVNDIVM *Gewoldi Tom. II. p.* 191. *edit. nov.*

„ Henricus - - quapropter omnes - - noſcant, qualiter quidam nobilis comes nomine *Adalbero*, conſentiente Vxore ſua *Richlinda* quoddam monaſterium nomine Ebersberg in comitatu Steinheringa de prædio & collaboratu ſuo fundavit. “

Præterea *Richlindis* nomen frequens occurrit in traditionibus ebersbergenſibus. Stemma illius Guelfico - Saxonicum exhibet tabula III. cum ſuis probationibus. Tragicum vero obitum refert Chronicon ebersbergenſe prolixius *pag.* 11. b:

„ Abbas Altmannus ut hanc comitiam (*Poſenpeug* in Auſtria inferiore) ſuſciperet, ivit cum *Richlinde*, quæ ſpreto conſilio quondam *Vdalrici* invitat Cæſarem in caſtrum *Poſenpeug*, ut beneficia cum comitia *Adalberonis* committeret conferret abbas Altmannus præſente Cæſare Welfardo Duci filio fratris ſui (*clarius id exprimitur in Chronico breviore hunc in modum :* ut beneficia comitatumque Adalberonis committeret Welfardo Duci filio fratris ſui. Quod ad explendum dum Cæſar ferulam Abbatis Welfardo porrigeret, de loco cedente columna lignei cænaculi, in quo ſederunt, ceciderunt in locum balnei -) ex qua ruina, pergit Chronicon prolixius, *Richlindis* deinceps & Altmannus graviter ægrotantes in brevi tempore ambo moriuntur. “

Refertur hic caſus ad ann. 1045. in codice traditionum ebersbergenſium *pag.* 26. *n.* 57 :

Digitized by

„ Defuncta igitur *Richlinde* anno MXLV. II. Id. Iunii quo & *Adalbero* Maritus eius mortuus eſt, id eſt ab Incarn. dom. milleſimo quadrageſimo quinto Welfardus Dux, qui erat filius Welfardi fratris eius, dedit Domino & S. Sebaſtiano. . . “

Quia vero Adabero, poſt cuius obitum hic caſus accidit, anno 1048 adhuc ſuperſtes fuit; (n. præc.) ideo hunc ipſum annum ſubſtituendum duxi.

Diem emortualem eundem, ut ſupra, notat Necrologium eberſpergenſe:

„ II. Idus Iun. Richlind comitiſſa obiit, Vxor Adalberonis (*tertii*) “

Num. XX. EBERHARDVS II.

Germanum fuiſſe *Adalberonis* fratrem, & filium *Vdalrici* ſecundo genitum, indubium eſt ex N. 18.) Quum tribus, quos genuerat, filiis fuiſſet orbatus, animum induxit ad fundandum monaſterium in Geiſenfeld, quod patet ex ſequentibus Chronici ebersberg. prolixioris verbis *pag.* 10:

„ Eodem tempore & anno MXXXVII. *Eberhardus* frater *Adalberonis* de bona voluntate ſuæ coniugis *Alheidis* ad laudem & gloriam nominis Dei & S. Dei genitricis Mariæ & Sanctorum cæpit de novo fundare monaſterium ſanctimonialium ſuper Ilmam fluvium dictum *Geyſenfeld* ord. S. Benedicti in dioceſi Ratisponenſi, & laudabiliter domino concedente conſummavit, ditans illud clauſtrum multis divitiis & honore. “

In

In diplomate fundationis, cüius originale non amplius, ſed vernacula eius translatio exſtat apud *Hundium* GEWOLDI in Metropoli *Tom. II. p. m.* 247. adpellat ſe comitem de *Mourach*, cuius etiam familiæ inſigniis hodie utitur monaſterium iſtud; facileque largitur *Hundius*, comitatum illum in Nordgovia, hodierno Palatinatu ſuperiore Bavariæ, *Eberhardi* fuiſſe patrimonium, illumque nomen inde traxiſſe.

At ego vehementer ſuſpicor, in hanc verſionem errorem irrepſiſſe, & *Eberhardum* in originali dictum fuiſſe comitem de *Murau*, vel *Mureck* in Carinthia. Nuspiam enim hoc ævo comites de *Mourach* occurrunt. Nec etiam vero videtur ſimile, Semtenſes comites bona quædam in Nordgovia poſſediſſe, cum prædia a fundatore donata pleraque non ibidem, ſed in Bavaria & Oriente, hoc eſt, Auſtria & adiacentibus provinciis ſita fuerint. Facilius mihi perſuadeo, locum *Murau*, vel *Mureck* in Carinthia, vnde & comites *Murzthalenſes*, Ebersbergenſibus propinquitate iuncti, nomen traxerunt, a matre *Richarde*, *Marquardi* II. Murzthalenſis Carinthiæ Marchionis ſorore, ad *Eberhardum* II. peruenille, indeque Comitem de *Murau* vel *Mureck* (facile confundendo cum *Murach*) ſe ſcripſiſſe.

Quid? quod præcipui poſt Babonem Schyrenſem teſtes in diplomate fundationis ſubſcripti, non Nordgovia, ſed Carinthia acciti fuerint, nim. ſequentes: *Vdalricus Marchio. Adalbero Marchio. Otacher frater ſuus* - - ambo amitæ fundatoris filii. (tab. II.) De Ebersbergenſium vero comitum cum Mourachenſibus in Nordgovia quapiam affinitate nullum omnino veſtigium reperire eſt.

Quo

Quo tempore ſanctimoniales trabes transverſas (*Sparren*) Mourachenſi familiæ proprias, & Witelspacenſibus non diſſimiles inſigniis ſuis adiecerint, certo definire non auſim, crediderim tamen, id non niſi poſt editam HVNDII ſlematographiam contigiſſe. Quum enim in vernacula diplomatis Eberhardini verſione fundatorem legerent comitem de *Mourach*, in HVNDIO autem Muracenſium ſcutum conſpicerent; hoc ipſum ſigillo ſuo addidiſſe, vero admodum ſimile redditur.

Vtut autem hæc ſe habeant, fundationis compendium exhibet codex tradition. geiſenfeld. apud HVNDIVM *loc. cit.*

„ Omnes ſancte Dei eccleſie fideles tam preſentes quam futuri noſcant, quod celebris memorie *Heberhardus* comes villam nomine Geiſenvelt tradidit ad altare ſancte ſemperque Virginis Marie beatique Zenonis ſtructum in eadem villa. Tradidit etiam - - quidquid - - hæreditario iure poſſedit, ea nimirum lege, ut poſt ſuum fratrisque ſui *Adalberonis* eiusque coniugis *Richlinde* obitum prædia cum familia & cum ad ea pertinentibus ſororibus ibi ſervientibus Deo perpetuo ſuffragari debeant. - - “

In traditionibus geiſenfeldenſibus mentio huius comitis poſtrema vice occurrit ad annum 1065. unde ſuſpicari fas eſt, illum circa hunc annum obiiſſe.

„ Notum ſit - - qualiter quædam mulier Engilrait nomine tradidit ſe & filios filiasque propria voluntate ad monaſterium ſancti Zenonis in loco, qui vocatur *Giſenvelt* in poteſtatem comitis *Eberhardi* ad unum cenſum denariorum reddere monaſterio & S. Zenoni, & dato cenſu vivere liberam ſe omnesque

que affines eorum. Facta ſunt hec anno milleſſimo ſexageſimo quinto regnante Rege Heinrico & preſente comite *Heberhardo.*“ Ita anecdotum.

Diem obitus diſcimus ex Necrologio ebersbergenſi.

„VIII. Kal. Aug. Eberhardus comes filius Oudalrici obiit.“

Num. XXI. ADELHEIDIS, VXOR EBERHARDI II.

Ex auſtriaca Babenbergenſium proſapia illuſtrem hanc Matronam ortam fuiſſe, ſanctimonialibus in Geiſenfeld olim perſuaſum erat, haut dubie deceptis epitaphio, quod in Eccleſia monaſtica ibidem e regione alterius, *Gerbirgi* Abbatiſſæ poſiti, cum hac inſcriptione hodie viſitur:

Heus Viator. Hoc ſaxo tegitur filius & filia nobilis comitis Eberhardi in *Murach* atque domine Adelheidis ex Archiducibus Auſtriæ præſtantiſſimæ feminæ, qui cenobium in Geiſenfeld ab ipſis fundamentis & præcipua fide & ſummis dotibus exornarunt. Heic latere volui. Vale quisquis es, & manibus ſuam tranquilitatem precare.“

Λ 86.

Numerus Λ ſaxo inſcriptus, qui illo ævo Septenarium denotabat, hoc loco ſignificare videtur vocalem A. & exprimere Annum octogeſimum ſextum ſupra milleſimum quingenteſimum ſubpreſſum, ſed tamen ſubpoſitum, & tempore poſiti monumenti omnibus notum.

Porro titulus *Archiducis*, qui decreto *Friderici III.* Imp. Principibus Auſtriæ demum an. 1455 tributus fuit apud PFEF-

FINGE-

FINGERUM ad VITRIARIUM *Tom. II. pag. 24. ſeq.* & a temporibus *Maximiliani I.* Imp. perpetuus eſſe cæpit, ætatem huius inſcriptionis demonſtrat.

Idem error quoad Originem Auſtriacam irrepſit in diploma anecdotum *Maximiliani I.* Imp. quo privilegia & iura huius Parthenonis confirmat in hæc verba:

„Wir MAXIMILIAN — bekennen - das vns die Erſamen vnnſer lieben Andechtigen *Katherinn* Ebbtiſſin vnd Convent des Gotzhauſs zu Geiſſenfeld diemuttiglich haben angeruefſen vnd pitten laſſen, das wir Innen vnd Irem Gotzhaus ire Gnaden, Freyhaiten, Rechtbrief, privilegien, Salbuecher, vnd hanndtveſten, die Inen von weiland irem Stiftheren vnd Frowen *Graf Eberharden von Maurach, vnd Adelheiden gepornen Hertzogin zu Oſterreich* Gemahel — gegeben - Linntz 30 Aug. 1517. "

Vbi tamen obſervo, Imperatorem, etſi iſtam *Adelheiden* ex ſua proſapia oriundam fuiſſe exiſtimaverit, eam tamen *Archiducis* titulo non ſalutaſſe, quippe quod ſciret, illi ævo, quo non niſi Marchiones erant, eum minime competiiſſe.

Ex erronea hac perſuaſione in ſigillo Parthenonis iſtius hodieque conſpicitur clypeus auſtriacus, nempe faſcia alba, rubrum interſecans. Deceptioni iſti anſam forte præbuit ſigillum quodpiam, aut marmor ſepulcrale Comitum Semtenſium, quorum ſcutum exhibet HUNDIUS album cum faſcia tellelata rubri & nivei coloris, quod cum colores non ſatis erant diſcreti, facile confundi poterat cum Auſtriaco, quemadmodum Muracenſe cum Witelspacenſi.

Sed

Sed præterquam quod tempore fundati cœnobii insignia gentilitia vixdum in usu fuerint, certum est, hodiernum scutum austriacum demum sub *Friderico II.* Austriaco — Babenbergensi circa an. 1232 obtinuisse, ut compendio videre est apud Sigismundum CALLES *Annal. Austr. Tom. II. p.* 275. *not. C. D.*

Iam vero *Adelheiden* istam e Saxonia esse repetendam, satis constat ex gemino Chronico ebersberg. Et brevius quidem *p.* 13 :

„ Eberhardus vero duxit Adelheidem Saxonem. "

Prolixius *p.* 8 :

„Eberhardus vero duxit Adelheidem de Saxonia. "

AVENTINUS *V.* 7. *n.* 34 :

„ Eberhardus coniugio sibi iunxit Adelheidem in Saxonia ortam. Hi Geisenfeld contubernium sacrarum fæminarum dicarunt anno a Christo nato MXXXVII. Gerpyrgam virginum maximam ceperunt ... "

Quo autem genere orta fuerit, quo anno dieque obierit, nullibi consignatum inveni.

Num. XXII. WILLPIRGIS II.

Propius paullo ad propositi problematis discussionem hae semita perductum me sentio. Haec *Willpirgis*, indubia *Adalberonis III.* & *Eberhardi II.* soror, *Vdalrici* filia (n. 18.), mater etiam certissime exstitit *Gerbirgis*, primae a fratre fundati Parthenonis geisenfeldensis Abbatissae, cuius ibidem cernitur Cenotaphium, ænigmatis praesentis occasio, in cuius patrem modo inquirendum est ; quum recentior quidam Chronistes

apud RADERUM Bavariæ ſanctæ *Tom. II. pag.* 179. dicat: *Cuinam mortalium nupſerit Willpirgis nuspiam facile licet reperire.*

Num. XXIII. WERIGANDUS, *prior Willpirgis maritus.*

Iſtum prodit Codex traditionum geiſenfeldenſium in hæc verba:

„ Eadem Comitiſſa *Wilibirch* ex petitione filie ſue *Liutkarde* tradidit ad altare S. Marie ſanctique Zenonis predium quod vocatur *Solari* cum fundis eccleſie & mancipiis VIIII. molendino & pratis ac omnibus, que ipſa ibi hereditario iure poſſedit, ea lege, ne cuiquam in beneficium detur, nec quoquam modo domui Dei auferatur, ſed in prebendam prefate filie ſue L. & in memoriam ſue anime defunctique *mariti Werigandi*, omniumque parentum ſuorum, ſororibus ibi Deo ſervientibus perpetuo ſuffragetur. "

HUNDIUS in Stemmatographia *Tom. I. pag.* 141. *Werigandum* iſtum *Lutgardi maritum* tribuit, cuius *pater* erat, eumque comitem de *Mospach* adpellat.

At vereor, ne illum cum altero *Werigando* confundat, qui diplomati *Henrici III.* Imp. quo fundationes monaſteriorum in Ebersberg & Geiſenfeld confirmantur, teſtis interfuiſſe dicitur.

„ Dieſer Fraw Lutkart Mann, verba ſunt HUNDII, war Werigand Graf zu Mospach, welcher neben andern ein Zeug war Keyſer Hainrichen des dritten confirmation der beyden Stifft Ebersberg und Geiſenfeld an. 1040. "

Porro

Porro teſtes huius diplomatis mihi non viſi hos recenſet idem HUNDIUS in Metropoli *II. p. m.* 245. *Edit. ratisbon.*

„ Vlricus Marchio, vnſer Oheim, ſcil. Imperatoris, *Werigandus de Maspach.*“

In diplomate de eodem anno 1040, quo Henricus III. Imp. fundationem monaſterii Ebersbergenſis confirmat, nullus omnino teſtis comparet, & alterum pro Geiſenfeldenſi non ſupereſt. Vnde ergo hos teſtes HUNDIUS deprompſit?

Quis autem non videt, *Willpirgen* non de filiæ, quæ nullum forte vnquam habuit, ſed de *ſuo marito*, de *ſua* anima propria, de *ſuis* parentibus loqui; utpote cum ipſa, non autem filia, licet interveniens, donationem de rebus ſuis hæreditariis fecerit.

Vero præterea videtur ſimillimum, WILLPIRGIS maritum eo tempore, ſcil. anno 1037, quo EBERHARDUS frater Geiſenfeld fundare cœpit, iam defunctum, ideoque diverſum a Comite *Mospacenſi* fuiſſe: ſecus haec matrona non utique per manum *Vdalrici* Marchionis, ſui ex filia nepotis, ſed pro ſæculi illius more per manum *Senioris* ſui, h. e. mariti, traditionem (n. 31.) aut mariti ſaltem conſentientis mentionem feciſſet.

Eccur inter bene multos fundationis Eberhardinæ teſtes, ubi plures Carentani leguntur, nullus WERIGANDUS comparet, cum tamen in favorem filiæ eius *Gerbirgis* illa facta fuerit, ſi eo adhuc tempore, hoc eſt, anno 1040 exſtitiſſet?

De *Lutgardis* coniugio quocunque incerta, dubiaque omnia. At vero WILLPIRGEN filias aliquot peperiſſe, ideoque & maritum habuiſſe, ambigi nequit, niſi fornicariam quis criminari auſit.

Sit igitur WERIGANDUS alius ab illo, ſi quis unquam vixit, *Mospacenſi* comite, non *Liutgardæ*, ſed *Willpirgæ* huius maritus.

Vbinam autem locorum illum invenire erit? Ego in Carinthia inveſtigandum cenſeo; in hac enim provincia frequens, extra illam vix raro, nomen *Werigandi* illo ævo occurrit. Ipſe *Vlricus* Marchio, WILLPIRGIS noſtræ ex filia nepos, uni filiorum ſuorum *Werigandi* nomen impoſuit. Vid. n. 15. ad tab. V. & tab. IV.

Iam ſupra n. 20. ſuſpicio mihi oborta fuit, EBERHARDUM, WILLPIRGIS noſtræ germanum, non de *Murach*, in hodierno Palatinatu ſuperiore Bavariæ, ſed de MURAU, vel MURECK, locis ad *Muram* fluvium in Carinthia hodiedum ſitis, Comitem ſe ſcripſiſſe. Late ſiquidem in Oriente per Auſtriam & adiacentes regiones diſperſæ erant Semtenſium Comitum poſſeſſiones, aut avitæ a progenitoribus *Sigehardo* & *Rotholdo*, Carinthiæ olim præfectis, ſeu Marchionibus, aut connubio *Vdalrici* cum *Richarde* e Murzthalenſium Comitum ſtirpe inito ad eos devolutæ.

Quid igitur mirum, ſi, quemadmodum *Vdalricus* uxorem inde accepit, & ſororem ſuam Murzthalenſi Comiti iunxit, ita & WILLPIRGIS in eodem Carinthiæ ducatu olim ampliſſimo paris nobilitatis viro iuncta fuerit? Certe alter eius maritus Iſtrienſium Comes erat, ut ad Num. ſeq. conabor evincere.

Ad

Ad ſcopum iſtum peropportune in tabulis parentinis apud VGHELLUM Italiæ ſacræ Tom. X. in addendis *pag.* 313. relatis ad annum DCCCCXC. occurrit. „ Dominus *Huerient* (ſeu Werihent) Hiſtrienſium Comes pro tribunali ſedens.

Apud Bernard. M. de RUBEIS in Monument. Aquileienſ. eccleſ. *pag.* 490. exſtat diploma OTTONIS III. Imp. de anno 1001, quo medietatem villæ, quæ ſlavonica lingua dicitur *Gorizia*, Patriachæ Aquileienſi, alteram vero medietatem *Variento* Comiti Foroiulienſi largitur. Vtriusque, Patriarchæ, & Comitis, iura confirmant iudices cum *Ottone* Duce Marchiæ Veronenſi præfecto, ſententiam in hunc modum ferentes:

„ Datum in Dei nomine civitate Verona in dom. Epiſcopi S. Zenonis ſolarii.... dom. Otberti Epiſcop. reſideret dominus Hotto Dux iſtius Marchiæ ad ſingulorum hominum iuſtitias faciendas & deliberandas, reſidentibus cum eo predictus dominus Hotbertus (*recenſentur nomina comitum*) inque eorum veniens preſentia VUERICHEN Comes comitatus Foroiulii, & oſtendit ſibi præceptum unum - - ſicut hic ſubter legitur:

In nom. S. & individ. Trinit. Ho . . . (*Otto III. Imp.*) tam preſentium quam futurorum noverit univerſitas, quod nos interventu Hottonis noſtri (*Ducis*) - - - *hen* (Werihen) comiti dedimus medietatem predii quod Iohanni venerabili Patriarchæ Aquileienſi contulimus, Silkanò, Gorizia - - donamus quidem memorato VUERICHEN medietatem - - agrorum, camporum, paſcuorum, ſylvarum, venacionum - viarum & inviarum, & ſituum & redituum, tam queſitorum, quam inquirendorum - - violare vel corrumpere voluerit, pœna centum libras auri medietatem noſtræ - - medietatem ſupradicto VUE-

RIHEN.

Digitized by Google

RIHEN. Quod ut verius credatur & firmius obſervetur, hanc paginam — roborando ſigillari iuſſimus. Signum domini Hottonis - - toris Romanorum Auguſti, data ſexto - an. dom. incarn. - - quinta decima, anno tertii Hottonis regn. XVII. imperii ſui - - Actum Papiæ - Interrogatus eſt ipſe VUERIHEN comes, per quod præceptum ipſum oſtendere condixit. Vere ideo præceptum - - veſtris oſtenſi præſenci - - "

Iſtum *Vuerihen* clariſſimus editor eundem arbitratur cum *Variento*, qui in diplomate *Conradi II.* Imp. an. 1029 legitur ibidem *pag.* 503:

„Concedimus (inquit Imperator) & perpetuo damus Poponi Patriarchæ & Aquileienſi eccleſie quamdam ſylvam in Pago Foroiulii *in comitatu Varienti Comitis.*"

Item in apographo eiusdem diplomatis:

„Conradus divina favente clementia Rom. Imp. Aug. Noverit omnium noſtri fidelium univerſitas, qualiter nos ob interventum & petitionem dilectiſſimæ coniugis noſtræ Gislæ Imperatricis Auguſtæ, ac amantiſſimæ noſtræ prolis Henrici Regis, nec non aquileienſis ſedis venerabilis Archipræſulis fidelis noſtri Popponis Patriarchæ, cui ipſe Deo dante præſidet, quamdam ſylvam in pago Foroiulii in *comitatu Goritienſis Comitis* (ſupradicti *Varienti*) incipientem a flumine Yſontio usque ad mare & ſub ſtratam, quæ vulgo dicitur Valſetta Hungarorum usque ad illum locum ubi flumen naſcitur, & ita deorſum per flumen usque ad terminum, qui eſt inter prædium ſanctæ Sextenſis Abbatiæ & usque ad flumen Liquentiæ ſitum, usque Liquentiæ introitum in mare, cum conſenſu & laudatione dieteburgenſis Epiſcopi (autor legendum exiſtimat: *Dietmari*

mari ſalisburgenſis Epiſcop.) & eius fratris *Vezelini*, nec non comitis Friderici. Ioannis comitis, & eius fratris Iohannis. Iohannis filii Valerii Ragulafidi, Vdonis, Adalgarii & cæterorum, qui amodo per eius voluntatem ſuorumque ſucceſſorum id ipſum collaudare voluerint, poteſtati conceſſimus - Datum VI. Idus Octob. Indict. XI. an. dom. Incarn. Mill. vigeſimo nono. Anno autem domini Conradi II. regni quinto. "

Ego autem ſuſpicari malim, *Varientum* iſto anno occurrentem, prioris eſſe filium, qui & ipſe genuerit *Azonem* Marchionem anno 1077 ſuperſtitem, uti infra ad Tabulam IV. probabitur, quam cum præſente numero conferendam velim.

Facile ex dictis colligitur, WERIGANDVM, *Weriantum*, *Uverihentum*, vnum idemque nomen eſſe, illuſtri in Carinthia generi proprium, quod medietatem *Goritiæ* poſſedit, & Marcam Foroiulii aliquamdiu adminiſtravit.

Porro *Werigandum* noſtrum poſt annum 1001 diem ſuum obiiſſe, probabili coniectura *Num. ſeq.* conabor oſtendere.

In Necrologio ſalisburgenſi anecdoto legitur: II. Kal. Novemb. *Werngandus comes*, qui noſter *Werigandus* eſſe poſſet. Alter enim *Werigandus*, *Thiemonis* Archiepiſcopi perſecutor tab. V. n. 13. ſui memoriam in Dyptichis huius Eccleſiæ haut fuerat promeritus, quibus non niſi bene merentium nomina inſeri ſolebant.

Num.

Num. XXIV. WEZELINUS, Comes Hiſtrienſis, alter Willbirgis Maritus.

Cur Semtanæ noſtræ comiti alterum Maritum tribuam e Carinthia denuo petitum, ex ſequentibus patebit. Interea *Wezelini* huius meminit *Conradus II.* Imp. in diplomate anno 1029 Popponi Patriarchæ aquileienſi dato ſupra N. 23.) allegato, ubi ex coniectura Editoris frater audit *Dietmari* Archiepiſcopi ſalisburg. cuius genus hactenus neſciebatur.

Idem Bernard. M. de RVBEIS *loc. cit. pag.* 536. A. vetus quoddam Inſtrumentum protulit, quod, utut notæ chronicæ non ſatis cohæreant, digniſſimum tamen eſt, quod heic legatur:

" In nomine S. & individuæ Trinitatis anno dom. Incarn. MXL. Regni Domini Henrici feliciſſimi Regis anno VI menſis Maii die 12. Indict. X. . . . Qualiter illuſtris *Azzica* totius nobilitatis compos, Patre VECELLINO & VILBURGA nobiliſſima matre, Iſtrienſium quondam comite & comitiſſa procreata. . . Dat igitur prædicta Azzica conſenſu d. *Vilpurgæ* adhuc viventis, & conſenſu d. *Ulderici* filii ſui. . . "

Iam igitur ante hunc annum fatis conceſſerat *Wezelinus*, cum ſolius matris ſuperſtitis mentio fiat, & conſenſus accedat. Quoniam vero Willpirgæ Nepos *Vdalricus* traditioni ſuæ matris conſentire poterat, annum numerare tunc debuit ſaltem decimum ſeptimum; natus ideo anno 1023 quo & ipſa *Azzica* annum attigerat decimum ſeptimum, nata anno 1003. Vnde ulterius ſequitur, intra annos 1001 & 1003 defunctum fuiſſe *Werigandum* priorem Willbirgis coniugem.

Quem-

Quemadmodum vero Itali *Werigandum* dicunt *Veriant*, aut *Verientum*; ita & *Willbirgen* noſtram *Vilpurgam*, & *Wezelinum*, *Vezelinum* adpellant.

Cur autem Matronam iſtam non aliam a noſtra *Willbirge* Semtana eſſe credam, ſequentibus inducor momentis.

Primo. Reciproca Ebersbergenſium cum Carentanis coniugia, quæ in tabula I. & II. comparent, facilem pariunt coniectúram, hanc quoque *Willbirgen* Semtanam Hiſtrienſium comiti ſecundis nuptiis iunctam fuiſſe, quemadmodum & filiam ſuam *Hadmoudam Marquardo III.* Carinthiæ Duci, & alteram *Azzicam Popponi* Marchioni ibidem in matrimonium elocavit. *Tab. II. n.* 11. *tab. V. n.* 7.

Secundo. Aetas *Willbirgis* poſt mortem utriusque coniugis anno 1040 & tempore ſui ex filia Nepotis *Vdalrici* adhuc ſuperſtitis, immo quæ annos ſuos adhuc ulterius usque ad ann. 1064 circa produxit, omnino congruit.

Tertio, & quod rei caput eſt, in Traditionibus ebersberg. & geiſenfeldenſibus ſæpius occurrit *Vdalricus* Marchio Chreinenſis, hoc eſt, Carinthiæ vel Carniolæ, & quod obſervatu digniſſimum eſt, ut *Nepos Adalberonis* III. Comitis Ebersbergenſis, germani *Willbirgis* noſtræ fratris; quod aliter intelligi nequit, quam ut editus ſit ex filia ſororis *Azzica*, quam ideo uxorem tribuo *Popponi* Marchioni, hactenus ignotam omnibus, eoquod *Vdalricus* Marchio certiſſime filius fuerit *Popponis*, hinc & *Azzica* huius Vxor. Tab. V.

Igitur libellus concambiorum ebersberg. apud OEFELE II. *pag.* 45. *Num.* 10. hæc habet:

„ Cum VDALRICVS Marchio Chreinenſis *Nepos Adalberonis* comitis per traditionem *Richlindis* (Vxoris Adalberonis) prædia *Peringen* & *Wizzinvelt* poſſideret, antequam nupſiſſet, ea tertio *Heurico* Cæſari petenti tradidit, quæ cum venerabilis *Williramus* Abbas (intra ann. 1048 - 1085.) ſecundum ius ab eo poſceret, ipſe in hora ſui obitus (ann. 1070.) Imperatrici *Agneti* commiſit ea reddere. - - “

In Charta fundationis Cœnobii Geiſenfeld ſecundo loco teſtis ſubſcribit *Vdalricus Marchio.*

In Codice traditionum eiusdem Parthenonis hoc legitur:

„ Noverit plebs univerſa, quod glorioſa comitiſſa *Wilibirch* ſoror præſcripti *Heberhardi* comitis per manum *Vdalrici* Marchionis tradit ad altare S. Mariæ. . . “

Iſta ſi invicem conferantur, nemo non probabit coniecturam meam. Quid enim Marchioni Carinthiæ cum Ebersbergenſium Bonis in Bavaria ſitis? Cur per manum eiusdem fit traditio, niſi admodum propinquus & conſanguineus fuiſſet?

Quid? quod *Wezelinus* iſte, *Willbirgæ* noſtræ Maritus, advocatum egerit *Adalberonis* Carinthiæ Ducis, matre *Hadmouda* Semtana nati, & Geiſenfeldæ ſepulti apud Bernard. M. de RVBEIS *loc. cit. p.* 500.

„ In

Digitized by Google

„ In nomine domini. In veronenſi comitatu in laubia S. Zenonis ſolarii & (cum) in iudicio ſederet dominus *Chonradus* gratia Dei Imperator Auguſtus una cum filio ſuo *Henrico* ad faciendas ſingulis hominibus iuſtitias. . . Ibique in eorum veniens præſentia D. Poppo Patriarcha aquileienſis eccleſiæ cum Valperto ſuo eiusdemque advocato & ex alia parte d. *Adalbero dux de Carinthia* una cum *comite* VIZELINO advocato ſuo, qui & Walperto vocatur.

Ibi cum coniuncti eſſent, & altercationes inter ſe haberent, dicebat *Adalperto* dux cum eodem *Vizelino* advocato ſuo, quod de curtis & caſtellis, ſeu villis, & de omnibus tam ſervis quam liberis ipſi S. aquileienſi eccleſiæ pertinentibus ex parte ipſius ducatus fodrum & angarias, ſeu publicum ſervitium in panem & vinum, carnes & annonam, & alias angarias & functiones publicas ſibi dare deberent.

Ad hæc reſpondit D. Poppo Patriarcha & advocatus eius Walpertus, hoc verum non eſſe. . . Tunc veniens ſupra dictus Walpertus advocatus, ibique per iudicium cum quatuor ſacramentalibus, quorum nomina VARIENTVS, *Ubertus*, & *Tubertus*, nec non & *Bono*, ipſius ſanctæ eccleſiæ milites, qui ita iuraverunt. - -

Et quod plus eſt, quærimus, dicat D. *Adalberto* Dux, una cum comite VEZELINO advocato ſuo, ſi de Cortis, ſive caſtellis, vel de villis, aut de aliis S. aquileienſis eccleſiæ viris aut per fodrum, aut per vallum ſupra dictum Gaſorium, ulterius dicere, vel inquietare vult aut non?

Digitized by Google

Ad hæc reſponderunt *Adalberto* Dux & comes VEZELLINVS eius advocatus: Quod dignum & iuſtum eſt dicimus, & firmiter laudamus, quod de Cortis - - nec nobis nec aliis Ducibus, nec Marchionibus, nec Comitibus, nec Sculdaſiis, neque Saldariis per legem pertinet quidquam, ſed omnia in omnibus aquilegienſis eccleſiæ ſunt propria. Inſuper hoc in loco & in eodem iudicio obligavit ſe ipſe *Adalperto* Dux cum VEZELINO advocato ſuo contra d. Popponem Patriarcham, & Walpertum advocatum ſuum vel aquilegienſis eccleſiæ, eſſe compoſiturum centum libras optimi auri: & collaudavit, ut totidem componerent hæredes & prohæredes, & poſteri eius, ſi unquam contra Poponem Patriarcham vel contra quemquam alium aliquid dicere vel inquietare præſumſerint. Cum hoc ita definitum eſt, iuſtum fore omnibus ſupra ſcriptis auditoribus viſum eſt. Iudicaverunt quoque, ut iuxta eiusdem D. Poponis Patriarchæ & Walperti aquilegienſis eccleſiæ advocati, nec non *Adalbertonis* Ducis, & VIZELLINI comitis eius ducatus advocati profeſſionem & manifeſtationem amodo in antea d. Patriarcha cum Walperto advocato ſuo ipſas cortes - - & cum omni præſcripto de parte *Adalpertonis* Ducis & comitis VEZELLINI advocati ſui, ſine omni inquiſitione habere & detinere debeat. Et ipſe Adalperto Dux cum WECELLINO comite advocato ſuo promiſerit, ſe omni tempore exinde tacitos & contentos permanere. Taliter hæc cauſa finita eſt: & qualiter acta eſt, ſupra notitia optime demonſtrat. - - Anno eiusdem Domini CONRADI gratia Dei Imperatoris Auguſti in Italia primo XIII. Kal. Iunii Indict. X. — id eſt, ann. 1027.

Quis dubitet, *Vizelinum*, *Vezellinum*, *Wecellinum*, ut diverſimode ſcribitur, eumdem eſſe cum VEZELINO Hiſtrienſium comite, WILLBIRGIS noſtræ Marito, quando tempus, & locus adprime in illum conſpirant? De

De anno mortis non habeo, quod certi ſtatuam. Illum tamen ante annum MXL. obiiſſe, Vxore ſuperſtite, clarum eſt ex inſtrumento eiusdem anni, initio huius numeri allegato.

Diem obitus quod attinet, in Necrologio ſalisburgenſi N. præc. citato legitur VIII. Kal. Martii. *Wecil palatinus comes*: credo, Carinthiæ, de cuius palatinis comitibus erudite differit Eraſmus *Frœlichius* in *Archontologia Carinthiæ P. II. p.* 118. *ſeq.*

Suſpicari fas ſit, hunc eſſe noſtrum *Wecelinum*, vel ideo Salisburgenſibus memorandum, quod frater fuerit *Dietmari* Archiepiſcopi.

In eodem Necrologio II. Kal. Septemb. occurrit *Wecil comes*. Alteruter aut neuter an noſter fuerit, quis divinaverit?

Num. XXV. WILLBIRGIS,
Vidua, Abbatiſſa ſecunda in Geiſenfeld.

Chronicon ebersbergenſe prolixius *pag.* 10:

„ In eodem etiam monaſterio ſanctimonialium (*Geiſenfeld*) Willbirgis ſoror eorum (*Adalberonis & Eberhardi*) pro æterna vita terrena deſpiciens monaſticæ religioni ſanctæque converſationi ſe ibidem pro amore Chriſti ſubdidit, ac beatiſſimam vitam ducens usquequo de laborioſo certamine preſentis ſeculi ad emeritæ remunerationis mercedem a Domino fuiſſet evocata. “

Filiæ

Digitized by Google

Filiæ ſuæ *Gerbirgi* in regenda Abbatia ibidem eam ſucceſſiſſe, colligo ex traditione quadam Codicis geiſenfeldenſis:

„ Quidam nobilis vir Wolftregil nomine dedit ad altare S. Mariæ duas molendinas cum omnibus ad ea pertinentibus, & mancipia VII. in manus *Heberhardi comitis ſororisque eius Wichperge Abbatiſſæ* (legendum haut dubie: *Willperge*) pro nutritura filiarum ſuarum. “

Diem obitus notat Necrologium ebersberg.

„ VII. Kal. Decemb. Willipirc comitiſſa filia Oudalrici obiit. “

Annum ſuſpicor fuiſſe MLXIV. Nam anno ſequente, qui germano ſuo Eberhardo fatalis fuit, in traditione ſupra n. 20.) ubi Eberhardi poſtrema fit mentio, illa non amplius comparet.

Num. XXVI. RICHARDIS.

Hanc quoque *Vdalrici* filiam, *Willbirgis* ſororem, ſervavit nobis codex tradition. ebersberg. *pag.* 36. *n.* 172.

„ Richart Oudalrici comitis filia dedit manu poteſtativa ſuper altare S. Sebaſtiani tria mancipia.

Cæterum nuptane fuerit, & cui, an cælebs permanſerit, quo anno dieque obierit, nullibi conſignatum reperio.

Num. XXVII.

Num. XXVII. & XXVIII. RVHTRUDIS.

De hac iam actum fuit ſupra n. 14.) Præter iſtas tres filias ſupereſt alia anonyma, de qua nihil conſtat, niſi natam fuiſſe; idque ex Chronico breviore ebersbergenſi:

Poſthæc Oudalricus genuit - - - *Willburgen* & alias tres filias.

Num. XXIX. EBERHARDI II. FILII TRES.

Chronicon prolixius ebersberg. *pag. 8. b*:

„ Eberhardus vero duxit Adelheidem de Saxonia, quæ tres genuit filios. “

Quum vero, ut idem refert Chronicon pag. 9. a.) Vdalricus nullam ex filiis ſuis prolem videret, illeque anno 1029 defunctus fuerit, ſequitur, & iſtos ante hunc annum ad plures abiiſſe.

Si Epitaphio geiſenfeldenſi (ſupra n. 21. adducto) fides adhibenda foret, addi his filiis deberet & filia, ibidem cum fratre ſepulta.

Num. XXX. LIUKARDIS, FILIA WILLPIRGIS II.

Hanc novimus e Codice traditionum geiſenfeldenſium ſupra n. 23.) An autem monialem & illa induerit, aut ſolum præbendam a Parthenone acceperit, non divinaverim. Plura de ea non liquent.

Num. XXXI.

Num. XXXI. *Gerbirgis prima Geiſenfeldæ Abbatiſſa.*

Iſtam *Willpirgis* filiam, & *Eberhardi neptem* extra omne dubium ponit Codex tradition. geiſenfeldenſ.

„ Noverit plebs univerſa, quod glorioſa comitiſſa *Wilipirch*, ſoror preſcripti *Heberhardi* Comitis per manum *Vodalrici* Marchionis tradidit ad altare S. Mariæ locum qui dicitur *Elſesbach* cum tribus vineis XX. & II. mancipiis ſilvis & omnibus ad ea pertinentibus in manum *filie ſue* GERBIRGE *Abbatiſſe* & eius advocati *Haertwici*, ut in cottidiana oratione ſanctimonialium ſui, parentumque ſuorum frequens memoria eſſet apud Deum. “

In eodem traditionum Codice frequens huius Abbatiſſæ occurrit mentio. Diem obitus ſervavit Necrologium weltenburgenſe *Vol. XIII. Monum. boic. pag.* 478. — VI. Kal. April. Gerbirc Abbatiſſa de Giſinvelt. — Annum vero certum aſſignare non valeo. Crediderim tamen, circa ann. MLXIII. eum contigiſſe, ſuperſtite matre, Matrona longæva, quæ filiæ etiam in munere ſucceſſit. (N. 25.)

Num. XXXII. HADMOUDA II.

Huius diſerte meminit Codex tradition. geiſenfeld.

„ Eiusdem Wilipirge filia *Hadmout* comitiſſa tradidit ad altare S. Mariæ predium quod dicitur Hadprechtsdorf eo iure, quo ipſa poſſidebat. “

Chronicon ebersberg. brevius *p.* 13. *b* :

„ Oudal-

Digitized by Google

„ Oudalricus ergo cum nullam ex filiis prolem videret, præter unam Virginem *Hadamouden* vocabulo (Chronicon prolixius *pag.* 9. *Hadewigam* adpellat) Neptem ſuam de filia Willipirga.

Hæc autem Virgo non permanſit ; iam enim ante obitum *Richlindis*, uxoris *Adalberonis III.*, quem anno 1048 contigiſſe patet ex. N. 18. & 19. filium habuit *Vdalricum*, ut conſtat ex Codice tradition. ebersbergenſ. *pag.* 26. *n.* 54.

„ Hæc eadem (Richlindis) *Oudalrico*, qui filius erat *Hadomoudæ*, filiæ *Willipirgæ* ſororis *Adalperonis* dedit prædium Peringen & maius Wizzinvelt cum attinentiis omnibus, & partem nemoris que ſita eſt ad occidentem viæ, quæ dicitur Ekkilimpurganwec cum venatione totius nemoris, excepto eo uſu, quem antea dedit S. Sebaſtiano, ea pactione, ut ſi idem *Oudalricus* vita decedat absque prole de legali nobilique matrimonio procreata, quæ illi ſuperſtes fiat, omnia perpetuo Eberspergenſi Sancto deſerviant. “

Duos iam novimus *Vdalricos*, utrumque *Adalberonis* III. Nepotem, hunc quidem ex *Hadmoude*, ſeu *Hedwige*, qui matrimonium nunquam iniit, ſed Abbatiam S. Galli & Patriarchatum aquileienſem obtinuit, alterum ex *Azzica*. V. n. 35.

Num. XXXIII. HADMOUDA II.
Vxor prima *Marquardi III. Ducis Carinth.*

Chronographus quispiam ebersbergenſis recentior apud RADERVM Bav. ſanctæ *Tom. II. p.* 179. neſcit, cui comitum iuncta *Hadmoudis* connubio ex eo conceptum filium in hanc lucis auram enixa eſt *Vdalricum*. “

Digitized by Google

Ignorarunt illam quoque Carinthiæ ſcriptores ad unum omnes, ſolam *Luitpirgen Marquardo* III. uxorem tribuentes. Vt autem ex collectis undique monumentis antehac reconditis nova lux quotidie oritur; ita & ex iſtis Chartis prima *Marquardi* huius coniux *Hadmouda* II. innoteſcit. Iſtius enim *Marquardi* filius certiſſime fuit *Vdalricus* Patriarcha tab. II. n. 11. & 15. Quoniam vero & matrem illius novimus *Hadwigam* ſeu *Hadmodam* II. Semtanam; ſequitur, eam *Marquardo* III. nuptam fuiſſe. Neſciebatur olim *Popponis* Comitis Wimmarienſis uxor, quæ ei peperit *Vdalricum* Marchionem. At modo ſcimus *Azzicam*, *Wezelini* & *Willbirgis* Semtanæ filiam (n. 24.).

Num. XXXIV. AZZICA. Num. XXXV. Vxor POPPONIS *Comitis Wimmarienſis.*

Huius parentes indicavi ſupra n. 24.) Coniugium illius cum *Poppone* comprobatum legitur n. 7. ad tab. V.

Num. XXXVI. ALTMANNVS *Abbas in Ebersberg.*

De genere & dignitate eius abbatiali hæc tradit Chron. brev. ebersberg. *pag.* 13:

„Anno dom. Incarn. DCCCCXC. *Reginpold* Auguſtenſis Abbas adunatis monachis præficitur, cui quidam miles *Eberhardus* ſuum filium *Altmannum* vocabulo monaſtice educandum dedit, quem genuit de *Ruotrude*, quæ fuit *Oudalrici* filia ex concubina. *Reginpoldus* vero cum XI. annis Ebersbergenſi Eccleſiæ præfuiſſet, ab Henrico Rege II. Francorum ad Lorſam abbatiam regendam ſuſtollitur, & *Altmannus* ab eo Monachis

Ebers-

Digitized by Google

Ebersbergenſibus præficitur, aliquantiſper *Oudalrico* renuente propter florem iuventutis; annorum ſcilicet XX. erat, ſed incredibili ingenii aſtutia morumque maturitate pollebat. - Conſentit etiam Chronicon prolixius *pag.* 9. a):

Poſſet ex iſta relatione colligi ætas *Altmanni*, annusque natalis, niſi errorem heic cubare obſervaſſet R. R. D. Abbas Gottwicenſis in notis ad Codicem diplomaticum laurisheimenſem *pag.* 162. *Nota b.*) Edita tegernſeenſ. Oſtendit enim *Popponem*, *Reginbaldi* in Abbatia laurisheimenſi anteceſſorem, ante ann. MXIX. non obiiſſe, adeoque nec *Reginbaldum* illi, nec *Altmannum* huic Ebersbergæ ſuccedere potuiſſe. Accedit, quod anno 1001 Reginbaldi undecimo, Henricus nondum Imperator exſtiterit, nec Laurisheimenſibus Abbatem præficere potuerit, anno ſequente demum electus.

His ita comparatis, cum *Altmannus* 20 annorum adoleſcens anno 1019 abbatiam regendam ſuſceperit; ſequitur, anno 999 natum, & anno 1048 denatum, ætatem ſuam ad annos 49. protraxiſſe.

Num. XXXVII. VDALRICVS ABBAS S. GALLI.

Num. XXXVIII. HERMANNVS EPISCOPVS PATAV.

Vtrumque comprobatum dedi tab. II. num. 15. & 16.

Num. XXXIX. VDALRICVS MARCHIO CARINTH.

Num. XXXX. Vxor SOPHIA, GEYSÆ II. REGIS *Hung. filia.*

De his copioſe agitur ad tabulam V. n. 8. & 9.).

Digitized by

Probationes ad Tabulam II.

Num. I. MARQUARDVS I.

Quod RADERVS *Bavar. ſanctæ Tom. II. pag.* 173. & PESLERVS *in Serie Ducum Carinth.* §. 10. *pag.* 38. recte divinando ſcripſerunt, *Marquardi III.* Carinthiæ Ducis proavum, & *Richardis Vdalrico* ebersbergenſi Comiti nuptæ Parentem, pariter *Marquardi* nomine inſignitum fuiſſe, id iam confidentius adſerere auſim. Opportuno enim tempore & loco anno 970 in Carinthia occurrit *Marquardus* Marchio, utique non alius a noſtro; quod diſcimus ex fragmento Diplomatis *Ottonis* M. Imp. quod ex Archivo ſalisburgenſi transſcripſit Autor *der unpartheyiſchen Abhandlung von dem Staate des hohen Erzſtiftes Salzburg. pag.* 175:

„ Quædam Iuris ſui prædia in comitatu Marchwardi Marchionis in plaga orientali (h. e. Carinthia vetere) dat. Non. Mart. ann. 970. Indict. XIII. actum Papia civitate infra Palatium.“

Vellet forte quispiam *Marquardum* iſtum pro *ſecundo* accipere; cum non repugnet, hoc anno illum vixiſſe.

Equidem largior, id non repugnare. Quia tamen LAZIUS *de migrat. gent. lib. VII. pag.* 404. MEGISERVS *in Annal. Carinthiæ* Eraſmo FROELICHIO celebratis, *lib. VII. cap.* 30. *pag.* 936. SCHOENLEBEN in *Carniolia antiqua & nova P. III. p.* 515. Albertus REICHARDVS *in Breviario hiſtoriæ Carinth. ad ann.* 969 *pag.* 106. affirmant, *Richarden Marquardi* ſecundi ſororem, & *Vdalrici* Ebersberg. coniugem, filiam fuiſſe Senioris *Marquardi*, & credibile eſt LAZIUM atque MEGISERVM antiquas tabulas inſpexiſſe, nobis iam non pervias; ideo probabilius exiſtimo,

Digitized by Google

ſtimo, *Marquardum* ann. 970 pro ſecundi genitore habendum, eumdemque eſſe, qui in complacitatione *Gotaberti* Chorepiſcopi cum Odalberto Archiepiſcopo ſalisb. ann. 927 inter teſtes occurrit. Vide 1. ad tab. IV.

Plura de hoc *Marquardo I.* eiusque, quam haut dubie habuit, uxore hactenus non conſtant.

Num. II. MARQUARDVS II. MARCHIO CARINTHIÆ.

Nobiliſſimum genere fuiſſe, ex teſtimoniis num. 13. ad tab. I. adductis patet, ubi *Marchio* & *Præſes* Carinthiæ audit.

AVENTINVS, qui, quæ de Ebersbergenſibus Comitibus memorat, ex faſtis & diplomatibus accepta, ex fide ſe referre teſtatur, de Marquardo iſta habet *Annal. Boior. lib. V. cap. 7. n.* 34 :

„ Vlricus comes de Ebersberg uxorem duxit Richardam, ſororem Marquardi Carini, cui Hadmudam ſororem viciſſim nuptum dedit. “

LAZIVS *num. præc.* allegatus, dum *Richarden* prædictam Marquardi *Ducis* Carinthiæ filiam adpellat, Marquardum III. Adalperonis filium cum proavo Marquardo I. qui nunquam Dux fuerat, incaute confundit, atque in eundem errorem *Schœnlebenium* n. præc. citatum adducit, ut paria ſcriberet :

„ Eodem anno (969) Carinthia, cuius pars erat adhuc Carniola, illuſtre ornamentum transmiſit in Bavariam beatam *Richardam*, Marquardi Carinthiæ Marchionis, qui poſtea ad Ducatum

Ducatum assumptus, filiam Vdalrico ebersbergensi comiti nuptam. "

Rectius utroque AVENTINVS, qui Marquardum istum absque *Ducis* elogio *Carinum* tantum adpellat.

Iam isti scriptiunculæ finem impoſueram; cum ecce obtineo illustrissimi D. CORONINI Comitis de Cronberg *Tentamen genealogico - chronologicum promovendæ Seriei Comitum & rerum Goritiæ*, iam ab altero anno undique conquisitum, ubi *pag.* 175. Edit. secundæ ex Patris *Bauzeri S. I. Historia Mſpta rerum Noricarum & Foroiulienſium. lib. V. N.* 45. sequentia referuntur:

„ Otto III. Imp. Marquardum *Goritiæ* Comitem, & Aquilejeiensis Vrbis Præsidem novo edito diplomate stabilivit in feudis, & ditionibus imperialibus. " Hæc ad ann. 1000. quæ MARQVARDO congruere videntur.

Hactenus quidem ignorabam, Murzthalenses comites dictos etiam fuisse de *Gorizia*, cuius villæ medietatem possedit VERIENTVS seu WERIGANDVS, Willpirgis Maritus prior (N. 23. ad tab. I.).

Num. III. HADEMVDA SEMTANA MARQVARDI II. VXOR.

Illis, quæ ad tabulam I. n. 15. notata fuerunt, sequentia nunc addere lubet.

Chron. ebersberg. brevius *pag.* 13. a.);

„ Post

„ Poſt hæc (Vdalricus) duxit uxorem Richardem ſororem Marquardi Præſidis de Carinthia, cui ipſe ſuam vocabulo *Hademudem* in coniugium dedit, quæ pro obitu Mariti cuncta ſua prædii (*pro Dei*) nomine derelinquens in Palæſtinæ partibus mortua pluribus ſignis declaratur. “

RADERVS Bavar. ſanctæ *Tom. II. p.* 183 :

„ Hademuda, Vdalrici ſoror, Adalberonis I. filia, nupta fuit Marquardo Carinthiæ Regulo, Marquardi I. filio, qui in primo ætatis flore raptus Hadmudam deſtituit. “

Vnde autem conſtat, tam cito raptum fuiſſe MARQVARDVM II. qui tamen quatuor, quos novimus, filiorum Pater exſtitit? Longævum haut fuiſſe, lubens crediderim, quia præter dicta num. præced. nulla de eo occurrit memoria, & *Adalbero* filius iam ann. 1000. Marchio exſtitit.

Num. IV. RICHARDIS SOROR MARQVARDI II.

Actum de ea fuit *N.* 13. *ad Tab. I.* Quæ mortem illius antecedere, lubet dare verbis Chronici ebersberg. brevioris *pag.* 14 :

„ Cum ſequenti tempore (Vdalricus comes) Intinchove moraretur, coniux eius *Richart* Deo devota quadam die petiit eum, ut ſecum ebersbergenſe caſtrum pro ſibi neceſſaria cauſa viſitaret. Quam cauſam dum ille requireret, dixit ei, actu potius quam verbis illam ſe intimaturam : cuius petitioni cum annuens caſtrum adiret, alia die fortuito accidit, eam ſolam ſedere in Ceta (ſors *cella*) qua pediſſequæ ſolitæ fuerant

fuerant operari. Vbi pulcherrima Virgo niveis induta fulgurofo vultu apparuit ei dicens : O Richari ! Domina cariſſima, quomodo te ſedere ſolam contigit, quod antea nunquam vidimus; hoc tuam diſciplinam, hoc tuam reverentiam non deceret. Ego autem ut tui cuſtos ſim, veni. Quo dicto diſparuit. Quam viſionem uni presbytero duabusque pediſſequis ſibi familiaribus dixit, & quod diſceſſum ſuum portenderet, intimavit. Quæ ſtatim infirmata ac die obiit IX. Kal. Mart. & in eodem caſtro ſepulta eſt ann. dom. incarn. MXIII. "

Num. V. ADALBERO I. MARCHIO ET DVX CARINTH.

Defuncto circa ann. 1000. Marquardo II. parente, eodem anno ſucceſſit *Adalbero I.* haud dubie primogenitus, quoniam eodem anno iam Marchio adpellatur in diplomate Ottonis III. apud Eraſmum FROELICHIUM *Archontolog. Carinth. P. II. pag.* 199:

„ Otto III. -- notum eſſe volumus, qualiter nos interventu Henrici Ducis noſtrique conſanguinei dilecti, & Vdalrici noſtri amabilis Capellani, *Adalberoni Marchioni* centum Manſos donavimus in provincia Karinthia, ac in Marchia comitatuque memorati Marchionis ſitos, ubicunque locorum terris eidem *Adalberoni* placuerit aſſumendos -- An. dom. incarn. milleſimo Indict. XIII. anno tertii Ottonis Regis XVI. imperii IV. acta Quitilenburg.

Anno 1007 occurrit idem in diplomate Henrici Sancti apud MEICHELBECK *H. F. Tom. I. P. I. pag.* 206.

" Quædam

Digitized by Google

„ Quædam iuris noſtri prædia in provincia Carinthia & in comitatu *Alberonis* ſita - - donantes proprietavimus.

Anno 1012. Ducatum Carinthiæ accepit, teſte HERMANNO Contracto ad hunc annum:

„ An. MXII. Conradus Dux Carentani, filius Ottonis Ducis (vid. tab. III.) frater Brunonis dudum Papæ (Gregorii V. ann. 996. electi) obiit, & privato filio eius puero Conrado, *Adalbero* ducatum accepit. "

MVRATORIVS in antiquitatibus Eſtenſibus *tap. XI.* latam Veronæ ann. 1013. ſententiam profert, in qua primas partes agit *Adalperio Dux iſtius Marchiæ* (Veronenſis).

Idem *Antiquit. Ital. med. ævi Tom. I. pag.* 169. exhibet placitum in Agro Tarviſino habitum:

„ Anno MXVII. dum in iudicio reſideret Dominus *Adalbeyro* Dux iſtius Marchiæ Carentanorum - - anno dom. Henrici gracia Dei Imp. Aug. tertio XV. Kal. Febr. Indict. XV. "

Ad ann. 1019. hæc notat HERMANNVS Contractus:

„ Cuonradus, filius Cuonradi quondam Ducis Carentinorum, auxiliante patruele ſuo Conrado, poſtea Imperatore, *Adalberonem* tunc Ducem Carentani apud Vlmam pugna victum fugavit. "

Qualiter anno 1027 controverſia ADALBERONIS Ducis cum POPPONE Patriarcha Aquileienſi compoſita fuerit, dictum eſt ſupra num. 24. ad tabulam I.

Ad eundem annum Adalberonis exauctorationem refert WIPPO in vita Conradi Salici apud PISTORIUM *Scriptor. rer. germ. Tom. III. pag.* 474. *Edit. Struvianæ*:

„Imperator vero descendens per Rhenum in Franciam venit, ibique Dux Chuono patruelis eius, prius rebellis, se reddidit. Quem Imperator in liberis custodiis aliquantulum castigavit, destructisque munitionibus suis, quas optimas habuit, in gratiam illum recepit, totumque honorem suum sibi restituit. Paullo post (an. 1035,) ADALPERO Dux Histrianorum sive Carintanorum, reus Maiestatis, victus ab Imperatore cum filiis suis exulatus est, & ducatum eius iste Chuono ab Imperatore suscepit, quem ducatum pater eiusdem Chuononis dudum habuisse perhibetur. "

At vero istud anno demum 1035 accidisse narrat Hermannus Contractus:

„An. MXXXV. *Adalbero* Dux Carentani & Histriæ amissa Imperatoris gratia, ducatu quoque privatus est. " Et

„An. MXXXVI. Conradus patruelis Imperatoris, patris sui ducatum in Carentano & in Histria, quem *Adalbero* habuerat, ab Imperatore suscepit. "

Causſam exauctorationis insinuat Annalista Saxo ad an. 1036:

„Imperator purificationem sanctæ Mariæ Augustæ peregit, ubi & publicum conventum habuit, in quo Conrado patrueli suo ducatum Carentinorum commisit, a quo superiori anno *Adalberonem* Maiestatis reum dimoverat. Hisdem diebus *Adalbero* Wilhelmum Comitem interfecit, & postea in castrum

Digitized by Google

caſtrum Eresberch (*Ebersberch*) latendi cauſa confugit.“ Hæc fere repetit Annaliſta Hildesheimenſis ad eundem an. apud LEIBNITIUM *Scriptor. rerum brunſuicenſ. Tom. I. pag.* 728:

Igitur ad conſanguineos ſuos confugit, matre *Hademuda* Semtana natus, ubi & an. 1039 obiit, teſte HERMANNO Contracto:

„An. MXXXVIIII. Chunradus Dux Carentani & *Adalbero* æmulus eius, qui ante eum ducatum eundem habuerat ipſo anno obiit. “

Geiſenfeldæ ſepultum fuiſſe teſtatur Codex traditionum eiusdem cœnobii, ubi inter alia legitur:

„Noverint fideles Eccleſiæ filii, quod nobiliſſimi Ducis *Adalberonis* filii, *Marchwart* & *Adalbero*, interiectu temporis Babenbergenſis Eccleſiæ factus Epiſcopus, ad altare ſancte Marie, ſanctique Zenonis in loco Geiſenvelt conſtructo tradiderunt predium Bernchoven dictum cum ſilvis & pratis & vineis IIII. cum omnibus ad hec pertinentibus, pro anima patris ſui præfati Ducis ADALBERONIS *in eodem monaſterio ſepulti*, in manus HEBERHARDI comitis, eiusdem Geiſenveldenſis Eccleſie conſtructoris. Adhibiti vero ſunt teſtes *Eberhardus* & *Ernſtus fratres eiusdem Ducis.* “

Num. VI. BRIGIDA ADALBERONIS VXOR.

Hermanni II. Alemanniæ Ducis filiam, & Adalberoni nuptam fuiſſe, cui *Brigidæ* nomen Erasmus FROELICHIUS impoſuit, ad tab. VI. comprobatur.

Digitized by Google

Num. VII. OTOKAR ADALBERONIS I. FRATER.

Iſte mihi ex diplomate Fundationis geiſenfeldenſis *n.* 20. *ad tab. I.* & quadam traditione geiſenfeldenſi anecdota notus eſt, quam heic ſubiungo:

„ Quidam nobilis *Waſigrim* pro prebenda filie ſue dedit ad altare ſancte Marie predium quod dicitur *Oudoltisdorf* cum mançipiis tribus & ſilva & paſcuis, eo iure quo ipſe poſſidebat. Huius rei teſtes ſunt *Adalbero Marchio* & *frater eius Otokar.* “

Nolim tamen *Otokarum* iſtum confundi cum alio *Otachyr*, itidem *Marchione* & fratre *Adalperonis*, cuius genealogiam ex fragmento quodam produxit HANSIZIUS *Germ. ſacræ Tom. II. pag.* 211. *n.* 19.

„ Otacher Marchio Styrienſis, filius Otachyr Marchionis genuit Ozy Marchionem, qui temporibus Imperatorum Henrici IV. & V. inclitus fuit, & ſalzburgenſibus Archiepiſcopis, Gebhardo, Tymoni, nec non & Conrado iam ſenex viriliter aſſiſtens eos in perſecutionibus fovebat, qui etiam *cum Germano ſuo Adylberone* gweram habuit, donec idem *Albero* a miniſterialibus ſuis occiſus eſt iuxta Iulben. “

Noſter enim non Otocharum, ſed Marquardum patrem ſalutabat, & huius Styrenſis ætatem vix attigit, quippe Conrado I. Salisburg. ſynchroni. Adhæc *Adalbero* noſter dies ſuos non in clade quapiam cruenta, ſed in pace Geiſenfeldæ finivit: neque Styrenſibus Otocharis Monaſterii Garſtenſis in Auſtria fundatoribus quidpiam rei cum Ebersbergenſibus, aut Murzthalenſibus fuit.

Num.

Digitized by Google

Num. VIII. & IX. EBERHARDUS, ERNESTUS FRATRES.

Iſtos quoque unice novi ex traditione geiſenfeldenſi num. 5. ad hanc tab. adducta, ubi teſtes ſubſcribunt *Eberhardus* & *Erneſtus fratres eiusdem Ducis* (Adalberonis).

Num. X. MARQUARDUS III. CARINTHIÆ DUX.

Duos ut minimum *Adalberoni I.* fuiſſe filios, dubitare non ſinit Codex tradit. geiſenfeldenſ., ubi præter illam num. 5. allegatam, hæc quoque habetur:

„ Quidam illuſtris proſapie clericus *Adalbero* nomine, & *Germanus eius Marchwart*, Ducis *Adalberonis* filii dederunt ad altare S. Marie in manus *Gerbirge* abbatiſſe & advocati eius *Erchangeri* ſilvam, quam habuerunt in loco *Mospach.* “

Crediderim hanc ſilvam ſitam fuiſſe in Carinthia; ſecus hanc traditionem ordinarius Abbatiſſæ Advocatus, in Bavaria notus, ſuſcepiſſet.

Luitoldum, quem an. 1045 defunctum *Annaliſta* Saxo ad eundem an. *Adalberoni* Murzthalenſi filium tribuit, diverſum ab iſto, & ab *Adalberto* Auſtriæ Marchione prognatum fuiſſe, ad liquidum deduxit Sigismundus CALLES *Annal. Auſtriæ P. I. p.* 336. *ſeq.* ut adeo huc minime pertineat.

Marquardum autem noſtrum ſaltem ab obitu parentis anno 1039 in Marchia carentana ſucceſſiſſe, vel inde probabile redditur, quod intra hoc tempus usque ad collatum eidem ducatum alius Marchio non occurrat.

Eraſ-

Digitized by Google

Eraſmus FROELICHIUS in *Archontologia Carinthiæ P. I. p.* 27. provocat ad Apographum Tabularii San-Lambertini cœnobii intra annos 1060 & 1073 exaratum, in quo *Marquardus Adalberonis filius*, ſine *Ducis* titulo, *& Vxor eius Liutpirch* decimas & alia *in manus* Gebhardi Archiepiſcopi ſalisburg. tradunt.

Ad an. 1060 refertur fundatio Monaſterii *Roſacenſis*, quam Autores in ſupra n. 2. citato tentamine Comitis CORONINI Murzthalenſibus Comitibus, *Marquardo*, & filio *Vdalrico*, de *Goritia* dictis, adtribuunt. *pag.* 49. *ſeq.* & 179.

Porro ad an. 1070 apud eundem Comitem ex Repertorio auſtriaco *Parte II. p.* 88. memorantur duæ tabulæ, quibus iſthoc anno Domini ac Dominæ *Goritienſes* (h. e.) Murzthalenſes Comites Monaſterio roſacenſi varia prædia donant, *pag.* 179.

Porro *Marquardum* noſtrum iam anno 1073 ducatum Carinthiæ adminiſtraſſe, aut ab Imperatore collatum, vel, ut hic ſimulabat, propria vi arreptum, ſcimus ex LAMBERTO Schafnaburgenſi ad eundem annum apud PISTORIUM *Struvii p.* 358:

„Caſu quoque nuper advenerat, neſcio quid privatæ cauſæ acturus in palatio, *Bertholdus Dux quondam Carentinorum.* Huic Rex quam ſanctis obteſtationibus ſe purgabat, quod ducatum eius nulli alii tradidiſſet, ſed *Marcwardus* privata præſumtione fines alienos invaſiſſet, nec ei quicquam de iure ſuo imminutum eſſe, ſi ſuo iniuſſu, ſine conſultu Principum honores publicos homo ineptiſſimus temeraſſet. Ille licet hæc ficta eſſe ſciret &c. "

Advo-

Digitized by Google

Advocatiam quoque Eccleſiæ aquileienſis, ducatui tunc innexam, Marquardum geſſiſſe, conſtat ex conventione inter Ellenhardum Epiſc. friſingenſem & Sigehardum Patriarcham aquileienſem apud MEICHELBECK H. F. *Tom. I. P. II. pag.* 521. *n.* 1248:

„Notum ſit, qnaliter Ellenhardus Epiſcopus recognovit omnem decimam de univerſis bonis, quæ eccleſia ſua tunc temporis habuit in comitatu *Carniolæ*, aquileienſi eccleſiæ per manum Advocati ſui Ekkihardi ad altare S. Mariæ in manum *Sigehardi* Patriarchæ ſuique Advocati *Marquardi* - - actum in civitate Aquilegia XVII. Kal. Iul. an. dom. Incarn. MVII. IIII. indict. XI, " Vbi Editor legendum autumat MLXXIIII.

Anno 1077 noſtrum fuiſſe ſuperſtitem, eodem tamen anno poſt menſem Maium deceſſiſſe, inde colligitur, quod filius *Liutoldus* eodem anno iam *Dux* nominetur a BURCHARDO de caſibus S. Galli apud GOLDASTUM Senkenbergii Scriptor *rer. aleman. p.* 70:

„Rex vero *Henricus*, mox ut Ducem *Rudolf de Rinfelden* ſuum regnum ſibi uſurpaſſe audivit, Paſca Veronæ moratus per Carintiam, *domino Marquardo & filio ſuo Liutoldo Duce* ducatum præbentibus ad theutonicas partes rediit, Rudolfum Regem in caſtro Sigmaringen obſeſſum turpiter fugavit. Eodem anno quemdam iuvenem ſibi *cognatum* domini *Marquardi* Carnotenſis filium (*Vdalricum*) in Abbatem hic promovit. "

Cognationis iſtius ratio ex tabula VI. eluceſcit.

Eundem

Digitized by Google

Eundem etiam annum emortualem aſſignat MEGISERUS *lib. VII. cap. 32. pag. 741.*

Num. XI. HADMOUDIS II. EBERSBERGENSIS, *Marquardi III. coniux prima.*

Quoniam certo conſtat, Hademouden iſtam matrem exſtitiſſe Vdalrici Abbatis primum S. Galli, dehinc Patriarchæ aquileienſis, ex Marquardo III. geniti (num. præced.) hinc recte mihi concluſiſſe videor, illam in huius thorum tranſiiſſe. *N. 32. & 33. ad Tab. I.*

Apud citatum CORONINUM Monaſterii roſacenſis fundator nunc audit *Marquardus III.* Comes in Muerzthal & Goritiæ *pag.* 179. nunc eiusdem filius *Vdalricus* Patriarcha aquileienſis *pag.* 49 Demum eadem fundatio a nonnullis adtribuitur *Diomundæ* Comitiſſæ *Goritiæ pag.* 179. cuius cineres in conditorium marmoreum ab Abbate IV. *Gaudentio* conſtructum an. 1120 translatos fuiſſe, idem teſtatur Comes CORONINUS *pag.* 183. eamque huius monaſterii *fautricem* adpellat. Hanc ego *Diomundam*, diverſam non arbitror a noſtra *Hadmuda*, *Vdalrici* Patriarchæ aquileienſis matre indubia & *Marquardi III.* uxore; quum utrumque nomen parum inter ſe differat, & alia matrona, his temporum, locorum, & perſonarum circumſtantiis magis adcommoda, vix explorari valeat.

Num. XII. LIUTPIRGIS MARQUARDI III. *uxor ſecunda.*

Hanc nobis indubiam reddit eius *filius Henricus* Carinthiæ Dux in Charta donationis monaſterio S. Lamberti factæ, quam

poſt

poſt Bernardum PEZIVM in codice diplomatico epiſtolari *P. I. col.* 283. ſiſtit Eraſmus FROELICH *Diplomatar. ſacra Styriæ P. II. pag.* 271.

„ Omnibus innoteſcat, quod Carinthiæ Dux *Henricus* pro animæ ſuæ remedio & dilectæ coniugis ſuæ *Liutkardæ*, & pro anima Patris ſui & Matris ſuæ *Marchwardi* & *Liutpirgæ* fratrumque ſuorum - tradidit. . . Scripta eſt notitia ann. incarn. dom. milleſimo CIII. Indict. X. VII. Idus Ian. "

Hæc eadem traditio Moguntiæ anno 1104. ab Henrico IV. Imperatore confirmata fuit loc. cit. pag. 274:

„ Prædictam igitur Abbatiam Pater meus *Marquardus* pro remedio animæ ſuæ, nec non & dilectæ coniugis matris meæ videlicet *Liutpurgæ*. "

Illuſtriſſimam Matronæ huius proſapiam indicat LAZIVS *de Migrat. gent. lib. VI. pag.* 200. filiam *Henrici* IV. Imperatoris, & quinti ſororem, ex *Bertha Othonis* Italiæ Marchionis filia natam aſſerens, cui etiam ſuffragatur PFEFFINGERVS in VITRIARIO illuſtrato *Tom. I. p.* 532. provocans ad MATHLÆ *Theatrum hiſtoricum pag.* 902. Porro autores iſtos nihil ex ingenio finxiſſe, inde mihi veroſimillimum redditur, quod *Henricus* quintus Imperator *Henricum* Carinthiæ Ducem, *Marquardo* III. ex *Luitpirga* genitum, dilectiſſimum *ſuum Nepotem* adpellet, quippe ſororis ſuæ filium. (Vide intra N. 18.) & tab. VI.

Num. XIII. ADALBERO II.

Epiſcopus Babenbergenſis, Marquardi III. germanus.

In Traditionibus geiſenfeldenſibus ſupra n. 5. ad fin. & n. 10. ad hanc tabulam allegatis, *Adalbero* iſte, *illuſtris proſapiæ Clericus*, & germanus eius *Marchwart Ducis Adalberonis filii* nuncupantur, & *idem Adalpero interiectu temporis babenbergenſis eccleſiæ factus Epiſcopus* memoratur, ad quam cathedram anno 1054 ab *Henrico III.* Imperatore promotus fuit, ut teſtatur HERMANNVS Contractus.

„ Anno 1054 Imperator Bambergenſis Eccleſiæ præſulatum *conſobrino* ſuo Adalberoni donavit. “ Apud PISTORIVM *Tom. I.* BERTHOLDVS quoque Conſtantienſis ad eundem annum apud VRSTISIVM *Tom. I. pag.* 340:

„Imperator Adalberonem *conſobrinum* ſuum in villa Ottingen, ubi nativitatem Domini egit, Bambergenſi Eccleſiæ præfecit. “

LAMBERTVS item Schafnaburg. ad eundem annum:

„ Hezecken (Hezelinus) Babenbergenſis Epiſcopus obiit, cui Adalbero ſucceſſit. “

Tribus annis illum ſedi iſti præfuiſſe, & ann. 1057 obiiſſe teſtatur Annaliſta Hildeſimenſis apud LEIBNITIVM *rerum brunſuic. ſcript. Tom. I. pag.* 731:

„ Item obierunt Adalbero Babenbergenſis Epiſcopus & Otto Dux Suinfurti. “

Diem

Diem notat Necrologium Hildesimense apud eundem LEIBNITIVM loc. cit. pag. 763:

„ XVI. Kal. Martii Albero IV. Babenbergensis Episcopus. “ Cui consonat Necrologium metropolitani capituli salisburgensis *anecdotum.*

Facile est ex his geminum errorem corrigere, quem erravit autor nescio quis Catalogi Episcoporum bambergensium sub titulo: *Gloria imperialis Ecclesiæ Bambergensis* cum iconismis in folio editi, ubi Episcopum quartum adpellat *Albertum I. comitem de Bogen*, scutum gentilitium Rhombis cæruleo-albis depictum, quo hodie utitur monasterium Windbergense, ab *Alberto I.* comite de Bogen fundatum, eidem affingit, eumque anno 1060 decessisse asserit.

Constat enimvero ex *Codice probationum diplomatico* Archivi bambergensis anno 1774 cum auctoritate vulgato Num. 25. *Guntherum Adalberonis*, non Bogensis, sed Murzthalensis comitis, successorem iam anno 1058. sedi illi præfuisse.

In eundem errorem quoad annum obitus 1060 incidit autor opusculorum sub titulo *Histoire ecclesiastique d' Allemagne Tom. I. pag.* 197. ubi ait:

„ IV. Adalberon Duc de Carinthie, Neveu de l' Empereur Conrad II. mourut l' ann. 1060. “

Nepos Imperatoris dici omnino potuit, quia natus ex *Brigida*, sorore *Giselæ*, uxore *Conradi* Salici & matre *Henrici* III. Imp., ut patet ex tabula VI n. 5. & 7.

Digitized by Google

Num. XIV. RICHWARA, seu RICHARDIS, *Adalberonis I. Filia.*

PISTORIVS *Tom. III. Scriptor. Germ. p. m.* 742. in tabula genealogica comitum Zaringensium Bertholdo I. Vxorem tribuit *Richwaram* Carinthiacam, cui etiam apud PFEFFINGERVM *Tom. II. pag.* 333. (43.) genealogi plures adstipulantur, dicentes, eam fuisse filiam *Adalberonis* Carinthiæ Ducis, in eo solum decepti, quod istam *Richwaram* seu *Richardam*, matrem huius *Bertholdi* faciant, cuius uxor fuerat; nisi forte *Bertholdum II.* filium cum genitore *Bertholdo* confuderint. Huius enim Vxorem *Richwaram* extra dubium ponit notitia donationis insignis monasterii S. Petri ex silva nigra factæ a *Bertholdo* & *Conrado*, *Bertholdi II.* Ducis Zaringæ filiis, *Bertholdi I.* Nepotibus apud SCHOEPFLINVM *in Historia Zaringo-Badensi Tom. V. Cod. diplomat. N. XXII. pag.* 43.

„ Omnibus - - notum esse cupimus, qualiter Dominus *Bertholdus* & frater eius *Conradus*, filii bone memorie *Bertholdi* Ducis cœnobii huius fundatoris. —

Præterea in omnibus allodiis in Burgundia seu Brisgaugia, aut in Nekergaugia, vel ubicunque locorum sitis, que Parentes sui, gloriosus scilicet Dux *Bertholdus II.* cum uxore sua domina *Agnete*, illorumque Patre, id est Katholicæ virtutis sectator eximius *Rudolfus* Rex & honorabilis Dux *Bertholdus I.* cum Thori sui consorte domina *Richwara* tradiderunt Ecclesie - - Ann. MCXII. VI. Kal. Ianuar. Indict. V. Feria IV. "

Etsi vero idem SCHOEPFLINVS *Tom. I. §.* XIV. *pag.* 58. istam *Richwaram* ut primam *Bertholdi* uxorem recognoscat, nihilominus

minus PISTORIVM ſugillat, quod eam ſine idoneo teſte Carinthiæ marchioniſſam adpellet.

At vero mitius de eodem iudicium fert celeberrimus SCHEIDIVS in præfat. *ad Tom. II. Origin. Dom. Guelf. pag.* 23. quod propriis eiusdem verbis heic transſcribere non piget:

„Iam vero Iacobus *Manlius*, vir in hiſtoria patria non infimi nominis, qui Chronicon Epiſcopatus Conſtantienſis conſarcinavit, a Piſtorio loc. cit. editum, conſervavit nobis tabulam genealogicam Maiorum S. Conradi Epiſcopi. . . . Multas procul dubio chartas, multaque alia monumenta *Manlius* ſcriptor ſub Maximiliano I. celebris vidit hodie vel deperdita plane, vel ſi exſtant, ſive ob ignorantiam, ſive ob invidiam poſſeſſorum tineis & blatis potius, quam uſui publico conceſſa. Quodſi igitur de reliquis Epiſcoporum familiis in *Manlii* opere obviis credimus, conſcriptas eas eſſe ex monumentis, ut haberi ex litteris potuerunt non prorſus contemnendis; cur ſolam Conradinam Genealogiam - - pro fictitia & erronea habeamus?“

Quum igitur *Richwaræ* nomen *Manlio* perſpectum fuerit, cur originis quoque eiusdem notitiam ei adfuiſſe dubitemus?

Altera *Bertholdi* I. Zaringenſis uxor *Mathildis* huc non pertinet.

Num. XV. VDALRICVS, MARQVARDI III. FILIVS.

Nolim heic repetere, quæ de iſto VDALRICO *Hadamoudæ* Ebersbergenſis filio N. 32. & 33. ad Tabulam I. adnotavi. Neque etiam certo definire auſim, ad iſtum, an ad alterum *Vdalricum*, Carinthiæ Marchionem, utrumque *Adalberonis* ex *Willbir-*

Willbirga ſorore nepotem, referenda ſit Traditio in Codice ebersbergenſi Oefelii *pag.* 27. *N.* 62.

„ Oudalricus *Comes* (alter ſemper adpellatur *Marchio*) Nepos *Adalberonis* ſancto Sebaſtiano dedit dimidium Manſum in *Vcingin* ſitum & oppidum quoddam cum adiacenti ſilvula pro Miſſalibus rebus noſtræ Baſilicæ, quas perdiderunt ſervi eiusdem *Oudalrici.* Iſtam donationem fecit per manus Ezzonis de Ietinſtetin. “

Opinor tamen, *res Miſſales* Baſilicæ ebersbergenſis propius ſpectare iſtum *Vdalricum*, iam tunc ad ſtatum monaſtico-clericalem adſpirantem.

Certiora de eo diſcimus ex BVRCHARDO de Caſibus monaſterii S. Galli apud GOLDASTVM *cit. pag.* 71:

„ Eodem anno (1076 vel 1077) quemdam Iuvenem ſui cognatum, Domini *Marquardi* Carnotenſis filium in abbatem hic promovit (Henricus IV. Imperator). Ille, *Vdalricus* nomine, tandem poſt aliquot annorum curricula etiam Aquileienſis Patriarcha efficitur. “

IDEM *pag.* 73. Inter hæc ex inſperato Abbas noſter *Vodalricus* laborum ſuorum alleviationem cæpit accipere. Nam Patriarcha Aquileienſis, genere Sclavus a ſuis aliisque profanis occiſus eſt, cui *Vodalricus* Abbas huius loci ſucceſſit. Factum eſt autem hoc anno MLXXXVI. transacto decimo Abbatiæ ſuæ anno.

Propinquitatem illius cum Henrico IV. Imperatore prodit ipſius diploma datum Papiæ IV. Id. Maii apud VGHELLVM.

Italiæ

Italiæ ſacræ *Tom. V. col.* 59. & apud LVRIG in Codice Italiæ diplomatico *Tom. V. col.* 1534.

„ Nunc igitur recognoſcimus iuſtitiam . . . pro dilectione & fideli ſervitio *Vdalrici* patriarchæ fidelis noſtri & dilectiſſimi *conſanguinei.* " Ipſum vero cognationis gradum exhibet *Tabula VI.*

In utroque Abbatis, & Patriarchæ munere multa tulit, fecitque, uti legere eſt apud eundem *Eckardum*, & Bernardum DE RVBEIS in Monumentis aquileienſ. *cap.* 59.

De obitu eius prior hunc in modum proſequitur *pag.* 74:

„ Cum autem hanc Eccleſiam (*S. Galli*) & illam (*Aquileienſem*) per XLVI. annos & tres menſes rexiſſet, plenus dierum viam univerſæ carnis & ipſe ingreditur. "

Qui anni totius regiminis ſi adduntur ad annum 1076 quo abbatiam adiit, conſequitur, eum anno 1122 aut certe 1121 finiente defunctum fuiſſe.

Menſe enim Maio XII. Kal. Iunii anni 1122 patriarchalem ſedem iam tenuiſſe *Gerardum* Vdalrici immediatum ſucceſſorem, demonſtrat Bern. *de* RVBEIS *loc. cit. pag.* 557. *ſeq.* ex copia inſtrumenti authentici in archivo Capituli foroiulienſis aſſervati :

„ Quapropter nos Gerardus Patriarcha D. g. Aquileienſis - - Actum eſt in eadem Eccleſia ann. Dom. incarn. MCXXII. Indict. XV. duodecimo Kal. Iun. regnante Henrico V. Auguſto Imp. feliciter. "

Toti-

Totidem Regiminis annos, videlicet 46. cum menſibus tribus Vdalrico pariter aſſignant CONRADVS de *Faburia* in Catalogo Abbatum S. Galli apud eundem GOLDASTVM *Tom. I. pag.* 91:

„ Vdalricus Patriarcha ann. XLVI. & menſi III. " Et Ioachimus VADIANVS in chronologia abbatum S. Galli *loc. cit. pag.* 93:

„MLXXVI. Vlricus III. Patriarcha aquilegienſis anno XLVI. & menſ. III. III. Non. April. Alii ſcribunt Idibus Decembris. "

Ephemerides monaſterii S. Galli *loc. cit. pag.* 100:

„Idus Decemb. Wolrici Patriarchæ. "

Inde recte infert laudatus *Bern. de* RVBEIS, illum aut III. Non. April anno 1122 aut Idibus Decembris anno 1121 obiiſſe.

Num. XVI. HERMANNVS, *Epiſcopus Patavienſis.*

Iungo Patriarchæ Epiſcopum, fratri fratrem, etſi neſciam, germanus fuerit, an conſanguineus, certe tamen *Marquardi III.* filius, ex alterutra coniuge natus. De hoc ſequentia tradit Autor vitæ B. *Altmanni* Ep. Patav. apud Hieronymum PEZIVM *Scriptor Auſtr. Tom. I. col.* 122. *n.* 15.

„O facinus! Eccleſiæ electi Paſtores de ſedibus ſuis perturbantur, Lupi rapaces ſubrogantur, quorum factione Præſul Altmannus ſede ſua privatur, *Hermannus frater Ducis Liutoldi* pontificali Infula ſublimatur. . . . Hermannus autem vixit per bien-

biennium & ſic iudicio Dei vitam cum Infula amiſit, qui tamen dicitur in extremis pœnituiſſe, & induvias ſuas Altmano Epiſcopo pro abſolutione anathematis miſiſſe. "

Biographus alter *loc. cit. col.* 148. *n.* 10:

„ Horum (Schiſmaticorum) etiam factione Præſul Altmannus a grege ſuo fugatur, & *Hermannus* quidam *frater Ducis Liutoldi* ſubſtituitur. . . Vix biennio oves alienas totondit & mulſit, & Paſtoris nomen, quod falſo gerebat, cum vita finivit. Dicitur tamen in extremis pœnituiſſe, & epiſcopalia quæque Altmanno reddidiſſe, & abſolutionem anathematis ab eo ſuppliciter requiſiſſe. "

In Catalogis Epiſcoporum Patavienſium ab eodem PEZIO vulgatis nomen iſtius Hermanni deſideratur. Solus ille apud Raymundum DVELLIVM *Miſcell. lib. II. pag.* 301. eius meminit in hæc verba:

„ Hermannus Dux Carionum autore Henrico IV. exule Altmanno, invaſit ſedem Patavienſem, & intra biennium divina vindicta vitam cum mitra amiſit. Fertur in exttemis pœnitentia ductum impii facti veniam ab Altmanno demum petiiſſe atque impetraſſe. Obiit anno 1000. "

At vero obitus eius rectius refertur ad ann. 1087. quem etiam notat BERTHOLDVS Conſtant. in appendice ad HERMANNVM Contractum VRSTISII *Tom. I. pag* 360:

„ Ann. MLXXXVII. quidam Schismaticus, qui patavienſem Epiſcopatum vivente adhuc legitimo Paſtore iam dudum (*hoc eſt ante biennium*) invaſit de hac vita diſcedens. . . "

Igitur anno 1085 eundem occupavit. In hanc Chronotaxin consentit quoque HANSIZIVS *Germ. sacræ Tom. I. pag.* 275. *seq. num.* 32. *&* 34.

Num. XVII. LIVTOLDVS CARINTHIÆ DVX.

Istum quoque Marquardi III. fuisse filium, ex ECKEHARDO supra *n.* 10. ad hanc tabulam in fine allegato, idque præterea constat, iam anno 1077 Ducis titulo fuisse ornatum, Patre adhuc vivente, tanquam proxime eidem, anno hoc demortuo, successurum. Et re ipsa hoc anno solus Liutoldus, absque Patris mentione, *Dux* occurrit in diplomate, quo Henricus IV. Imperator Patriarchæ aquileiensi confert comitatum Foroiulii. *Vide N.* 8. *ad tabulam IV.*

Item in alio eiusdem diplomate de eodem anno apud *Bern.* de RVBEIS sæpe allegatum *pag.* 534. ubi Marchia Carniolæ Sigehardo Patriarchæ traditur:

„ Subveniente dilecta Bertha nostra Regina, nec non aliis nostris fidelibus ad hoc nitentibus. . . Episcopis . . Ducibus quoque Writzlao Boemiæ & *Liutolfo Carentiæ.* “

Eandem donationem etiam refert *Anonymus Leobienfis* ad ann. MLXX. apud Hieron. PEZIVM *Scriptor Austr. Tom. I. col.* 772.

„ Rex vero interveniente etiam Regina Marchiam Carnioliæ præsente Duce *Ludolfo* Karinthiæ obtulit Sighardo Patriarchæ & Ecclesiæ Aquileiensi. “

Hade-

Digitized by Google

Hademudam, aut *Liutpirgam* Matrem ſalutaverit, veterum nemo, quod ſciam, prodidit, uti neque nomen, neque genus uxoris, quam tamen habuiſſe, aliamque ſuperinduxiſſe, teſtatur BERTHOLDVS Conſtant. ad ann. 1090:

„ Ex parte autem excommunicatorum *Lutoldus* Dux Carinthiorum inopinata morte præripitur, cum nuperrime contra ius & fas repudiata propria Vxore aliam ſuperinduxerit, *Gerberto* quidem Hæreſiarcha (Antipapa) hoc ei concedente. "

Conſentiunt in anno mortis *Annaliſta Saxo Eccardinus*, *& Hildeſienſis Leibnitianus.*

Num. XVIII. HENRICVS,
Marchio Iſtriæ & Dux Carinthiæ.

Marquardi III. ex *Liutpirga* filius (*N.* 12.) *Vdalrici* & *Hermanni* frater, ut mox patebit, vivente tertio fratre *Liutoldo* (*num. præc.*) Marchiam Iſtriæ adminiſtravit, teſte BVRCHARDO de *Caſibus monaſterii S. Galli loc. cit. pag.* 73.

Ob hoc etiam in eundem Abbatem Vdalricum (*S. Galli*) Marchio (*Bertholdus de Zaringen*) maxima invidia exarſit, quia ſuus frater *Luitoldus* aliqua ſui iuris, ut ſibi viſum eſt, ſcilicet ducatum Carinthiæ conceſſione regia obtinuit, & alter eius frater (*Henricus*) Marchiam Hiſtriam ſub eadem conceſſione poſſedit. "

Fratri ſuo *Liutoldo* anno 1090 in Ducatu Carentano eum ſucceſſiſſe, probat Eraſmus FROELICHIUS *Archontol. Carinth. P. I. p.* 32. ex diplomate *Henrici IV.* Imperatoris dato Veronæ ann.

Digitized by Google

1096, ubi multa privilegia conferuntur Abbatiæ S. Lamberti, quam *Henricus Dux Carinthiæ* a Patre ſuo *Marquardo* cœptam conſummavit, & præſente Imperatore in tutelam Romani Principis Petro Apoſtolorum Principi tradidit.

Idem FROELICHIVS in *Diplomatar. ſacr.* Styriæ *P. II. pag.* 274. ex tabulario S. Lamberti aliam chartam exhibet huius tenoris;

„Ego HeinricusDux divina cooperante gratia Carinthiæ Dux per præſentia ſcripta ad communem ſucceſſorum memoriam transmittere curavi, qualiter abbatiam S. Lamberti, quæ ſita eſt inEpiſcopatu ſalisburgenſi in comitatu friſacenſi ultra aquam theodoſiam éx paterna hæreditate præditam ordinavi. Prædictam igitur Abbatiam *Pater meus Marquardus* pro remedio animæ ſuæ, nec non & dilectæ coniugis *Matris meæ Liutpirgæ* - ædificare cæpit. - Ego *Henricus Dux filius eius* - - confirmata eſt hæc traditio apud Magunciam in univerſali curia, præſentia, nutu, & auctoritate Henrici Imperatoris quarti Auguſti - - actum Maguntiæ in Chriſto feliciter. Scriptum XVI. Kal. Febr. Ind. VII. ann. incarn. Dom. MCIIII. " Vbi tamen FROELICHIVS legendum arbitratur MCXIV.

Idem *Henricus* V. inter Imperatores hoc nomine *quartus* Privilegia confirmat eiusdem Abbatiæ, idque, ut ait, petitione *Henricis Ducis Karinthiæ dilectiſſimi Nepotis noſtri*, videlicet filii ex ſorore ſua *Liutpirga*. (*Vid. N. 12. ad hanc tabulam*) data XVI. Kal. Febr. Indict. VII. ann. Dom. Incarn. MCXIV. regnante Henrico IV. Rege Romanorum anno VII. imperante II. actum eſt Moguntiæ in Chriſto feliciter Amen. "

Integ-

Digitized by Google

Integrum diplomatis huius apographum anecdotum, cum Autographo collatum, ex archivo celeberrimi huius monaſterii benevole mihi communicatum ad calcem ſubiicere placuit.

Advocatiam Eccleſiæ aquileienſis, quam geſſerat, ante mortem ſponte dimiſit, eiusque rei monumentum lapidi inciſum Aquileiæ adhuc exſtare, teſtatur Bern. de RVBEIS *loc. cit. pag.* 556:

„ Notum ſit omnibus fidelibus Chriſti qualiter ego *Henricus* Dux totum Placitum advocatiæ Canoniæ huius Eccleſiæ pro mea anima, & *Luicardæ Vxoris meæ* ſanctæ Mariæ & fratribus his coram clericis & laicis collaudante & confirmante Domino *Vodalrico* Patriarcha *fratre meo* dederim, videlicet eo tenore, ut ſemper in feſtivitate omnium Sanctorum optimum ſervitium Canonicis hic in vita mea a Præpoſito eorum fideliter adminiſtretur & C. pauperes paſcantur: poſt mortem vero meam in meo Anniverſario totum iſtud prædictum adimpleatur. "

Henrici Ducis obitum ad ann. 1127 conſignat LAZIVS *de migrat. gent. Lib. VI. pag.* 210:

„ Liber vetus Annalium, ubi ita ſcribitur: Henricus conſobrinus Henrici IV. Cæſaris Marchio Carinthiæ obiit anno 1127."

Circa annum 1129 illum fuiſſe defunctum ſcribit Bern. de RVBEIS *pag.* 556. & quidem quarta Decemb. ex Necrologio aquileienſi:

Digitized by Google

„ II. Nonas Decembris Henricus Dux & Advocatus obiit, qui placitum Advocatiæ fratribus dedit. Notum fit. . . “

At quomodo *Conſobrinus Henrici IV.* niſi quod horum Aviæ *Giſela* & *Brigida*, ſorores fuerint? Vide *Tab. VI.*

Num. XIX. LIVTKARDIS, *prima Henrici Vxor.*

LAZIVS num. præc. citatus de Henrici Ducis coniugibus ſcribit:

„ Fertur tres ordine duxiſſe Vxores, *Liutgarden*, *Beatricem*, *& Sophiam.* “

Quoniam igitur prima & tertia certiſſimæ ſunt; etiam de ſecunda dubitare nolim.

Primam *Luitkarden*, Dux ipſe prodit in charta donationis Lambertinæ (ſupra N. 12.) & in ceſſione Advocatiæ (N. 18. ad hanc tab.). Verum qua Patria? Vnde Domo?

In Monumentis boicis *Vol. XII.* inter Oberaltacenſia *pag.* 25. legitur Traditio incerti anni, ſed ante medium ſæculi XII. ponenda, ubi *Ductrix Luitgart ſoror Alberti* comitis (de Bogen) tradit ad Altare S. Petri quamdam mulierem.

Suſpicatur Editor, hanc *Luitgarden* alibi incognitam, quæ in gemino Codice membraneo eiusdem Monaſterii *Ductrix* & *ſoror Alberti I.* adpellatur, *Henrico* noſtro Carinthiæ Duci nuptam fuiſſe.

Nolim

Digitized by Google

Nolim refragari, quoniam ætas utriusque coniugum, titulus *Ductricis*, ipſumque matrimonium *Alberti* fratris germani cum *Hadwige* Carentana, quam nonnulli comitem de *Cileia* adpellant, huic coniecturæ ſubſidium ferunt non ſpernendum.

Equidem *Comitum Cileiæ* nomen ante ſæculum XIV. inauditum erat, quum primus omnium *Ludovicus* Bavarus Imperator anno 1341 *Fridericum liberum de Sewenegk*, eiusque hæredes, titulo & privilegiis *Comitis* de *Cily* ornaverit diplomate datoMonachii die Lunæ poſt ſeptimanam Paſchæ, quod ex Tabulario græcenſi Ladula 43. N 4. a PVSCHIO deſcriptum fuiſſe teſtatur illius ſocius FROELICHIVS in *Specimine genealogiæ Sounekiorum comitum Celeiæ & comitum de Heunburg pag.* 54.

Eamdem tamen *Hadwigen Alberti I.* com. de Bogen Vxorem Bona in Carinthia poſſediſſe, adeoque inde ortam, & forte de ſtemmate *Heunburgico*, poſtea *Cileienſi* dicto, prognatam fuiſſe, facile auguror ex charta quadam *anecdota* Victorienſis (*Vidring*) monaſterii in Carinthia ab amico communicata, ubi hæc leguntur:

„ Comitiſſa *Hadwich*, *Mater comitis Bertholdi de Bogen* donavit per manus Dni Henrici *Bris* (nomen familiæ carinthiacæ) ad eundem locum novem hubas cum omnibus pertinentiis ſuis. Illuſtris etiam comitiſſa *Hadwich* de *Bogen* dedit ad predictum locum quinque manſus apud Wippach, cum omnibus ad ſe pertinentibus. Donatio autem hæc facta eſt apud Luſe, & huic donationi interfuit *Dietricus prepoſitus* eius. *Vicilinus de Wippach. Weriandus de guernotia* & alii complures, quorum infinitus erat numerus. . . Huius rei teſtes ſunt dus *Witigo de Lilienburg. Gerlohus ſenior de Stœin. dns Vuilinus*

linus (Wicilinus) *de Wippach. dns Bernardus & fratres eius. Girebertus de Gurerch. dns Gebhardus de Coeker* & alii plures tam nobiles quam ignobiles. Facta ſunt anno ab Incarn. dom. MCLVI. in Caſtro apud *Heunburg*. "

Ab hoc caſtro *Heunburg*, ſeu *Hunenburg* nomen credo hauſiſſe Comites ita adpellatos, & eſt vero admodum ſimile, *Hadwigam*, *Alberti I.* uxorem poſt eius obitum, qui ad an. 1147 refertur, ad hoc caſtrum ſuum gentilitium divertiſſe.

HUNDIUS in Stemmatographia de Comitibus Bogenſibus agens, iſtam *Hadwigen* Comitem de *Neuburg* adpellat, deceptus forte ſimilitudine nominis *Heunburg*. FALKENSTENIUS autem in *Antiquitat. Nordgav. Tom. II. pag.* 281. filiam fuiſſe fingit *Popponis Carinthiæ Ducis*, quo nomine nullus in hac ſerie reperitur.

Eidem amico debeo excerptum alterius chartæ *anecdotæ* de anno 1155, in qua *Romanus* Epiſcopus Gurcenſis narrat, emiſſe ſe allodium *Dobern*, *quod Comitis Hartuici de Bogen eſſe videbatur*, pro CXLV. marcis, qui venditor cum an. 1147 Hieroſolymam profectus fuiſſet, frater eius *Bertholdus* impetiit, ſed pro traditis C. Marcis per Comitem *Rapotonem* reddidit. Vbi ſequentia notanda veniunt;

„ Qui (*Hartuicus Hadwigis ſupra dictæ filius*) cum profectus eſſet in expeditionem Iheroſolymitanam, que anno MCXLVII. ſub Rege Conrado facta eſt, *frater eius Bertholdus Comes* factum fratris validis aſſertionibus in irritum ducere, atque eccleſiam adepta poſſeſſione nudare cupiens, affirmabat, eadem bona legitima traditione *Amite ſue*, ad quam indubitanter

Digitized by Google

tanter ea pertinuiſſent, fidei cuiusdam nobilis *Kadoldi de Sunenbrechtesdorf* delegata, ſingulariter ſibi, excluſo fratre reſervanda ac donanda &c. "

Hæc Bertholdi *Amita*, alia eſſe nequit, quam noſtra, de qua agitur, *Liutkardis Ductrix*, ſoror *Alberti I.* Com. de *Bogen*, qui ex Hadwige memorata genuit *Hartuicum* & *Bertholdum* fratres; ex Monumentis oberaltacenſibus, & utraque charta præmiſſa notos. Quod ut in oculos lectoris facilius incurrat, breve ſchema ſubiicio.

Aſcuinus.
Vxor Lutgardis.

Albertus I. Com. de Bogen. Vxor Hadwigis de Heunburg.	Lutgardis Vxor I. Bracislai Duc. Bohemiæ. II. Henrici Ducis Carinthiæ.

Hartuicus, † poſt an. 1180.	Bertholdus, † 1168. Vxor Lutgardis, filia Popponis II. Marchionis Carinthiæ. *Vid. tab. V.*

Conveniunt fere Scriptores Bohemi, eodem circiter tempore *Luitkardam* quamdam, ſeu *Lucretiam*, *Brecislao* Bohemiæ Duci nuptam fuiſſe, etſi in eiusdem proſapia diſcrepent.

Anonymus in Chronico Bohem. apud MENKEN *Scriptor. rer. germ. Tom. III. pag.* 1681. & apud LUDEWIG *Reliq. manuſcript. Tom. XI. p.* 234:

„ Eodem anno (1094) præfatus Brzeceslaus filiam Alberti Comitis palatini Rheni *Lucardam* nomine duxit in uxorem menſe Septembri. “

Repetit hæc eadem verba PULKAWA apud *Gelaſium* DOBNER *Monument. Tom. III. pag.* 138. & addit:

„ Ex qua genuit Wdlaſilaum ſecundum. “

DUBRAVIUS *Lib. IX. pag. m.* 238:

„ Lucretiam Principis Rhenani filiam duxit uxorem. “

BALBINUS *Miſcell. Hiſtor. bohem. Lib. VII. cap.* 23:

„ Brecislaus Lucretiam Palatini Rheni filiam, quam viduam acceperat, viduam reliquit, defunctam poſtea an. 1141. “

Erronea hæc omnia! Neque enim illo ævo inter Comites Palatinos Rheni *Albertus* quispiam, aut *Lucretia* invenitur.

Propius ad verum acceſſit COSMAS Pragenſis *Lib. III.* apud MENKEN *Tom. I. pag.* 2075:

„ Eodem anno (1094) Dux Bohem. *Breceslaus* in menſe Septembri quamdam matronam de Bavaria, nomine *Luckardam* Alberti comitis (matrem, *ſororem*, an *filiam*?) duxit uxorem. “

Solus Ioannes MARIGNOLA in Chron. Bohem. apud DOBNERUM *loc. cit. Tom. II. pag.* 182. rem acu tetigit ad an. 1094 ſcribens:

„ Eo-

Digitized by Google

„ Eodem anno Dux *Wratislaus* menſe Septembri duxit uxorem de Bavaria nomine *Lucardam*, *Alberti comitis ſororem.* “ Quod cum Monumentis oberaltacenſibus omnino congruit.

Verum matrimonio iſto per obitum *Wratislai* anno 1000 ſoluto, vidua Ductrix iuvenis ad alteras cum *Henrico* Duce Carinthiæ nuptias convolavit.

Diem obitus Lukardis vetus Necrologium San-Lambertinum notat ad XII. Kal. Aug. *Liukart Duciſſa.*

Aliud Necrologium apud Gelaſium DOBNER *Mon. hiſtor. Bohem. Tom. III. p* 16. ponit: II. Kal. Ian. ⊙ LUKARTH DUCTRIX; quam ille *Brzetslai II.* uxorem, adeoque noſtram opinatur.

Annum vero 1141, neſcio unde, prodit BALBINUS citatus.

Num. XX. BEATRIX.

Secundæ uxoris ſolum nomen ex LAZIO (n. præc.) conſtat, quod ei credi poteſt, cæteras duas aſſequuto.

Num. XXI. SOPHIA *tertia Henrici uxor.*

Hoc ipſo nomine exprimitur in diplomate Friderici I. Imp. fundationem & privilegia monaſterii S. Lamberti in Styria confirmantis, inter *Diplomataria ſacra Ducatus Styriæ P. II. p.* 279:

„ Auctoritate noſtra confirmantes, quæcunque comes Marchuardus & filius eius felicis memoriæ Dux Carinthiæ *Henricus* eidem eccleſiæ contulerunt. Adhæc etiam ſibi confirman-

Digitized by Google

tes, quæcunque poſt obitum prænominati *Ducis* SOPHIA *uxor ipſius Ducis tertia* conata eſt ab eccleſia uſurpatione violenta ſubtrahere; ea enim ipſa eccleſia ſolemni iudicio regalis curiæ obtinuit. Acta ſunt hæc an. dom. Incarn. MCLXX. regnante D. Friderico Rom. Imp. glorioſo, anno regni eius XVII. imperii autem XV. datum apud *Frieſach* V. Non. Martii. "

Hæc *Sophia* poſt mortem Henrici alteri nupta eſt viro *Sigehardo* comiti de *Scala* & Burghauſen, ut patet ex Codice tradition. farmbacenſ. *Mon. boic. vol. IV. p.* 56. *n.* 74:

„*Sirus*, qui & *Sigehardus* Comes de Scala, & eius conſors gloriæ Domina *Sophia* una cum filio ſuo *Henrico* delegaverunt - pro remedio tam animæ ſuæ, quam etiam prioris mariti ſui Karinthiorum quondam Ducis *Heinrici*, qui hoc in proprietatis iure dedit . . . Cui rei teſtificantur *Gebehardus comes de Purchuſen frater eius. Henricus filius ipſius Sigehardi comitis.* "

Inde autem & genus diſcimus huius *Sophiæ*. ARENPECKIUS enim in *Chron. Auſtr.* apud Hieron. PEZ *Tom. I. col.* 1186. de liberis Leopoldi Pulcri ſcribit:

„Item aliam filiam N. (*Sophiam*) *Sigehardo* comiti, dicto *Scharſach* copulavit, & dedit ei comitatum *Schala* (hodie *Schalaburg*, haut procul Mellicio) cum omnibus attinentiis, & habuerunt liberos & nepotes, quibus defunctis comitatus provinciæ adiicitur. "

Nomen, quod aut ignoravit, aut ſubpreſſit ARENPECKIUS, innoteſcit cum ex dictis, tum ex Chronico mellicenſi apud eundem PEZIUM:

„Anno

„ Anno 1154 Sophia Ducissa Austriæ (*Carinthiæ, nata de Austria*) de Scala soror nostra obiit. “

In Necrologio eiusdem monasterii:

„ VI. Nonas Maii Sophia Ducissa de Scala. “

Item in Necrologio campililienſi apud HANTHALER *in Fastis campilienſ. Tom. I. pag.* 137:

„ VI. Nonas Maii Sophia Ducissa de Schalach soror fundatoris S. † (*sanctæ Crucis*). “

Sigehardus iam ante decesserat, iuxta Chron. mellicense:

„ An. 1142 Sigehardus comes de Scala frater noster obiit. “ XIII. Kal. Maii teste Necrologio.

Iteratum *Sophiæ* huius coniugium non latuit AVENTINUM, qui *Annal. Boior. VI. cap.* 5. *n.* 31. Burghusianorum Comitum schema texens scribit:

„ Sigehardus ex *Sophia*, quæ prius nupta fuit Henrico Duci Charinorum, Henricum tulit, “

Probationes ad tabulam III.

Num. I. OTTO I. IMPERATOR.

WITICHINDUS *Lib. II. pag.* 642. apud *Meibomium*:

„ Defuncto itaque patre patriæ, & Regum optimo maximo Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum iam olim designatum Regem a patre filium eius Oddonem elegit sibi in Principem. “

Num.

Digitized by Google

Num. II. EGDID *Vxor I.* OTTONIS.

Chronicon quedlinburgenſe ad an. 929. apud LEIBNITIUM *Script. rer. brunſuic. Tom. II. p.* 279 :

„ Otto Rex Editham filiam Regis Anglorum matrimonio ſibi iungendam Saxoniæ adduxit. “

Num. III. LUTGARDIS FILIA OTTONIS I.

WITICHINDUS *loc. cit. pag.* 640.

„ Nam Rex (Henricus) dedit filio ſuo Oddoni coniugem filiam Ethmundi (Eduardi) Regis Anglorum, ſororem Adelſtani, quæ genuit ei filium Luidolfum . . . filiam quoque nomine *Luidgardam*, quæ nupſerat Conrado Francorum Duci. “

Num. IV. CONRADUS *Dux*, LUTGARDÆ *maritus.*

REGINO continuatus ad an. 955.

„ Conradus Dux Regi tunc temporis pene præ omnibus charus *Luidgardam* filiam Regis in matrimonium ſumſit. “

Num. V. OTTO *Dux Carinthiæ*, CONRADI & LUITGARDÆ *filius.*

DITMARUS reſtitutus *Lib. V. pag.* 370. apud LEIBNITIUM *loc. cit. Tom. I.*

„ Horum neceſſitati ad ſuccurrendum *Otto* Carentanorum Dux & Veronenſium Comes - - a Rege dirigitur. Quis autem ille Dux Otto fuerit, quia ſuperius retinui breviter intimabo. Hic igitur a *Conrado* Duce & *Luitgarda* filia Ottonis primi Cæſaris maximi procreatus - - . “

Num.

Digitized by Google

Num. VI. IUDITH, VXOR OTTONIS.

Documentum fundationis Monaſterii Grævenhuſen in diœceſi Spirenſi apud GUILLMANNUM in Syntagmate de vera origine & ſtemmate Conradi II. Imp. Salici *pag.* 12.

„ Noverit - - qualiter ego Otto Dei gratia Dux animæ meæ, parentumque meorum ſaluti proſpiciens ſuadente IUDITHA conthorali mea, cum aſſenſu trium filiorum meorum Henrici, Brunonis, Cunonis - - facta eſt autem chartula huius traditionis an. Incarn. dom. 977. Indict. VI imperante Ottone II.“

Num. VII. ITHA *filia* CONRADI *Ducis* & LUTGARDÆ.

„ Anonymus *Weingartenſis* de guelfis Principibus apud CANISIUM BASNAGII *Tom. III. P. II. p.* 581. & apud LEIBNITIUM *Tom. I. pag.* 783 :

„ Rudolfus (II.) frater ſuperiorum accepit uxorem de Oeninge *Itham* nomine, cuius pater *Cuono* nobiliſſimus Comes, mater vero eius filia Ottonis magni Imperatoris *Richlint* nomine. “

Nomen iſtud *Richlint* pro *Lutgarda* poſitum clariſſimum ECCARDUM *Originum Domus Guelf. Tom. II. pag.* 215. *§.* 3. induxit, ut iſtam *Richlindam* tribueret alteri *Ottoni* Saxoniæ & Bavariæ Duci anno 982 defuncti. Nec felicior in divinando fuit ECCARDI emendator cl. SCHEIDIUS *loc. cit. nota* 5. *Richlinden* iſtam, naturalem *Ottonis M.* filiam ſuſpicatus. At vero ſi conferantur teſtimonia Num. 3. & 4. adducta, evidens eſt, veram *Ottonis* filiam fuiſſe *Lutgardam* prædicti *Chunonis* uxorem.

Obiit

Obiit *Itha* teſte CRUSIO apud eundem SCHEIDIUM *pag.* 217. anno 1020. Ex voto ſuo ſepulta in monaſterio S. Altonis. Ex Biographo eiusdem *loc. cit.*

Num. VIII. RUDOLFUS II. *Comes Altorfenſis*, ITHÆ *maritus.*

Sequor heic ECCARDUM *pag.* 205. ut ille CRUSIUM, & hic AVENTINUM.

„ Anno 1020, verba ſunt CRUSII, mortua eſt *Itha*, quæ fuit generoſa Comes ex Oeninga lacus bodamici (hodie pagus & præfectura eſt) quæ fuerat nupta Comiti Altorfenſi *Rudolfo*, qui nepos fuit illius *Rudolfi*, qui habuit fratrem S. Conradum.“

AVENTINUS *Annal. lib. VI. pag.* 482. *n.* 12.

„ Rudolfo (fratre S. Conradi) Welfo ſecundus progenitus; hoc alter quoque Rudolfus. - - Rudolfus II. (Welfi I. filius) uxorem habuit *Itham*, Suevam genere, haud longe a Brigantino lacu ortam, filiam Conradi Oeningenſis, neptem Imperatoris Ottonis M. ex filia Richolita (*Luitgarde*), ſororem Chunegunde coniugis Friderici in Dieſsen & Andechs Principis. “

Apparet itaque, concludit ECCARDUS, conſentiente SCHEIDIO, a Weingartenſibus duos *Rudolfos* in unum confuſos, & intermedium *Welfum*, cum ille ob beneficia in Monachos collata non celebratus eſſet, plane fuiſſe omiſſum.

Num.

Digitized by

Num. IX. X. XI. ITHÆ *ſorores tres.*

Weingartenſis num. 7. allegatus pergit:

„Habuit quoque idem *Couno* (Luitgardæ Maritus) quatuor filias, quarum una (*Itha*) Rudolfo iſti (*ſecundo*), alia cuidam de Rinfelden (*Bertholdo*) Parenti Zaringorum, tertia Regi Rugiorum (*Ruſſorum*) quarta comiti de *Dychon* nupſit. "

Hanc recte AVENTINVS *Chunegundam* de *Dießen* adpellat, & Friderico Vxorem aſſignat.

Num. XII. HENRICVS *Dux Francorum.*

ALBERICVS trium fontium in Chron. ad ann. 1024:

„ Hic inſerendum eſt, quod filia primi Ottonis Imperatoris, ſoror vero ſecundi nomine Iuditha (*Lutgardis N.* 3.) Duci Wormatiæ Conrado - - peperit ducem Ottonem, de quo Ottone nati ſunt Conradus dux memoratus, & Henricus Pater huius Conradi (Salici) "

WIPPO de vita Chunradi Salici *pag.* 425:

„ Erant duo Chunones, quorum unus, cum maioris ætatis eſſet, *maior* Chuno vocabatur: alter autem *iunior* Chuno dicebatur, ambo in Francia teutonica nobiliſſimi ex duobus fratribus nati, quorum alter Hetzel (Henricus) & alter Chuno dictus eſt: ipſos vero ab Ottone Duce Francorum natos accepimus, cum duobus aliis Brunone & Willhelmo. "

Num. XIII. ADELHEIDIS VXOR HENRICI.

WIPPO *loc. cit.*

„ Prædicti duo Chunones cum eſſent, ut dictum eſt, ex parte genitorum nobiliſſimi, haud ſecus ex materno genere claruerunt. . . Maioris Chunonis mater (Henrici Patris Vxor) Adalberta, vel Adalbera, vel Adelheyda, ex nobiliſſima gente Lotharingorum oriunda fuerat, quæ Adelheyda ſoror erat comitum Gerhardi & Adalberti. "

Num. XIV. BRVNO PAPA SVB NOMINE GREGORII V.

WIPPO N. 12. allegatus, pergit:

„ Ex quibus Bruno apoſtolicæ ſedis Romanæ Eccleſiæ Papa effectus, mutato nomine Gregorius appellatus eſt. "

Annales Hildeſimenſes apud LEIBNITIVM *Tom. I. pag.* 721:

„ Ann. DCCCCXCVI. Indict. IX. Ioannes Papa obiit. Vnde Imperator (Otto III.) in Italia poſitus rumore incitatus, præmiſſis quibusdam Principibus publico conſenſu & electione fecit in apoſtolicam ſedem ordinari ſuum Nepotem, Dominum Brunonem Ottonis filium, qui Marcham Veronenſem ſervabat, impoſito nomine Gregorii, a quo & ipſe proximo ſolenni Pentecoſte Imperator & Patricius conſecratur. "

Num. XV. CHVNO DVX CARINTHIÆ.

HERMANNVS Contractus ad ann. 1012:

„ Chuonradus Dux carentani moriens Adalberoni ducatum reliquit. " Vid. N. 12.

Num.

Digitized by Google

Num. XVI. RICHLINDIS, VXOR ADALBERONIS III. *Comitis Ebersbergenſis.*

Huius fere unius gratia quum præſentem Tabulam adornaverim, paullo operoſius de ea agendum. Omiſſis, quæ de eadem *Num* 19.) *ad Tabulam I.* adnotavi, heic relegenda, de eius proſapia conveniunt autores, eam fuiſſe filiam *Ithæ* (N. 6.) & *Rudolfi II* comitis; etſi pleriſque nomen Mariti huius *Richlindæ* ignotum fuerit. CONRADVS *Vrſpergenſis* apud PFEFFINGERVM ad VITRIARIVM *Tom. II. pag.* 407:

„ Tertium quoque filium, videlicet Rudolfum habuit ſæpe dictus Henricus, qui Rudolfus (II.) accepit Vxorem de Wingin (*Oettingen*) Ithàm nomine, cuius Pater Cuno nobiliſſimus comes fuit, mater eius exſtitit filia Ottonis M. Imp. Richlint (*Lutgart*) nomine. . . Rudolfus de præfata Itha Vxore ſua duos filios progenuit, videlicet Welphonem, qui primus hoc nomen accepit, & Henricum. . . Genuit & filiam Richardam (Richlinden) nomine quæ poſtmodum morjens in Monaſterio Ebersperck ſepulta eſt. Maritus namque eius (Adalbero III.) ditiſſimus comes Bawariorum, cum non haberet hæredem, tres abbatias conſtruxit, videlicet Ebersberck, Giſenvelt, & Chubach. "

Repetit fere poſtrema hæc verba Vitus *Arenpeck* Pezianus *Tom. III. P. III. col.* 210. in Tabula genealogica Guelforum, ubi tamen *Adalberonem* nominat, quem Vrſpergenſis neſciebat.

Ita quoque PISTORIVS *Script. Rer. germ. Tom. III. p.* 710. in Tabula genealog. S. Conradi Epiſcopi Conſtant.

Digitized by Google

VITVS Ebersberg. Oefelianus *II. p.* 711. cap. 26. de genealogia Richardis Vxoris comitis Vdalrici (verius Adalberoni):

„ Richardis autem (*Richlindis*) nobiliſſima Coniux Vdalrici (*Adalberonis III.*) genealogiam ſive originem habuit ex parte Matris de ſanguine Ottonis M Rom. Imp. Otto primus ſive magnus habuit filiam Richlindis nomine (Lutgard) & hæc habuit Maritum Chunonem comitem potentiſſimum, ex quo genuit filiam Itham nomine, & hæc fuit Vxor Ducis Rudolfi, de quo genuit filiam Richardis (Richlindis) nomine, quam dedit ſæpe dicto Vdalrico (Adalberoni) comiti.

Confundit hic Autor *Richarden* Carinthiacam *Vdalrici* coniugem cum *Richlinda* Welfica, Vxore *Adalberonis III.* Quæ porro tam iſte, quam alii de conſtructione trium abbatiarum prædictarum adducunt, erroris convincuntur ex Probationibus ad Tab. I.

Num. XVII. HENRICVS, *Ithæ filius.*

Anonymus Weingartenſis de Guelfis citatus:

„ Rudolfus ex ſua Itha duos filios Henricum & Welfonem, & filiam Richardam (Richlinden) nomine progenuit. Hic eſt Henricus, qui ſub annis adoleſcentiæ in venuſta valle iuxta villam Lounon in venatione ſaxo percuſſus interiit. “

Num. XVIII. WELFVS.

Idem Weingartenſis:

„ Guelfo ſupra nominatus Rudolfi huius filius uxorem duxit ex gente Salica de caſtro *Glizberg* (quod idem eſt, ac

Lunen-

Luxenburg, a germanico *Gleizzen*, *Gleiſſen*, & latino *lucere.*)

Num. XIX. CONRADVS SALICVS IMPERATOR.

Chronica Regum Francorum Autoris Anonymi, qui ſub hoc Imperatore vixit, in LAMBECII commentar. de Bibliotheca cæſarea vindobon. *Lib. II. cap.* 5. *pag.* 394:

„Mortuo Arnulfo Ludovicus Puer, eius filius, imperavit quatuor annis, cui Conradus, deficiente ſæpe dicta Imperatoria Stirpe, nobili Francorum, quamvis non de eodem Stemmate ortus, feliciter ſucceſſit. Conradus prævidens ſibi extremam imminere horam, iuſſit evocare Henricum Ducem Saxoniæ, cui & ſceptrum dedit. - - Qui Henricus duos filios habuit Ottonem I. Imp & Inricum Ducem Baioariæ. Otto Imperator generavit ſecundum Ottonem Imp. cui coniuncta eſt Stephani nobiliſſima græcorum, ex quo ſibi genitus eſt tertius Otto Imperator. . . . Conradus Dux, qui fuit ex progenie Conradi Regis prædicti, accepit filiam Ottonis I. Imp. ex qua natus fuit Otto Dux. Otto Dux habuit filios duos, unus nomine Cono, alter Hezil. Ex iſto Hezil natus eſt Cono (*Conradus Salicus*) qui modo Rex eſt. “

Num. XX. CHVNO IVNIOR.

HERMANNVS Contractus ad ann. 1012.

„ Conradus Dux Carentani filius Ottonis Ducis, fraterque Brunonis dudum Papæ obiit, & privato *filio eius puero Conrado* Adalbero Ducatum accepit, “

Idem

Digitized by

Idem ad ann. 1019. Conradus adoleſcens, filius Conradi quondam Ducis Carentani, auxiliante patruele ſuo, Conrado poſtea Imp. Adalberonem tunc Ducem Carentani apud Vlmam pugna victum fugavit. —

Ann. 1036 Conradus Patruelis Imperatoris, Patris ſui Ducatum in Carentano & in Hiſtria, quem Adalbero habuerat, ab Imperatore ſuſcepit.

Ann. 1039 Conradus Dux Carentani & Adalbero æmulus eius, qui ante eum Ducatum eundem tenuerat, ipſo anno obierunt. "

Num. XXI. WELFVS III.

Weingartenſis loc. cit.

„ Genuit & filium ſui nominis Virum per omnia probatum, qui Ducatum Carinthiorum & Marchiam veronenſem acquiſivit, & ſtrenuiſſime rexit. "

Probationes ad Tabulam IV.

In iſta quidem WERIGANDI Genealogia, ut quædam certiſſima ſunt; ita alia probabili ſolum coniecturæ innituntur, nulli tamen anachroniſmo obnoxiæ.

Num. I. WERIANT DE FRIESACH.

Ex codice MS. complacitationum illuſtris Capituli Metropol. ſalisburg Autor Originum Dom. boic. communicatam accepit ſequentem;

„ Com-

Digitized by

„ Complacitatio inter Odalbertum Archiepiſcopum & *Vueriandum* vel Adalſuindam Vxorem ſuam. Notum ſit igitur - - qualiter Odalbertus iuvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus quam dam complacitationem cum quodam nobili viro *Vueriant* vocato, & cum uxore ſua nomine Adalſuind conſilio fidelium ſuorum agere decrevit.

Tradidit namque predictus *Vueriant* cum Adalſuinda uxore ſua in manus Odalberti Archiepiſcopi & Advocati ſui Reginperti proprietatem ſuam, quam in loco *Hus* dicto traditione *Arnolfi & Pertholdi Ducum* accepit, ut poſt obitum ſuum & Vxoris ſuæ *Adalſuinde* ac filiorum ſuorum *Bertholdi* & *Bernhardi*, atque filiarum ſuarum N. *Hiltigart* & *Vuoza* ad S. Petrum ſanctumque Rupertum ad Iuvavenſem Sedem perenniter in proprietatem poſſidendam. - - Econtra vero Odalbertus Archiepiſcopus cum manu Reginberti Advocati ſui tradidit *Vueriando* & *Adalſuinde* coniugi ſuæ curtem *Frieſach* dictam cum Eccleſia & decimis ac edificiis, mancipiis - - - *ſequuntur nomina teſtium* anno Dom. DCCCCXXVIII. Actum ad Karantan. (*Mospurg*) VII. Id. & VI. Id. Maii. "

In eodem Codice complacitationum legitur alia *anecdota* cap. 2.

„ Gotaberti Chorepiſcopi cum Odalberto ven Archiepiſcopo, qui cum manu advocati ſui Regenberti in manus Kotaberti Chorepiſcopi & advocati ſui *Bertoldi Ducis* hæc loca ad ſcam Mariam ad Charantanam, ad ſcum Petrum in civitate carantana, ad ſcum Laurentium ad Korkizam, ad Zeleznam, ad ſcum Petrum ad Oſtaruizan, ad Trevnam. Item ad ſcam Mariam ad Drauum, ad Muoriza kimundi, ad Rotenmannum,

ad

ad Laventam - usque ad finem vite ſue in proprietatem tradidit atque transfudit. - - Teſtes Rodperth Com. Reginker, Com. Diotmar, Com. Regenhart. Arpo. *Ueriant. Marcuart.* Aſcuin. Herolt. - - Actum in ſynodo in aeccleſia ſce Marie ad Carantanam an. dom. Incarn. dcccccXXVII. Indict. XV. ſub die Kl. Iun. feliciter in Dei nomine. "

Non dubito, quin iſte *Ueriant*, ſeu *Werigandus* idem cum priore fuerit, cum perſonæ, loca, & anni in eundem conſpirent.

Num. II. ADALSUINDA.

Præter huius nomen reliqua latent.

Num. III. BERTHOLDUS.

Videtur iſtud nomen fuiſſe ſortitus a Duce *Bertholdo*, qui illum forte e ſacro fonte levavit.

Num. IV. BERNARDUS.

De hoc non habeo, quæ dicam.

Num. V. HILTIGART.

Conſtat ex Monumentis Eccleſiæ Sabionenſis, a cl. Reſchio communicatis *Tom. III. pag.* 652. uxori *Henrici minoris Bavar. & Carinth.* Ducis, quem nonnulli Bertholdo Duci filium tribuunt, nomen *Hiltigardis* fuiſſe, quumque tempora, perſonæ, & Provincia carinthica congruant, ſuſpicari liceat, hanc ipſam, cuius fratrem *Bertholdus* Dux, Henrici minoris genitor e ſacro fonte levaverat, *Henrico* filio deſponſatam fuiſſe.

Num.

Digitized by

Num. VI. *VUOZA.*

Huius ſolum nomen hactenus ex N. 1. ſcitur.

Num. VII. WERIENTUS II.

Liceat mihi heic denuo ſuſpicari, *Werientum*, qui anno 990 & 1001 occurrit (*N.* 23. *ad tab. I.*) ex alterutro filiorum, *Bertholdo*, vel *Bernhardo* natum fuiſſe, quem *Werigandum II.* appello, &

Num. VIII.

WILLPIRGIS II. Ebersbergenſis maritum priorem aſſignavi, circa an. 1002 defunctum.

Num. IX. WERIENTUS III.

Quoniam ad annum 1027 *Werientus* occurrit nobilis ſacramentalis pro POPPONE Patriarcha aquileienſi (*Num.* 24. *ad tab. I.*), quid prohibet, hunc filium prioris dicere, & *Werigandum III.* appellare?

At opponentem audio, ſi *Werigandus* tertius filius ſecundi fuit; cur patri non ſucceſſit in comitatu Foroiulii, ſeu Iſtrienſi, quum ad hunc ipſum annum eundem rexerit *Vezelinus*?

Repono: puerilis ætas obſtare potuit, quo minus filio regendus crederetur comitatus paternus. Si enim *Werigandus* pater anno 1002 diem ſuum obiit; filiolus vix annum undecimum adtigerat, quo quidem tempore Comitis, hoc eſt, Iudicis officio fungi nondum poterat. Præterea ſuſpicari fas eſt, matrem *Willpirgen* filii tutelam ſuſcepiſſe, alterumque eius maritum *Vezelinum* eundem comitatum loco Minorennis adminiſtraſſe,

Digitized by Google

niſtraſſe, qui eodem defuncto ad filium, interea ſui iuris factum, poſtliminio rediit. Certe enim ad an. 1028 iterum legitur: in *comitatu Varienti Comitis* goritienſis. (*Num.* 23. *ad tab. I.*)

In traditionibus friſingenſibus ſub Egilberto Epiſcopo, qui Eccleſiæ illi ab an. 1006 ad an. 1036 præfuit, ſequens legitur apud MEICHELBECK H. F. *Tom. I. P. II. n.* 1161;

„Noverint omnes - qualiter quidam nobilis vir nomine Altmann delegavit ad oblationem fratrum predium ſuum loco *Arzpach* (circa *Admont* in hodierna Styria, olim Carinthiæ parte ad fluvium *Arzpach* ſitum) ita confirmans, ut ſi quislibet illud auferret fratrum ſtipendio proximus ex ſua cognatione Biſantio (aureo) ſibi vendicaret. De nobilibus ſunt teſtes; Perachtolt. Iagob. *Weriant.* Walmann. *Wazo.*

Poterat is eſſe *Werigandus*, mihi tertius; nam circumſtantiæ temporis, & loci omnino congruunt.

Prætermiſſio tituli *Comitis* non officit; hunc enim frequenter omitti norunt antiquitatum periti.

Num. X. AZO MARCHIO.

Ad an. 1027 apud Bern. de RUBEIS *loc. cit. col.* 500. inter iudices Conradi Imperatoris (*N.* 23. *ad tab. I.*) legitur *Azo filius Varienti.*

In diplomate Popponis Patriarchæ aquileienſis apud CORONINUM Com. de CRONBERG in citato tentamine rerum goritienſium inter teſtes tertio loco ſubſcribit iſte Azo ad an. 1041. *pag.* 178.

Ad

Digitized by Google

Ad annum quoque 1077 ex diplomate Henrici IV. Imp. quo eccleſiæ aquileienſi confertur comitatus Foroiulii, inter Marchiones iſte *Azzo* occurrit apud de RUBEIS *col.* 537.

„Heinricus - - Quapropter notum eſſe volumus, qualiter nos ob remedium & interventum - & Ducis etiam Liutoldi, Marchionum quoque Wilhelmi, *Azzonis*, Adalberti, nec non ob fidele ſervitium Sigehardi Patriarchæ comitatum Foroiulii - tradidimus datum anno MLXXVII. "

Iſta quidem ut pro certis non vendito, vero tamen haut abſimilia iudico; ita ſaltim declarant, *Willpirgen* noſtram viro *Werigando* nupſiſſe haud diſparis nobilitatis, & ſe digno.

Probationes ad Tabulam V.

Num. I. WILHELMUS *Comes Wimmarienſis.*

DITMARUS reſtitutus apud LEIBNITIUM *Script. rer. brunſuic. Tom. I. p.* 368. referens, Ducatum Boiariæ Henrico Marchioni Schwinfurtenſi, quem ab Henrico II. Imperatore ſperaverat, negatum, hæc ſubiungit:

„Quod ubi Henricus ab internunciis accepit, in maiorem promiſſi muneris deſperationem veniens, paulatim ſe ab Regis ſubtraxit familiaritate comitaturque tamen ab Alemannia proficiſcentem in Franciam, poſtea in Thuringiam. Ibi *Wilhelmus* Turingorum tunc potentiſſimus obviam pergens, Dominumque venientem cum magna gratulatione ſuſcipiens miles Regis efficitur. Ibi tunc Rex a præfato comite & a primis illius regionis collaudatur in Dominum. "

Digitized by

ADELBOLDUS Traiectenſis in vita Henrici I. apud eundem LEIBNITIUM *loc. cit. p.* 433. *n.* 11:

„Rex igitur non multis diebus in Francia moratus, in Turingiam ivit. Ibi absque mora GUILIELMUS princeps Turingorum cum cæteris occurrens Regis efficitur (*Miles*). "

Mortem oppetiiſſe circa an. 1034 inde colligitur, quod ad hunc annum notet Annaliſta hildeſimenſis apud eundem LEIBNITIUM *p.* 727. *Odam* huius *Wilhelmi* viduam Dedoni III. nuptam fuiſſe;

„Eodem anno Thiedricus (*Dedo II.*) Comes Orientalium (*Turingorum*) a militibus Eggiherdi (*Eccardi II.*) Marchionis in proprio cubiculo ficta ſalutatione circumventus in dolo XIII. Cal. Decembris occiditur. Cuius dignitatem honoris *Dedi* (Dedo III.) filius eius obtinuit, qui poſtea *Odam* Willihelmi Turingorum Prætoris viduam in coniugium aſcivit. "

Conſentit *Annaliſta Saxo* ad an. 1046:

„Supradicto autem Comite *Willhelmo* defuncto uxor eius *Oda* nupſit Dedoni Marchioni."

Num. II. N. *Vxor Willhelmi.*

De hac nihil liquet, nec huc refert.

Num. III. *Oda uxor II.*

Hæc iam comprobata fuit N. 1.

Num.

Digitized by Google

Num. IV. WILLHELMUS II. MARCHIO.

De filiis Willhelmi I. qui etiam *magnus*, & *venerabilis Senior* audit, hæc leguntur apud Annaliſtam Saxonem Eccardinum ad an. 1046:

„ Rex Henricus natale Domini Goslariæ celebravit. Ekkihardus (*Eccardus II.*) Marchio ſubitanea morte præfocatus interiit, & Willhelmus Marchiam illius (meridionalis Thuringiæ) acquiſivit. Huius pater fuit Willehelmus Comes de Wimmare venerabilis Senex . . . Huic Willehelmo erant tres filii, hic, de quo loquimur, *Willhelmus II.* Marchio, *Otto*, & *Poppo*.

Item ad an. 1056:

„ Wilhelmo & Ottoni filiis illius Magni Willhelmi de Wimmare. "

De *Willhelmo II.* hæc ſcribit LAMBERTVS Schafnaburg. ad an. 1061. *pag.* 325. apud PISTORIUM Struvianum:

„ Andreas Rex Vngarorum, videns Belam, quemdam propinquum ſuum (immo, *fratrem*) regnum affectare & Vngarios a ſe paulatim ad eum deficere, uxorem ſuam & filium Salomonem, cui Imperator filiam ſuam parvulo parvulam deſponderat, cum multis opibus ad Regem Henricum transmiſit, petens, ut & ſibi miſſo exercitu ſubveniret, & ſuos, donec rebus tranquillitas redderetur, ſervaret. Rex Willhelmum Marchionem Turingorum (*Annaliſta Saxo* hunc deflorans ad eundem annum addit: *filium Willhelmi de Wimmare*) & Epponem Citicenſem Epiſcopum cum Duce Boemorum & exercitu Baioarico illuc miſit, ſed Marchio & Epiſcopus priores Vngariam ingreſſi, non exſpectato Duce Boëmorum cum Bele

ſigna

Digitized by Google

ſigna contulerunt, atque infinitam multitudinem Vngarorum peremerunt. Deinde cum ex omni parte Vngari ad ferendum ſuis auxilium frequentes confluxiſſent, videntes miſſi Regis, tantæ multitudini ſe numero & viribus impares eſſe, finibus hoſtium excedere volebant. Verum illi loca omnia, per quæ exitus eſſe poterat, occluſerant, tum ne quid cibi aut potus in via reperiretur, proviserant, cumque inſuper abeuntes crebra incurſione infeſtarent, & illi ſemper periculum virtute propulſantes, magnas hoſtium ſtrages darent, tamen diuturna cæde exhauſtis viribus, Andreas equo forte excuſſus, pugnantium pedibus eſt conculcatus, Epiſcopus captus, Marchio fame magis quam ferro expugnatus ſe dedidit; cuius virtus tantæ admirationi apud Barbaros fuit, ut Ioas filius Belis, pro illius tum gentis moribus haud deſperatæ indolis adoleſcens, ultro patrem exoraret, non modo ut eum iure belli intactum ſineret, ſed etiam ut affinitate ſibi iungeret, deſponſata ei filia ſua, ſorore Ioiada. "

Repetit hæc omnia Paulus LANGIUS in Chronico citicenſi ad eundem annum apud PISTORIUM *Tom. I. pag.* 1142. & addit:

„ Deſponſata ei *filia ſua*, *ſorore Ioade*, & ſic tandem cum gloria dimiſſus, cum Epiſcopo & aliis, qui ſimul venerant, & cædibus ſupererant, ad propria eſt reverſus. "

Ad iſtum LAMBERTI locum ſane memorabilem obſervat Georgius PRAY in *Annal. Regum Hungariæ Tom. I. pag.* 62. iſtum *Ioas* non alium eſſe, quam *Geyſam I. Belæ* filium, additque *pag.* 64. Nota a) *Ioyadam* iſtam *Belæ* filiam, *Geyſæ I.* & *Ladislai* ſororem fuiſſe. Conſentit eidem Annaliſta Saxo, paullo poſt proferendus.

Pergit

Digitized by Google

Pergit LAMBERTUS ad an. 1062:

„Willhelmus Marchio reverſus in Thuringiam, dum redire in Vngariam, & ſponſam ſuam cum magna opum ſuarum oſtentatione adducere pararet, inter eundum ſecunda manſione morbo correptus obiit. Sponſam eius *Vdalricus*, Marchio Carentinorum, cognatus eius (ex fratre nepos) accepit, Marchiam vero *Otto* frater eius obtinuit. "

Repetit hæc verba Annaliſta Saxo Eccardinus ad eundem an. & ſponſam adpellat *Sophiam*, *Ladislai* (hinc & Geyſæ I.) ſororem, adeoque *Belæ I.* filiam.

Ab utroque paulliſper diſcrepat Anonymus *Weingartenſis de Guelfis Principibus* apud Caniſium Basnagii *Tom III. P. II. pag.* 583. & apud LEIBNITIUM *Scriptor. brunſuic. Tom. I. p.* 785:

„Henricus frater eius (Welfonis) ducatum & omnia, quæ illius erant, obtinuit . . . . . Qui uxorem iam dudum vivente patre de Saxonia accepit, filiam *Magnonis* Ducis, & *Sophiæ ſororis Regis Vngariæ Colomanni*, *Wulfilden* nomine."

Heic omnino pro *Colomanno* legendum eſſe *Ladislai*, ex dicendis ad N. 9. conſtabit.

Pergit *Weingartenſis*: „Erat tandem eadem *Sophia* (LAMBERTO *Ioyada* dicta) antea (nempe poſt mortem Willhelmi ſponſi) cuidam de Carinthia (Vdalrico) copulata, ex qua genuit *Poponem* Marchionem. Porro ſoror huius Sophiæ (immo neptis ex fratre *Ladislao* Pyriſca, Græcis *Irene*) Regi Græcorum nupſit. Aliam ſororem eius (*Sophiæ*) *Berchtam* quidam Comes (*Hartuicus*) ex clauſtro quodam ſanctimonialium abſtractam

ſtractam duxit, & ex ea *Fridericum* ratisponenſem Advocatum genuit. "

Si auctoritati huius Anonymi per omnia ſtandum foret, ſta *Sophia* non *Belæ I.* ſed *Geyſæ I.* filia fuiſſet, id, quod hactenus Græci Scriptores plerique cenſuerunt, qui *S. Ladislaum* cœlibem vixiſſe exiſtimarunt.

Poſtquam autem hodie de coniugio & uxore huius S. Regis, immo & de liberis eius, ſcilicet *Colomanno* & *Pyriſca* conſtat; hinc *Sophia* non iam horum, ſed *Geyſæ I.* & *Ladislai* ſoror, Belæ I. autem filia dicenda eſt.

Et de *Colomanno* quidem id diſerte affirmat nota antiquiſſima ad Archidiaconi Spalatenſis hiſtoriam, *Scriptor. rerum Hungaricarum* cl. SCHWANDNERI *Tom. I. p.* 634. „Colomannus, filius Wladislai Regis Vngariæ, ſtans in regno loco patris ſui &c. "

Pyriſcam autem, Græcorum Imperatori nuptam, itidem S. *Ladislai* filiam, adeoque *Colomanni*, non *Geyſæ I.* ſororem fuiſſe, quoniam huc non admodum pertinet, comprobatum legi poteſt apud cl. Stephanum KATONA in Hiſtoria critica Regum Hungariæ *Tom. II. p.* 730. *ſeqq.*

Iſthæc autem hallucinatio eo magis condonanda *Weingartenſi* ſcriptori extero & remoto, quo minus hodiernis quibusdam Hungaris, qui errantem ſequi malunt, quam recentiores Criticos veriora docentes. Verum de iſta Sophia recurret ſermo ad N. 9.

Num.

Digitized by Google

Num. V. OTTO DE ORLAMVNDE.

Fratrem fuiſſe Willhelmi ſecundi, & primi filium ex *Oda*, præter dicta (Num. præc.) probat Appendix ad Chronicon Montis ſereni apud ECCARDVM *Origin. ſaxon. p.* 63.

„ Et duxit (Dedo III. Marchio) Vxorem *Odam* matrem Ottonis de Orlamunde . . . Defuncto vero Ottone Marchione, & matre eius Oda, prædictus Dedo Marchio viduam eius (Ottonis privigni ſui) Adelam duxit uxorem. Hæc fuit nata de Brabantia ex caſtello quod dicitur *Lovene*. "

Annaliſta Saxo ad ann. 1070:

„ Dedo Marchio non ſine Saxoniæ principum conſenſu tyrannidem in partes regias orditur. . . Non multo poſt filius eius Dedo iunior vir æque militaris, quem illi *Oda* mater *Ottonis* de Orlagemunde genuerat, cum quadam nocte ad neceſſitatem naturæ ſeceſſiſſet, appoſito extrinſecus inſidiatore confoſſus in inguine occiſus eſt. Quis necis eius Autor fuerit, non ſatis conſtat, quamquam dolo Novercæ interfectum vulgi ſermonibus iactaretur. Hæc erat vidua dicti Ottonis, quam defuncto Ottone & Matre eius Oda, Dedo ſenior uxorem duxerat. . . Ipſa autem *Adhela* dicebatur nata de Brabantia ex caſtello, quod dicitur Lovania, ſeu vulgariter *Lovene*. "

Iſtum Ottonem ann. 1067 obiiſſe teſtatur LAMBERTVS Schafnaburg. *pag.* 337:

„ Otto Marchio Thuringorum obiit. . . Marchiam eius Egbertus patruelis Regis ſuſcepit. "

Num. VI. POPPO.

Venio nunc ad Popponem, cuius gratia hanc Tabulam præcipue adieci. *Annaliſta* Saxo ad ann. 1062 ſequentia de eo tradit:

„ Horum ſcilicet *Willhelmi* & *Ottonis* Marchionum frater fuit *Poppo*, qui habuit filium *Oudalricum*, qui ſororem *Ladislai* Regis Vngariæ *Sophiam* duxit Vxorem, quæ genuit ei iuniorem *Oudalricum*, qui accepit filiam Ludovici comitis de Thuringia. "

Quid illi porro acciderit, quandove obierit, nullibi legitur. De uxore ſolum heic indagandum.

Num. VII. AZZICA VXOR POPPONIS.

Quum extra dubium omne poſitum ſit, hunc *Popponem* Patrem exſtitiſſe *Oudalrici* Marchionis (Num. præc.) uxorem quoque habuerit neceſſe eſt, quam tamen nemo hactenus prodidit. Ego vero iam ſupra (N. 24.) ad Tabulam I. rationem non unam protuli, cur *Willbirgen* Semtanam uxorem credam *Wezelini*, qui genuit *Azzicam*, *Vdalrici* Marchionis Matrem.

Iſte enim cum non una vice *Addalberonis III.* Ebersbergenſis *Nepos* dicatur; cum *Willpirgis*, eiusdem *Adalberonis* & *Eberhardi* ſoror, per manum *Vdalrici* Marchionis, tanquam propinqui ſui traditionem fecerit; cum ipſe *Vdalricus* Marchio inſtrumento fundationis Geiſenfeldenſis ab *Eberhardo* factæ teſtis ſubſcripſerit; cum inſuper ſciamus, *Vdalricum* eodem tempore & *Popponis* & *Azzicæ* filium; cum denique circumſtantiæ omnes concurrant: quis inde cum ſumma probabilitate

Digitized by Google

tate non inferat, *Azzicam* iſtam *Vdalrici* matrem, *Popponis* eiusdem Patris coniugem fuiſſe hactenus incompertam, & ipſum *Vdalricum* hac ratione veriſſime dici *Adalberonis* Nepotem, quippe natum ex filia *Willbirgæ* eiusdem ſororis?

Non video ſane, quid iſtis momentis opponi, aut qua alia ratione *Vdalricus*, Patre Saxone natus, Nepos dici valeat Ebersbergenſium in Bavaria comitum, niſi per matrem *Azzicam*, *Willbirgis* Ebersbergenſis, Aviæ ſuæ, filiam inde deſcenderit.

Num. VIII. VDALRICVS I.

Dictum de iſto Vdalrico abunde fuit N. 24. ad Tab. I. item N. 6. & 7. ad Tab. IV. quibus ſequentia addere lubet.

Vetera inter tranſſumta, quæ Bernard. de RVBEIS *Monument. Eccleſiæ aquileienſis col.* 535. protulit, huius etiam Vdalrici fit mentio:

„ Privilegium Henrici Regis de XX. Maſſariciis datis *Voldarico* Marchioni in certis locis Iſtriæ. MLX. — Item. — Qualiter Artuicus de caſtro Pyranenſi cum Bona uxore ſua dedit caſtrum Veneris *Voldarico* Marchioni, Anno Henrici Regis - - - MXIV.

Heic omnino numerum L. omiſſum, & legendum cenſeo: MLXIV. Utrumque enim, annus & provincia, Vdalrico noſtro congruit.

Digitized by Google

Iam ſæpius allegatus D. CORONINVS comes de CRONBERG in Tentamine rerum Goritiæ *pag.* 179. Edit. ſecundæ ad ann. 1064 diplomatis cuiusdam Synopſin a Comite LANTHIERI ſibi communicatam, in hæc verba refert:

„ Henricus IV. Rex concedit *Odalrico* Marchioni Iſtriæ viginti regales Manſos in Iſtria. Actum Goslar Indict. II. an. 1064. "

Præfatus comes de LANTHIERI ſubminiſtravit notitiam alterius diplomatis eiusdem Henrici IV, Imp. de ann. 1066 cuius ſequens eſt compendium:

„ Idem Henricus Rex concedit Adalberto fideli ſuo villam quamdam *Strongi* in Regno, & Marchia Iſtriæ *Woldrici* Marchionis - - Actum Ekkihartesbergæ Indictione IV. anno 1066 " *Cit. Specim. rerum goritiens. pag.* 179.

Certas pariter temporum notas ſubpeditant diplomata apud MEICHELBECKIVM *Hiſtor. friſing. Tom. I. P. I. pag.* 228.

„ H. Rex Rom. Aug. - - pateat, quemadmodum - - quasdam Iuris noſtri proprietates ad fiſcum noſtrum pertinentes in Marcha Hiſtria & in comitatu *Marchionis Vdalrici* inque locis ſubnotatis, id eſt, in *Pyrian* (forte idem cum caſtro *Pyranenſi*, quod ſupra ad ann. MLXIV. occurrit) & Niwenburch ſitas - - in proprium tradidimus. . . . Dat. IX. Kal. Novemb. ann. MLXII. Indict. I. "

Exſtat itidem *pag.* 261. & aliud diploma;

„ Hen-

„ Henricus d. f. cl. Rex. — Notum esse volumus, qualiter nos frisingensi Ecclesie - ob petitionem & interventum - *Oudalrici Marchionis*, nec non ob fidele servitium Ellenhardi eiusdem sedis Episcopi has villas - - in pago Istria in Marcha *Oudalrici* Marchionis sitas — in proprietatem dedimus. — Dat. tertio Nonas Martii an. MLXVII. Indict. V. "

Annum obitus Vdalrici nostri memorant LAMBERTUS Schafnaburgensis:

„ An. 1070 Vdalricus Marchio Carentinorum obiit. "

Et ANNALISTA Saxo ad eundem annum:

„ Odalricus Marchio Carentinorum obiit cuius viduam Sophiam sororem Ladislai Regis Vngariæ *Magnus* Ordulfi saxonici Ducis filius accepit uxorem. " De qua mox plura.

Num. IX. SOPHIA, *uxor* VDALRICI I.

Hungaricam quamdam Principem, cui *Sophiæ* nomen, *Vdalrico* huic coniugem non LAMBERTUS modo Schafnaburg. cum defloratore suo *Annalista Saxone*, sed & *Anonymus Weingartensis* tribuunt (N. 4. ad hanc tab.) in eo inter se discordes, quod illi *Belæ I.* iste autem *Geysæ I.* filiam existiment.

Novissimi quoque Scriptores Hungari in partes scinduntur, dum plerique illorum duas *Sophias* statuunt, quarum unam *Belæ I.* alteram *Ladislai I.* filiam asserunt, diversis maritis sociatas, de quibus modo pluribus, ut agam, operæ videtur pretium.

De

Digitized by Google

De *prima* P. Samuel TIMON in *Epitome chronologica rerum Hungariæ*, Caſſoviæ an. 1736 edita *p.* 16. teſtatur, ex antiquis cœnobii Bozockinenſis litteris, a *Bela II.* Rege an. 1135 denuo firmatis, cœnobium iſtud a Comite quodam *Lamberto* cum uxore ſua *Sophia*, ſorore S. *Ladislai* Regis, adeoque *Belæ I.* filia, fuiſſe fundatum, id quod etiam adnotavit *Petrus* PAZMANNUS, Archiepiſcopus Strigonienſis in Appendice prima ſynodi diœceſanæ Tyrnaviæ die 4. Octob. an. 1629 celebratæ.

Eundem *Lambertum* fundatorem, & *Sophiam* Ladislai Regis ſororem agnoſcit quoque *P. Trſztyanſzky* in *Topographia regni Hungariæ* Viennæ 1750. *lib.* 4. *cap.* 4. *§.* 6. in eo tamen aberrans, quod *Lambertum* huius *Sophiæ* nepotem dicat, cuius maritus fuerat.

Veritatem huius aſſerti comprobat diploma *Belæ II.* Regis de anno 1135 iam a *Timone* citatum, interea autem a cl. P. *Prayo* in *Diatribe de S.* LADISLAO Rege *Poſonii* an. 1776 edita, publicatum *pag.* 155. Vnde ſequentia huc ſpectant:

„Bela Dei gracia Hungarie . . Rex . . . Notum ſit . . . qualiter *Lampertus* comes, cum uxore ſua *Zophia* - - - in predio ſuo, quod vocatur *Pozonck* . . . cœnobimm conſtruxerunt. - - - Nonum vero (predium) *Patzuh*, ubi erat regalis curia, dedit Rex *Ladizlaus* comiti *Lamperto* cum *ſorore ſua*, quam dederat ei in *uxorem.*“

Ecce indubitatam *Sophiam Ladislai* ſororem, & *Lamberti* uxorem!

Aliam

Aliam eiusdem *Ladislai* ſororem, quam LAMBERTUS Schafnaburg. *Ioyodam*, *Annaliſta Saxo* autem *Sophiam* adpellat, pariter recognoſcit P. Ladislaus TUROCZIUS *in Hungaria cum ſuis Regibus data* Viennæ an. 1768. *pag.* 335. ex eiusdem cœnobii tabulis in hæc verba ſcribens:

„Liberi Belæ I. Regis. *Geiſa*, *Ladislaus*, & *Sophia*, quæ cum marito ſuo, comite *Lamberto* condidit præpoſituram *Bozokinenſem*, & *filia altera*, primum *Wilhelmo* Thuringorum Duci deſponſata, inde *Vdalrico* Marchioni Carinthiæ elocata, ut eſt apud *Lambertum* Schafnaburgenſem.“ Veriſſima hunc Autorem ſcripſiſſe, paullo poſt patebit.

Adverſantur eidem nihilominus & vehementer eum exagitant recentiores quidam Hungari, *Weingartenſi* unice adhærentes, qui quod *Pyriſcam* Colomanni *ſororem* recte ſcripſerit, quos ipſi pro liberis S. *Ladislai* olim cœlibis exiſtimati nunc demum agnoſcunt, inde præpropere inferunt, *Sophiam* quoque, a *Weingartenſi Colomanni* & *Pyriſcæ ſororem* dictam, pariter *Ladislai filiam* fuiſſe, quod mihi omnino incredibile videtur.

Hunc vero in modum triumviri clariſſimi Xyſtus SCHIER, Daniel CORNIDES, & Georgius PRAY apud cl. KATONA Hiſtoriæ criticæ Regum Hungariæ Tom. II. p. 746. ſeq. hypotheſin ſuam adornant. Vero ſimillimum eſſe aiunt, *Vdalrico* Carentano duas fuiſſe coniuges, primam *Ioyodam*, *Belæ I.* filiam, & hac defuncta alteram, nomine *Sophiam Ladislai* filiam, (quas Annaliſta Saxo confuderit) quæ extincto ad ann. 1070 marito, nupſit *Magno* Saxoniæ Duci.

Quo-

Quoniam vero non affinitatis tantum ratio obstare videtur, ut *Ladislai* soror primum, dein eiusdem filia eidem marito iungatur, sed etiam filiæ ætas *Vdalrico* non satis congruit; hinc cl. *Katona* aliam coniecturam substituit, & arbitratur, primam *Sophiam*, *Ladislai* sororem, & *Belæ I.* filiam, *Wilhelmo* primum desponsam, dein *Vdalrico* nuptam, isto autem cito defuncto, Viduam *Lamberto* comiti secundis Nuptiis iunctam fuisse: alteram vero *Sophiam Ladislai* filiam incerto cuidam Carinthio primum nupsisse, post eius autem obitum ad secundum cum *Magno* Saxoniæ Duce connubium transiisse. Ita ille *pag.* 749:

Verum neutra harum Hypotheseon cum fide historica conciliari potest.

Primo enim eamdem *Sophiam*, quam *Lambertus* Schafnaburg. *Ioyadam* adpellat *Belæ I.* filiam & *Wilhelmo* ann. 1061 desponsam, post huius autem immaturum obitum ann. 1062 *Vdalrico* Marchioni nuptam, eamdem, inquam, *Sophiam Annalista Saxo Ladislai* sororem scribit, & hanc ipsam *Vdalrici* viduam ann. 1070 Magno Saxoniæ Duci nupsisse tradit (heic N. 8. in fine) quæ utique intermedio tempore *Lamberto* comiti iungi non potuit.

Secundo. Istud quoque a specie veri abludere videtur, *Ladislaum* Regem, qui filiam suam *Pyriscam* splendidissimis nuptiis *Ioanni Comneno* Græcorum Imperatori locaverat, alteram, si quam habuit, Sophiam filiam ignoto cuidam, nescio cui, de Carinthia tradere voluisse.

Tertio.

Digitized by Google

Tertio. Per chronologicos calculos vix, ac ne vix quidem fieri potuit, ut *Ladislai* filia sive *Vdalrico* Marchioni, sive incerto cuipiam de Carinthia, sive demum *Magno* Saxoniæ Duci coniux obveniret.

Convenit hodie fere inter Hungariæ scriptores, Ladislai uxorem fuisse *Adelheiden*, *Rudolfi* Sueviæ Ducis, & *Henrico IV.* oppositi Cæsaris filiam.

Hic *Hermanno Contracto* teste ann. 1059 Mathildam Henrici Regis sororem duxerat uxorem. Hac anno sequente 1060 eodem teste defuncta, subponatur statim duxisse alteram *Adelheyden*, comitis Taurinensis de Sabaudia filiam.

Prodierit ex isto thoro ann. 1061 primogenita *Adelheydis*, quæ anno pubertatis duodecimo, æræ christianæ 1073, coniux evaserit *S. Ladislai* Regis Hungariæ. Subponatur porro, hanc Reginam mox anno sequente 1074 peperisse gemellas, *Bertham* atque *Sophiam*, quas sorores & *Ladislai* filias Quatuorvir isti ad fidem *Weingartensis* admittunt.

Sophia, cum primum pubertatem attigit, ann. 1086 copulata fuerit cuidam de Carinthia, ut *Katona* arbitratur, aut etiam *Vdalrico* Marchioni, ut reliqui volunt triumviri, alterutro autem horum defuncto, *Magno* Saxoniæ Duci, cui præter alias proles pepererit etiam *Adelheiden*, Friderici I. Ratisbonensis uxorem, forte anno 1090 nascituram.

Bertha quoque, *Sophiæ* gemella, eodem anno 1086 ab *Hartuico* e puellari monasterio extracta, eidemque nupta, ann. 1087 mater effecta fuerit *Friderici I.* Advocati Ratisbon. Hæc enim singula in adversa hypothesi fingenda sunt.

Digitized by Google

Verum, quis heic paradoxa & anachroniſmos non videat?

Sophia, putatitia *Ladislai* filia, anno 1074 naſcitura, anno 1073 nondum nata, iam vidua nupſit *Magno* Saxoniæ Duci!

Fridericus I. *Berthæ* & *Hartuici* filius, qui anno 1075 iam munere Advocati ratisbonenſis fungebatur (apud MEICHELBECK *H. F. Tom. I. P. II. n.* 1233.) quo anno 1086 ob *devotum ſervitium* ſuum ab *Henrico IV.* Imp. villas quasdam dono acceperat (*Mon. boic. XII. p.* 96. *ſeq.*) hic, inquam, in adverſa hypotheſi demum anno 1087 in lucem prodire potuit. Quis iſta concoquere valet?

Miſſa igitur in præſens iſta hypotheſi erronea, diſpiciendum modo, quibusnam potior fides, Anonymo *Weingartenſi*, an *Lamberto* Schafnaburgenſi eumque ſequuto *Annaliſtæ Saxoni* tribuenda, an via media ineunda ſit, qua concordari invicem valeant?

Quantum ad *Ioyadam Belæ I.* filiam, conſentiunt *Lamberto* prædicti Quatuorviri Hungari. Subſcribunt quoque *Weingartenſi* in eo, quod *Pyriſca Colomanni* ſoror fuerit, quam iſte *Geyſæ I.* filiam exiſtimaverat, quippe *Ladislaum*, cum omnibus fere Hungaris, cœlibem credens.

Hi autem ex inſtrumentis noviter productis nunc pene convicti de coniugio *Ladislai*, *Pyriſcam*, ac *Colomannum* non iam *Geyſæ I.* ſed *Ladislai* liberos ſtatuunt, indeque ob *ſolam Weingartenſis* auctoritatem præpropere inferunt, *Sophiam* quoque atque *Bertham Pyriſcæ* ſorores, hinc & *Ladislai* filias

lias fuiſſe, quod chronologiæ omnino adverſatur, ut paullo ante oſtendi.

Alteram *Sophiam*, Schafnaburgenſi & *Saxoni* iuxta ac *Weingartenſi*, immo omnibus fere Hungaris, innocue ignoratam, utpote ex inſtrumentis tunc occultis, nunc autem luce publica donatis erutam, recentiores Hungari pro *Belæ I.* filia, & *Ladislai* ſorore reognoſcunt, ut ex eorum hypotheſi videre eſt, præſertim apud cl. *Katona in Hiſt. critica Regg. Hung. Tom. II. p.* 201. ubi ſequens liberorum *Belæ I.* ſchema exhibet, cui ego, ubi opus eſt, maritos, ac liberos ſubiungo.

Bela I. Rex Hung.

Geiſa I. Ladislaus, Vxor Adelheidis.	Ioyada, Maritus I. Vdalricus II. Magnus,	Sophia, Vxor Lamberti Comitis.
Colomannus R.	Pyriſca Vxor Ioan. Comneni.	

Eſto igitur hæc media via!

Ioyada *Lamberti* Schafnaburgenſis ſit deſponſata *Wilhelmo* Wimmarienſi: dehinc nupta I. Vdalrico de Carinthia. II. Magno Saxoniæ Duci.

Bertha, per *Weingartenſem* huius *Ioyadæ*, h. e. *Sophiæ* ſoror, maneat *Belæ I.* filia.

Pyriſca, ſecundum eundem *Weingartenſem*, ſit ſoror *Colomanni*, non iam *Geyſæ*, ſed *Ladislai* filia.

Digitized by Google

Fateamur, iſtum *Anonymum* in eo ceſpitaſſe, quod *Sophiam*, *Bertham*, *Colomannum* eiusdem patris *Geyſæ I.* liberos arbitratus fuerit, qui error facile condonandus ſcriptori exteto, in tantis eo tempore Hiſtoriæ hungaricæ tenebris, quas noſtris demum diebus tantiſper diſſiparunt reperta inſtrumenta: quibus non obſtantibus adhucdum inter ſe digladiantur ſcriptores *Weingartenſi* nimium addicti.

In hac ſemita nullus anachroniſmi metus, nullum contradictionis periculum, quod facillime oſtendo.

Ioyada, hoc eſt, prior *Sophia*, *Belæ I.* filia circ. an. 1036 nata, anno 1061 Wilhelmo facile deſponſari potuit. Poteſt autem huius nativitas ſponſæ ad annos poſteriores reponi.

Bertha, in hypotheſi gemella ſoror, eodem an. 1036 nata, & an. 1050 *Hartuico* nupta an. ſequente 1051 parere potuit *Fridericum I.* Advocatum ratisbonenſem, qui anno 1075 ætatis 24. huic muneri obeundo omnino par erat, & ob devotum ſervitium Imperatori præſtitum an. 1086 donationem promereri poterat: quæ in hypotheſi adverſa fingi prorſus nequeunt.

Neque aliud quidpiam huic meo ſyſtemati, ubi binæ *Sophiæ* ſorores, filiæ tribuuntur *Belæ* primo, *Pyriſca* autem, & *Colomannus* parenti ſuo *S. Ladislao* legitime adiudicantur, obſtare video.

Hæc prope nimia & extra rhombum videri poſſent: ſi quid in hiſtoria, & genealogia, præſertim ad Maiores Boiariæ pertinente, nimium eſſe poteſt.

Forte

Digitized by Google

Forte etiam Scriptores Hungari, qui hactenus huic ſyſtemati adverſantur, perſpectis hisce rationum momentis, & adverſæ hypotheſeos incommodis, aut mentem ſuam mutabunt, aut fortiora argumenta proferent, quibus ipſa demum veritas eruatur, quæ ſola ſincero ſcriptori cordi eſt.

Auctores operis celeberrimi *l'Art de verifier les dates*, qui & ipſi *Sophiam Geyſæ* I. filiam tribuunt, communi quondam Hungarorum opinione abrepti, nihil præiudicare valent: ut taceam minores gentium Deos, multa ſine examine ſcribentes.

Num. X. POPPO II. *Marchio* VDALRICI I. *filius.*

Anonymus Weingartenſis n. 4. ad hanc tabulam citatus:

„Erat tandem eadem *Sophia* antea cuidam de Carinthia copulata, ex qua genuit *Popponem* Marchionem.“

Etſi autem *Poppo* Marchio præciſe hoc loco dicatur, Marchiam tamen *Carentanam* rexiſſe inde colligi poteſt, quod patri ſucceſſerit.

Alio nomine *Starchardus*, vel *Starchandus* dicebatur, ut legere eſt in Biographo *Conradi* Archiep. Salisburg. apud Bern. PEZIUM *Theſaur. anecdot. Tom. II. P. III. col.* 231:

„Taurum montem tranſivit (Thiemo Conradi anteceſſor) ibique a quibusdam Principibus captus, Marchione videlicet *Starchardo* & fratre eius *Werigando.*“ Quem *Popponis* & *Vdalrici* germanum fuiſſe, ſtatim pateſcet.

Hic

Digitized by Google

Hic ipſe *Foppo Vdalrici* & *Werigandi* frater, ſub *Starchandi* Marchionis nomine occurrit in charta donationis celeberrimo monaſterio S. Lamberti in hodierna Styria ſuperiore, olim Carinthiæ accenſita, ab *Henrico* Duce factæ apud Bern. PEZIVM in Codice diplomatico-epiſtolari P. I. *pag.* 283. unde & translata fuit in Diplomataria ſacra Styriæ a RR. PP. PUSCHIO & FROELICHIO edita *Tom. II. pag.* 273. ubi ad finem legitur:

„ Confirmata eſt autem hæc traditio ſubſcriptorum teſtimonio teſtium, qui ſunt . . . *Starchand Marchio de Soune* & *frater eius Vdalrich* . . . Scripta eſt autem hæc notitia an. Incarn. dom. MCIII.

Quæ ſubiicientur, prioribus lucem affundent, unde & eluceſcet, huic *Popponi* uxorem fuiſſe, & filias geminas, quarum unam novi, alteram vero, ut & ipſam coniugem, hactenus me ignorare profiteor.

Num. XI. VDALRICUS II.

Vdalrico primo ex *Sophia* hunc natum fuiſſe, extra dubium ponit Annaliſta Saxo Eccardinus ad an. 1062:

„ Sponſam eius *Willhelmi* (N. 4.) *Sophiam Odalricus* Marchio Carentinorum cognatus eius (ex fratre Poppone nepos) accepit . . Horum, ſcilicet *Willhelmi* & *Ottonis* Marchionum, frater fuit *Popo*, qui habuit filium *Odalricum*, qui ſororem *Ladislai* Regis Vngariæ *Sophiam* duxit uxorem, quæ genuit ei iuniorem *Vdalricum*, qui accepit filiam *Ludovici* Comitis de Turingia. “

Apo-

Digitized by

Apographorum fragmenta duo a Bernard. de RUBEIS *loc. cit. pag.* 335. *ſeq.* producta, atque huic ætati adcommoda, hunc ipſum *Vdalricum* priori filium ſiſtunt:

„Donatio ſancti Syri facta per *Vodalricum* Marchionem Iſtriæ eccleſiæ aquileienſi MCI. "

Quum *Vdalricus I.* iam an. 1070 obierit, hæc inſcriptio de eius filio intelligenda neceſſario venit.

Alterum fragmentum *ibidem*:

„Inſtrumentum donationis factæ de Caſtro Portulenſi aquileienſi eccleſiæ per dominum *Vodalricum*, *filium Vodalrici Marchionis.* "

Eundem *Vdalricum* cum duobus ſuis fratribus *Poppone II.* ſeu *Starchando*, & *Werigando* legimus in Paſſione S. Tyemonis AE. Salisburg. apud CANISIUM BASNAGII *Tom. III. P. II. pag.* 106:

„Vincitur ab adverſa parte acies Præſulis (Tyemonis) fuſi ſui partim, alii fugati, ſpolia direpta, ſimul cum pallio ſuo intactus ipſe fuga evaſit. Non multo poſt cum per Taurum montem in Carinthiam iter legeret; ecce *Vdalricus* comes partium Cæſaris dum vult malam virtutem ſæcula futura narrare, auſus eſt manum ſacrilegam mittere in Chriſtum Domini. . . captus deinde & Friſacum adductus - - dixit obſidionis principibus, *Vdalrico* ſcilicet comiti, quem ante ſatis commemoravimus, cum germanis ſuis duobus. . . . *Poppone* ſcilicet, & *Werigando*, quos nominatim exprimit Biographus Conradi AE. Salisb. ſupra N. 10.) Vitam clauſit ann. 1122. ut patet ex N. ſeq.

Num.

Digitized by

Num. XII. ADELHEIDIS VXOR VDALRICI II.

Annaliſta Saxo ad ann. 1112:

„ Moritur eo tempore quidam de Saxoniæ principibus *Vdalricus* de Wimmar *Ludovici* comitis de Turingia dudum gener, ſed iam propter eius filiæ repudium inviſus, cuius poſſeſſiones prædictas Palatinus comes *Sigefridus* hæreditaria ſibi vindicabat poſſeſſione. . .

„ IDEM ad ann. 1062 de Vdalrico Iuniore. “

„ Qui accepit filiam *Ludovici* comitis de Turingia “

Nomen uxoris produnt Annales breves de Landgraviis Thuringiæ apud Ioan. Georg ECCARD *Origin. Saxon. pag.* 347:

„ Tertia filia (Ludovici) *Adelheidis Vdalrico* comiti de Wymar matrimonialiter coniuncta. “

Sterilem, ideoque repudiatam, & monaſticam vitam amplexam fuiſſe colligo ex hiſtoria de Landgraviis Thuringiæ apud PISTORIUM STRUVII *Tom. I. p.* 1313. *cap.* 18;

„ *Ludovicus* tertius comes Thuringiæ . . genuit aliam filiam *Adelheidam* nomine, quæ (ſcil. poſt repudium) ſeculum deſerens ſancti Nicolai intra muros Yſenacenſes cœnobium ædificavit, & in eodem Clauſtro quam plurimis annis religioſe vixit, & Abbatiſſa effecta eſt Virginum anno MCLI. “

Num-

Digitized

Num. XIII. WERIGANDVS.

Tertius *Vdalrici I.* filius, *Popponis II. Starchand* dicti, & *Vdalrici II.* germanus manifeſtus evadit ex Biographo Conradi AEpi Salisb. iam allegato col. 231:

„ Taurum montem tranſivit (Thiemo ann. 1095.) ibique a quibusdam principibus captus, Marchione videlicet *Starchando* (Poppone) & fratre eius *Werigando* “

In Codice diplomatico admontenſi apud eundem PEZIVM *Tom. III. P. III. col.* 685. *N. XI.* legitur;

„Prædium illud ad Radella, ſcilicet manſus, quos nobis *Weriandus* comes pro ſcelere, quod in venerabilem Thyemonem archiepiſcopum commiſerat, tradidit. “

Pergit Biographus Conradinus;

„ Verum poſtquam Archiepiſcopus de hac captivitate liberatus eſt, ultio divina iſtos ita percuſſit, ut cum duo illi fratres tota Carinthia potentiſſima dominatione potirentur, nullius mortalis hominis contradictionem habentes, ſubito per comitem *Bernardum*, qui cum paucissimis militibus Carinthiam intravit, funditus contriti ſunt & ad nihilum redacti, omni priſtina potentia perdita “

Vitæ quoque annos divina ultione abbreviatos illis fuiſſe narrat chronologus Reichersbergenſis apud *Ludewig Scriptor. bamberg. P. II.* de perſecutoribus Thiemonis:

Digitized by Google

„Ex eo tempore in adverſis ſemper decreſcebant, & ut hodie quoque perſpicuum eſt, iudicio Dei non dimidiant dies ſuos, nec aliquis fere de poſteritate. "

Suſpicari inde pronum eſt, *Werigandum*, qui in litteris *Vdalrici* Patriarchæ aquileienſis, queis Doberndorfenſes, ſeu Eberndorfenſes Canonicos fundat vel auget ex bonis Cazellini comitis ann. 1106, primus teſtium notatur, affirmante id Eraſmo FROELICHIO in Genealogia Soreneckiorum Comitum Celeiæ *pag.* 24. & qui *dies ſuos non dimidiavit*, hoc circiter tempore abreptum fuiſſe.

Num. XIV. LVTGARDIS & *anonyma*, POPPONIS II. *filiæ.*

Harum meminit Weingartenſis apud Leibnitium *Scriptor brunſuicenſ. Tom. I. p.* 785:

„Erat tandem eadem Sophia antea cuidam de Carinthia copulata, ex qua genuit *Popponem* (ſecundum) Marchionem, qui duas filias (habuit) vnam *Bertholdo* comiti de Bogen copulavit. Porro ſoror huius *Sophiæ (immo Neptis)* Regi Græcorum nupſit (vid. N. 4. ad hanc Tab.) aliam ſororem eius (hoc eſt *Sophiæ*, id enim ſyntaxis requirit) *Berchtam* quidam comes ex Clauſtro quodam ſanctimonialium abſtraxit, & *Fridericum* ratisponenſem advocatum genuit. "

Ceſpitarunt ad hunc locum nonnulli viri eruditi, *Bertham* iſtam exiſtimantes *Popponis II.* filiam & *Lutgardis* ſororem; quum tamen, ceu *Sophiæ* ſoror, filia fuerit *Belæ* I. Regis Hungariæ.

Filiæ

Digitized by Google

Filiæ huius nomen *Bertholdo* de *Bogen* nuptæ, quod Autor ſuppreſſit, vel ignoravit, quemadmodum ſororem alteram omnino præteriit, manifeſtat Codex diplomaticus admontenſis apud *Bern.* PEZIVM *Theſaur. Tom. III. P. III. col.* 779:

„ Anno ab Incarn. Dom. MCLXVIII. "

Pertholdus comes de *Pogene* viam univerſe carnis ingreſſus apud *Rotenmanne* migravit. Vxor itaque illius *Liukart* nomine . . . hæc traditio facta eſt apud Liuzen. - -

Habuit igitur proprias in Carinthia poſſeſſiones, utpote Marchionis Carinthiæ filia.

De altera eius filia, LVTGARDIS ſorore, nihil compertum habeo.

Probationes ad Tabulam VI.

Hanc tabulam ideo prioribus addere volui, ut Murzthalenſium comitum, Carinthiæ Ducum, cum Imperatoribus *Henricis* tertio, quarto & quinto non paſſim obvia propinquitas ad oculum pateat.

Num. I. HERMANNVS II. *Alemanniæ Dux.*

ODILO in vita Adelheidis Imperatricis apud LEIBNITIVM *Scriptor. brunſuic. Tom. I. pag.* 269:

„ Igitur eo tempore, quo beata migravit e ſæculo, HERMANNVS Dux Sueviæ, qui fratris illius *Chuonradi* filiam in con-

iugium acceperat, hæreditario iure res ancillæ Dei ad monaſterium pertinentes occupare volebat. "

De illius progenie hoc vnum conſtat, quod teſte DITMARO reſtituto apud LEIBNITIUM *loc. cit. pag.* 370. *matris ſuæ avunculi filius* fuerit.

Num. II. GERBIRGIS, ſeu GEPA.

HERMANNUS Contractus ad ann. 997.

„ Conradus Alamannorum Dux obiit, & pro eo *Hermannus* Ducatum accepit, qui & ipſe filiam Conradi Regis Burgundiæ *Gerbirgam* in matrimonio habuit. "

Num. III. MATHILDIS MATER GERPIRGIS.

Chronicon S. Benigni Divionenſis apud D' ACHERY in Spicilegio Tom. II. pag. 393:

„ In Regni Burgundiæ terminis ſita eſt Lugdunum civitas, quam Lotharius Francorum Rex dedit in dotem ſorori ſuæ Mathildæ Reginæ, quam deſpondit Conrado Burgundiæ Regi. "

ALBERICVS trium fontium in Chron. ad an. 986.

„ Huic *Conrado* Rex Francorum *Lotharius* dederat ſororem ſuam *Mathildem*, & cum ea civitatem Lugdunenſem in matrimonium, de qua *Mathilde Conradus* iſte genuit *Rudolfum* ſecundum & ſororem ſuam *Gepam* matrem Imperatricis *Giſelæ*. " Item ad ann. 1024.

Num.

Num. IV. HERMANNVS III. DVX ALEMAN.

HERMANNVS Contractus N. 2. citatus:

„ Ex qua filium æquivocum & tres filias reliquit. “

Num. V. GISELA, *Vxor* CONRADI II. *Salici Imperatoris.*

Priores huius Mariti huc non pertinent.

WIPPO in vita Conradi Salici Imp. *pag.* 467. apud PISTORIUM *Struvii Tom. III.*

„ Super hos omnes dilecta Regi coniux *Giſela* prudentia & conſilio viguit, cui Pater erat *Hermannus* Dux Alemanniæ, mater eius *Kerpirga*, filia Conradi Regis de Burgundia fuit, cuius parentes de Caroli Magni (*Carolomanni*) ſtirpe proceſſerunt. “

Num. VI. MATHILDIS.

WIPPO citatus *pag.* 463:

„ Prædicti duo Chunones (vid. Tab. III.) cum eſſent, ut dictum eſt, ex parte genitorum nobiliſſimi, haud ſecus ex materno genere claruerunt. Iunioris Chunonis mater *Mathilda* de filia Conradi Regis Burgundiæ nata fuit. “

Num. VII. BRIGIDA.

HERMANNVS *Contractus* ad ann. 997 tres Hermanno II. Sueviæ Duci filias aſſignat. Duas priores comprobavi num. 5. & 6. *Tertiam*, quæ in veteri Rationario Goritiæ *Brigida* vocatur, apud illuſtriſſimum D. CORONINUM Comitem de CRONBERG

Digitized by Google

BERG in *Tentamine genealogico comitum & rerum goritienſium Edit. ſecund. pag.* 43. *Tab. I.* nobis inſinuant HERMANNVS Contractus, & BERTHOLDVS Conſtantienſis, qui *Adalberonem* Epiſcopum bambergenſem, *Adalberonis* Carinthiæ Ducis filium, *Henrici III.* Imperatoris *conſobrinum* adpellant, ut adeo *Giſela Henrici III.* mater, & *Adalberonis* coniux, ſorores fuerint, ex *Hermanno* II. & *Gerbirga* natæ. Hinc eo facilius *Lazio* credi poteſt ſcribenti Lib. V. de Migrat. gent. *pag.* 206:

„ Itaque accidit poſterius, ut Hungaricus ille Marchio *Albertus* (Adalbero Carinthiacus) origine comes de Murzthal & Avelant (valle Lavanda) deficiente vel pulſa nobili familia Suevorum, rerum inciperet in Carnia potiri, quod materteram Conradi II. (Iunioris Carinthiæ Ducis) in matrimonio haberet.“

Porro huius *Cunonis*, ſeu *Conradi* mater erat *Mathildis*, *Brigidæ* noſtræ ſoror. Sequitur LAZIVM MEGISERVS *lib. VII. cap. XI. pag.* 698.

Num. VIII. HENRICVS III. *Imperator.*

MEICHELBECK *Hiſt. friſing. Tom. I. P. I. pag.* 223. *ſeq.* plura exhibet *Conradi Salici* diplomata, ubi Imperator dilectæ *conſtatalis ſuæ Giſelæ* Auguſtæ & *caræ Sobolis Regis Henrici* expreſſe meminit, quod aliunde dubio omni caret, nec ampliore probatione eget.

Num. IX. HENRICVS IV. *Imperator.*

LAMBERTVS Schafnaburgenſis ad ann. 1051:

Natus eſt Imperatori filius Heinricus IIII. Rex III. Idus Novemb. “

Num. X. HENRICUS. V. *Imperator.*

Idem LAMBERTUS continuatus ad an. 1081:

„Hen-

Digitized by Google

„ Henricus (quintus) Rex natus eſt, ille, qui patrem ſuum de regno expulit. “

VRSPERGENSIS ad ann. 1099:

„ In Epiphania Aquii filium ſuum iuniorem Henricum quintum Regem fecit, reprobato maiore ſuo Chuonrado, quem prius coronavit. “

Num. XI. LIVTPIRGIS *ſoror* HENRICI V.

Probationes de iſta adtuli ad Tab. II. N. 12.). Inde autem patet, qua ratione Henricus Carinthiæ Dux, *Liutpirgæ* huius filius, *Henrici V.* Imperatoris rectiſſime ex ſorore Nepos audiat.

Reliquas Tabulæ iſtius Perſonas ſupra comprobavi in Notis ad Tab. II. & III. quod iam non vacat repetere; quum vel ex ſola Tabulæ huius inſpectione Murzthalenſium Comitum cum Henricis Imperatoribus conſanguinitatis gradus ad oculum pateat.

Sequitur nunc diploma ſupra Num. 18. ad Tab. II. allegatum:

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Hanricus divina favente clementia quartus Romanorum Imperator Auguſtus.

Omnibus Chriſti, noſtrique fidelibus tam futuris, quam præſentibus notum fieri volumus: qualiter nos, ego videlicet Heinricus quartus Romanorum Imperator Auguſtus ob ſalutem animæ noſtræ, anteceſſorumque noſtrorum, & iuſta petitione Hein-

Digitized by Google

Heinrici Ducis Karinthiæ dilectiſſimi Nepotis noſtri, rogatu etiam dilectiſſimorum Principum Frederici Colonienſis Archi-Epiſcopi, Brunonis Treverenſis ArchiEpiſcopi, Burchardi Monaſterienſis Epiſcopi, Erlungi Werceburgenſis Epiſcopi, Vlrici Eiſtetenſis Epiſcopi, Harttvici Ratisponenſis Epiſcopi, Ottonis Bauembergenſis Epiſcopi, Hertmanni Auguſtenſis Epiſcopi, Heinrici Friſingenſis Epiſcopi, Gevehardi Tridentini Epiſcopi. Ducum quoque Welfonis de Bauuaria, Lutherij Ducis de Saxonia, Frederici Ducis de Svevia. Comitum quoque Godefridi Palatini Comitis, Herimanni Marchionis, Berengarij Comitis, Lupoldi Marchionis, Tietbaldi Marchionis. In univerſali curia noſtra apud Magunciam hanc privilegii paginam Eccleſiæ Sti Lantberti ab eodem ſupradicto Duce Heinrico, & a Patre ſuo Marcuardo bonæ memoriæ in carinthia conſtructæ fieri iuſſimus. Hac videlicet conditione, ut nullus Dux, vel Marchio, Comes, vel Vicecomes, vel aliqua Perſona ſæcularis vel Eccleſiaſtica magna, ſive parva eandem Eccleſiam aliquomodo deinceps inquietare, moleſtare, vel disveſtire audeat. Hoc quoque per præſentis privilegii paginam imperiali auctoritate firmiter ſtatuimus, ut quæcunque prædia idem Dux, vel alii fideles eiusdem Mrio contulerint, ſive in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum iuſte, atque canonice conferri contigerit, firma eis, eorumque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Advocatum nullum habeant niſi ipſum DucemHeinricum, vel aliquem eius legitimum filium, vel ſi legitimum filium nullo modo habere poterit, ad petitionem Abbatis, & fratrum eidem Eccleæ advocatus eis detur. Omnia etiam, quæ eis per privilegium Paſchalis Romanæ ſedis Pontificis Pontificali auctoritate ordinata ſunt, inconvulſa conſerventur. Epiſcopo vero, vel ipſi Abbati nullo modo liceat Cænobii bona in feudum, ſive beneficium ſine conſenſu meliorum fratrum Perſonis

aliqui-

Digitized by Google

aliquibus dare, vel modis aliis alienare. Si vero forte, quod abſit, aliquis temeritate aliqua inductus huic noſtro iuſto præcepto contraire tenptaverit, & quod fecimus irritum eſſe voluerit centum libras auri compoſiturus medietatem cameræ noſtræ, & medietatem Abbati, & fratribus ibidem Deo famulantibus. Vt autem hoc verum eſſe credatur, & ab omnibus inviolabiliter conſervetur, hanc paginam manu propria corroboratam impreſſione noſtri ſigilli inſigniri iuſſimus.

Signum Dni Hanrici quarti
Romanorum Imperatoris
invictiſſimi.

Bruno Cancellarius
recognovit.

Data XVI. Kal. Februarii indictione VII. Anno Dominicæ Incarnationis millmo CXIIII. regnante Heinrico quarto Rege Romanorum an. VII. imperante II. Actum eſt Maguntiæ in Chriſto feliciter. Amen.

Tentata ſolutio propoſiti Problematis

de Epitaphio Gerbirgis in Geiſenfeld.

Teſtimonia, quæ inter probationes ad tabulam I. genealogicam Comitum de Semta & Ebersberg congeſſi, abunde oſtendunt, niſi me omnia fallant, *Gerbirgem*, *Willpirgis* filiam, hinc & *Eberhardi* eiusdem Germani *neptem*, ipſosque a dictis Comitibus oriundos fuiſſe, de quo ſubdubitare videbatur illuſtris Academia. Eandem vero *Gerbirgem* Parthenonis ab avunculo fundati primam fuiſſe Antiſtitem, indubium videtur, quia nulla legitur, quæ eam præceſſerit.

Digitized by

Quum insuper probabilissime sciamus, *Werigandum, Weriandum*, seu *Werientum*, non *Luitgardis*, ut *HUNDIO* visum, sed *Willpirgis* maritum, *Gerbirgem* genuisse; cur vir iste, non græcæ utique, sed germanicæ originis, *Stertor*, & *Rex*, & *Græcus* in Epitaphio compellatur?

Prius istum quam extricare nitar nodum oppido implicatum & vere Gordium, ipsam Saxi effigiem penitius intueri oportet.

Ætatem eius recentiorem ipse inscriptionis autor prodit, qui synchronus aut subpar si fuisset, absolute testari poterat, *Gerbirgem* primam huius cœnobii Abbatissam fuisse. Quum autem ex fama solum aut traditione edoctus dicat: huius loci prima *fertur* Prælata fuisse, longius se ab eius obitu remotum fuisse insinuat.

Sed & characteres sæculum XIV. sat clare denotant; ut adeo cenotaphii consarcinator, quiscunque demum, tribus minimum sæculis iunior fuerit.

Hoc insuper videamus, an MABILLONIUS istam inscriptionem accurate per omnia legerit.

Priora quidem verba: *Hac*, vel *Hic iacet in tumba Gerbirgis filia Regis græci . . .* & posteriora: *Eberhardique fuit neptis, huius loci prima fertur prælata fuisse*: legi aliter vix possunt. Cur autem has litteras STCTORIS exposuerit pro STERTORIS, pace tanti viri capere nequeo. Tertia enim littera C. nullam prorsus cum R. affinitatem habet, uti utramque in inscriptione sæpius occurrentem conferenti evidens est.

Equi-

Digitized by Google

Equidem lubens conceſſero, inter quatuor primas conſonantes locandam eſſe aliquam vocalem, & legendum: STACTOR, STECTOR, vel aliud huiusmodi, cui tamen nulla omnino reſpondet ſignificatio; cur autem reiecta littera C. clariſſime expreſſa ſubſtituatur ER. ut inde oriatur STERTOR, iſtud denuo captum meum exſuperat.

Si demum litteram C. expungi, eique R. ſubſtitui, & aliquam vocalem addi neceſſum ſit; cur non potius A. loco E. inſeratur, ut prodeat nomen STRATORIS?

Denotat iſtud officialem in aula conſtantinopolitana, derivatum a verbo *ſternere*, *ſtravi*, *ſtratum* ſeu equum parare. Hoc munere functum ſe fuiſſe teſtatur perſonatus CONSTANTINUS M. Imperator apud GRATIANUM *diſt.* 90. *can.* 14. *Tenentes*, inquit, *froenum equi ipſius* (Sylveſtri Papæ) *pro reverentia B. Petri STRATORIS officium illi exhibuimus.*

Divinarunt quodammodo hanc expoſitionem ſolertiſſimi patres Maurini in nova Gloſſarii ad ſcriptores mediæ & infimæ latinitatis editione, Mabillonianum STERTOR explicantes pro *Stratore*, *equorum curatore*, *domitore*, *mareſchalco*, adducto in fidem hoc unico Geiſenfeldenſi Epitaphio, tantopere ambiguo. Quodſi *Stertor* in lapide diſerte expreſſum fuiſſet, quod illi ſuſpicati ſunt, de MABILLONII fide ac peritia nihil dubitantes; maluiſſem ego hoc nomen derivare a verbo *ſtertere*, ut ſignificet virum, a profundis, quos ducere ſolebat, ronchis STERTOREM (*ein Schnarcher*) dictum.

Fingam autem legendum omnino eſſe STRATORIS; tunc haut ineptus ineſt Epitaphio ſenſus iſte, Gerbirgis patrem STRA-

Digitized by Google

TORIS officio in aula Regis cuiusdam græci functum aliquamdiu fuisse, ut *tò Regis græci* non denotet patrem Abbatissæ, sed illum Regem græcum, cuius equum pater sternere, & frœnum tenere solebat.

Itaque ex mente versificatoris nostri, *Gerbirgis* filia erat cuiusdam Anonymi, eidem ignoti, qui neque *Rex*, neque *Græcus* erat, sed *Strator Regis græci.* Non repugnat utique, *Werigandum* comitem, virum equestrem, atque in arte docendi, & parandi equos egregie fortassis exercitatum, varias regiones peragrasse, atque in aula cuiusdam Principis exteri, qui Germanis Græcus videri poterat, *Stratoris* munere aliquamdiu functum, in patriam vero reversum *Wilpirgem* Semtanam matrimonio sibi iunxisse, ex eaque *Gerbirgem* generasse, futuram Geisenfeldæ primam Antistitem.

Divinationes quidem sunt istæ & meræ hariolationes, non diffiteor. At enim in rebus obscuris & pene desperatis nunquid ad hypothesin confugere licet, non adeo paradoxam?

Sed iuvat paulisper reverti ad inscriptionem, & aliam promere coniecturam.

Quid? si lapicida humani quidpiam passus dormitaverit, & in nomine STCTORIS loco tertiæ litteræ C. ponere debuisset N. quæ cum vetere C. nonnullam habet similitudinem, si prior linea ducatur verticalis, & altera incurvetur, ut videre est in voce *Neptis*? In saxa enim & varii generis metal-

Digitized by Google

metalla æque ac in chartas & diplomata alioqui genuina, errores non raro irrepſiſſe, incompertum eſſe nequit diplomaticæ rei peritis.

Vt extera præteream exempla paſſim obvia, duo occurrunt volumine XI. Monumentorum boicorum, in tabula plumbea Monaſterii Nideraltacenſis *pag. VII. & tab. XV.* in lapide Hengerſpergenſi, ubi legitur: 14457. manifeſto errore, quem corrigens præfator ait: *Scirpus autem ex litterarum characteribus facile reſolvitur, quod ſcilicet numerus* (4.) *ex culpa Scalptoris bis inciſa fuerit*, novo typi errore, pro *inciſus*.

Verum iſta, & innumera alia ut taceam, quot errores ſe produnt in altero ſaxo, itidem Geiſenfeldæ conſpicuo, cuius apographum ſupra *Num.* 21. *ad tab. I.* dedi? Et quis neſcit, ante hæc octo luſtra in media Germania cuſum fuiſſe Numiſma memoriale argenteum, ab inſigni errore Monetarii *Bockthaler* dictum?

Quidni fas ſit ſimilem, ſed plane exiguum errorem in hac etiam inſcriptione ſuſpicari, ut loco C. ſubſtituatur N. & præmittatur vocalis E.? Tunc autem prodit nomen STENTORIS, & ſenſus ſat congruus.

Forte enim *Werigandus*, *Gerbirgis* parens, ob ſonoræ vocis magniloquentiam, & clamoris vehementiam tempore ſuo comparatus fuerat *Stentori*, græci exercitus ad Troiam præconi, qui teſte HOMERO *Iliad. V.* 785. clamore ſuperabat alios quinquaginta clamantes, de quo & IUVENALIS *Satyra XIII.* 112. ait;

„ Tu miſer exclamas, ut *Stentora* vincere poſſis. “

Poterat

Poterat hæc traditio Geiſenfeldæ perduraſſe, & verſificatori noſtro anſam præbuiſſe, ut adiectam hanc vocem pro nomine gentilitio & proprio patris *Gerbirgæ* acciperet, eamque filiam *Stentoris* adpellaret.

Vt quid autem operam perdo in inveſtiganda græca ſignificatione τᵹ STCTORIS? quando iſtud forte neque græcæ originis eſt, nec adpellativum nomen, ſed adiectivum, non ad patrem Abbatiſſæ referendum, ſed ad patruum EBERHARDVM, qui cœnobium geiſenfeldenſe fundavit, & in charta anecdota (*ſupra Num.* 5. *ad tab. II.*) Eccleſiæ geiſenfeldenſis *conſtructor* adpellatur. Quoniam vero το *Conſtructor* verſui non quadrabat, (ſi tamen inſcriptionis auctor pede ligato incedere voluit) reſecto *con*, ſolum *Structor* poni debuerat; quemadmodum & ſupra *N.* 20. *ad tab. I.* dicitur altare *ſtructum* in eadem villa, pro *conſtructum.*

Quid igitur prohibet, quin τὸ STCTORIS, legatur, STRVCTORIS, hicque Epitaphio ſenſus tribuatur:

HAC IACET IN TUMBA GERBIRGIS FILIA REGIS GRÆCI, STRUCTORIS EBERHARDI QUE FUIT NEPTIS - - -

Sive autem *Stertoris*, aut *Stentoris*, ſive *Structoris* lectio præplaceat; nondum ſolutus eſt nodus, neque diſſectus. Reſtat enim porro dubium, cur Werigandus *Comes*, certe non græcæ originis, REX dicatur, & *græcus.*

Heic denuo ad divinationem recurrere neceſſum habeo, quæ multam veri ſpeciem mihi quidem præſeferre videtur.

Norunt

Digitized by Google

Norunt Eruditi, veteres nonnullos genealogiarum textores ex ultimo ævo a græcis, latinisve heroibus Illuſtrium ſuorum, quos commendare volebant, maiores deducere conſueviſſe, ut commentitio iſto ſplendore amplius iisdem decus adiicerent.

Forte & noſtrum Autorem eadem dementia cepit. Legerat ille, aut traditione acceperat, *Gerbirgis* Patrem, *Stentorem* dictum, *Goriciæ* villam in *Carinthia* poſſediſſe. Facile deceptus, aut decipere volens, pro *Carinthia* legit *Corinthum*; (quemadmodum & THWROEZIVS in *Chron. Hungarorum* cap. 47. apud SCHWANDNERVM *Scriptor. rer. hungar. Tom. I. pag.* 115. Carantanos adpellat *Corinthios*) pro *Goritia* legit *Græcia*, in qua ſita eſt *Corinthus* Regum olim ſedes; aut hodiernum *Græcium*, Styriæ, quæ pars erat veteris Carinthiæ, Metropolin.

Quumque *Stentor* inter Græcos celebris fuerit; hinc *Gerbirgis* Patrem, adiecto hoc nomine compellatum, a *græco* Rege originem traxiſſe aut ex vero æſtimavit, aut lectori perſuadere voluit; indeque *Regem græcum Stentorem* prona ſequela Epitaphio ſuo intruſit.

Simili fere coniectura uſus eſt *Carolus* STENGELIVS in *Commentario rerum auguſtanar. Vindeliciæ* pag. 9. Quum enim Franciſcus IRENICVS in *Exegeſi Germaniæ* Lib. XI. pag. m. 366. PHILIPPUM ſub M. Aurelio Antonino Martyrem & Epiſcopum *Auguſtanum* ſcripſiſſet, huius autem *Auguſtæ Vindelicorum* nulla prorſus exſtaret memoria; ſagaciter ille ſuſpicatus eſt, *Philippum Gortynæ* in Creta Epiſcopum, cuius EVSEBIVS

Hiſtor.

Digitized by

Hiſtor. eccleſ. IV. 25. & HIERONYMVS de Scriptor. eccleſiaſticis meminerunt, eodem tempore florentem, pro *Auguſtano* venditatum fuiſſe, quod ſcilicet affinitas quædam inter nomina *Cretæ*, & *Rhetiæ*, in qua ſita eſt Auguſta Vindelicorum, facile cuidam impoſuerit.

Præterea non infrequens eſt, ut maiores Toparchæ, cuiusmodi *Varientus*, ſeu *Werigandus* fuerat, quippe *Foroiulii* comes, etiam *Reguli* nuncuparentur, qua voce AVENTINVS frequenter utitur.

Quia vero το *Reguli* verſiculo non ſerviebat; licentia poetica uſus noſter, *Regem* pro *Regulo* ſubſtituit; ſicque Natales *Regis Græci* ex verſificatoris cerebro prodierunt, & acta eſt Fabula.

Fateor lubens, iſtas nonniſi hariolationes eſſe, quæ tamen repugnantiæ involvunt nihil, & aliquam veri ſpeciem præſeferre videntur.

Si *Willpirgis* prior Maritus, *Werigandus*, idem cum *Veriento* fuit, & *Gerbirgem* genuit, de græca eius origine, & regia dignitate deſperaverim. Nuspiam enim illius Vxor, *Regina*, ſed conſtanter *Comitiſſa* adpellatur.

Illo ævo ante ſacras in Palæſtinam expeditiones, nullum fere Germanis cum Græcis erat commercium, connubia nulla. Florebant domi familiæ ſat illuſtres, quæ nuptiali fœdere invicem nectterentur.

Ebers-

Digitized by Google

Ebersbergenſes Comites e Carinthia uxores ducebant, & Carentanis filias ſuas nuptui elocabant. Alter *Wilbirgis* maritus *Wecellinus* Carentanus erat; quidni & prior *Werigandus*? Quem ſi quis Comitem de *Mospach* fuiſſe contendat; hunc ego rogaverim, ubinam ſitus fuerit ille Comitatus, aut an eo iam tempore exſtiterit?

Quemadmodum autem ſupra (*Num.* 20. & 23. *ad tab. I.*) loco *Murach* legendum cenſui *Murau*, aut *Mureck*; ita etiam heic pro *Mospach* legere mallem *Mosburg*, quæ eſt Arx munita in tractu Cileienſi haut adeo remota a comitatu *Goritiæ*, quam circa an. 830 exſtruxit *Priwina*, teſte Anonymo *de converſione Baioar.* & *Carentan.* apud HANSIZIUM *German. ſacræ Tom. II. pag.* 129:

„ Aliqua vero iterum occaſione percepta rogantibus prædicti Regis (*Ludovici*) fidelibus præſtitit Rex *Briwinæ* aliquam inferioris Pannoniæ in beneficium partem circa fluvium, qui dicitur *Sana*, tunc cæpit ibi habitare & munimen ædificare in quodam nemore & palu Sellede (malim legere: *palude Selle*) fluminis, & circumquaque populos congregare, ac multum ampliari in terra illa. "

Iſtud Munimen a *Palude* dictum fuiſſe *Mosburgum*, recte arbitratur HANSIZIUS, ob *Sanam* fluvium propinquum.

Digitized by Google

Nam idem Anonymus *loc. cit. pag.* 135. ſequentia porro addit:

„ Anno igitur DCCCLXV. venerabilis Archiepiſcopus Iuvavenſium *Adelwinus* nativitatem Chriſti celebravit in caſtro *Hezilonis* noviter in *Moſeburch* vocato, quod illi ſucceſſit moriente patre ſuo *Priwina*, quem Moravi occiderunt. “

De eadem arce ſequentia tradit Sigismundus CALLES *Annal. Auſtr. Tom. I, pag.* 179. & 220. & Indice II.

„ Mosburgum caſtrum, alias urbs *Paludarum*, non procul a *Sana* fluvio in comitatu Cileiæ in extrema parte Styriæ verſus Savum fluvium. “

Exſtat porro aliud *Moſeburc* in Carinthia inferiore, prope lacum & monaſterium *Oſſiac* ſitum, olim *Carantanum* (*vid. N. 1. ad tab. IV.*) & *curtis Carentana* dictum, quod in Chronici Gottwicenſis Prodromo *lib. III. pag.* 494. *N.* 76. a priore *Moſapurch* non ſatis diſtinguitur. Sive autem huius, ſive prioris *Mosburgi* Comes fuerit *Werigandus*; ob utriusque propiorem, quam *Mospach* quodcunque, viciniam, Comitatus Hiſtriæ & Foroiulii regimen eidem fuiſſe concreditum, non inepte mihi coniicere videor.

Ipſa quoque *Goritia*, cuius villæ medietatem poſſidebat *Werigandus* (N. 23. Tab. I.) & cuius uxor *Willbirgis* Semtana,

